

JOANIS

IOANNIS BRAVI PETRAFITANI DOCTOris Medici, & rei medicæ in Salmanticensi Academia interpretis

De Curandi Ratione per medicamenti purgantis exhibitionem Libri. III.

Ad D. Franciscum Mendozium Beraguarum Ducem, ac maris Præfectum Aragoniæ & Indiarum.



Anno 1588.

Cum Priuil. Salmanticæ excudebat Cornelius Bonardus

Sumptibus Claudij Curlet Sabaudiensis Bibliopolæ è regione Scholarum maiorum commorantis, sub insigni Cucurbitæ aureæ.

EL REY.

POR quanto por parte de vos el Doctor Iuan Brauo Cathedratico de Medicina en la vniuersidad de Salamãca, nos fue fecha relacion que vos auiades compuesto vn libro intitulado de Curandi Ratione per medicamenti purgãtis exhibitionẽ, de buena doctrina, y muy vtil y necessario para la facultad de medicina suplicandonos os mandassemos dar licencia y priuilegio para que el dicho libro se pudiesse imprimir y vender o como la nuestra merced fuesse. Lo qual visto por los del nuestro consejo, y como por su mandado se hizieron las diligencias que la prematica por nos hecha sobre la impression de los libros dispone, fue acordado que deuiamos mandar dar esta nuestra cedula para vos en la dicha razon y nos tuuimos lo por bien y por la presente por os hazer biẽ y merced, os damos licencia y facultad, para que por tiempo de diez años primeros siguientes que corren y se quentã desde el dia de la fecha de esta nuestra cedula vos o la persona que vuestro poder huuiere podays hazer imprimir y vender el dicho libro de que de suso se haze mencion, y damos licencia y facultad a qualquier impressor destos nuestros Reynos que vos nombraredes para que por esta vez le pueda imprimir con que despues de impresso antes que se venda le trayays al nuestro cõsejo juntamente con el original que en el se vio q̃ va rubricado y firmado de Pedro çapata del marmol escriuano de camara de los que en el nuestro consejo residẽ para que se vea si la dicha impression esta conforme al original, o trayays fe en publica forma, en como por corrector nombrado por nuestro mandado se vio y corregio la dicha impression por el original y se imprimio confor

¶ 2 me al

me a el y que quedan ansi mismo impressas las erratas por el apuntadas para cada vn libro de los que ansi fueren impressos, y se os tasse el precio que por cada volumen huuieredes de hauer, y mandamos que durante el dicho tiempo persona alguna sin vuestra licencia no le pueda imprimir ni vender, so pena que el que le imprimiere aya perdido y pierda todos y qualesquier libros moldes y aparejos que de los dichos libros tuuiere, y mas incurra en pena de cinquenta mil marauedis por cada vez que lo contrario hiziere: la qual dicha pena sea la tercia parte para el juez que lo sentenciare, y la otra tercia parte para la persona que lo denunciare, y la otra tercia parte para la nuestra camara, y mandamos a los del nuestro consejo Presidente, y oydores de las nuestras audiẽcias, alcaldes, alguaziles de la nuestra casa y corte, y chancillerias, y a todos los corregidores asistente gouernadores alcaldes mayores y ordinarios, y otros juezes y justicias qualesquier de todas las ciudades villas y lugares de los nuestros Reynos y señorios, assi a los que agora son como a los que serã de aqui adelante os guarden y cumplan esta nuestra cedula y merced que assi os hazemos, y contra el tenor y forma della ni de lo enella contenido no vayan ni passen ni consientan yr ni passar en manera alguna, sopena de la nuestra merced, y de diez mil marauedis para la nuestra camara, Fecha en S. Lorenço a 20. dias del mes de Março, de 1587. años.

YO EL REY.

Por mandado del Rey. N. S.

Iuan Vazquez.

D. FRANCISCO MENDOZIÆ BERAGVARVM DVCI & maris Præfecto Aragoniæ, & Indiarum

Ioannes Brauus Doctor Medicus salutem & perpetuam exoptat fœlicitatem.

INTER *reliqua præcepta, quæ in munere aliquo tribuendo, & beneficio largiendo nobis antiqui tradidêre, duo potißimum consideranda esse censet Cicero omnifariæ æruditionis parens. Vt ei largiamur, cui plurimũ debemus: nimisq; propter officia ad nostras vtilitates antè collata addicti sumus: & ei pariter, qui eo munere, quàm dignißimus censetur. Sic enim & officij, ipsius ratio postulat, & vtriusq; iuri satisfaciemus. Hæc duo me impulerunt, vt* D. Bernardino MENDOZIAE *Fratri tuo Magistro* Theologo, *& in alma* Toleti *Ecclesia* Præcẽtori *&* Canonico *dignißimo hos libros dedicarem. Nàm*

Lib. 1. de offi. non longè à medio.

& multum illi debebã, & tãta animi præstãtia præditus erat, vt non ab re ab omnibus aßiduè multis honoris titulis collaudaretur. Quandoquidem non genere solum, & familiæ vetustate verum quoque & virtute omni fuit decoratus, ciusque humanitatem, ac modestiam summamq; eruditionem cuncti admirarentur. Siquidẽ ab ineũte ætate à liberalib' disciplinis ad philosophiã se cõtulit, & ab hac tandem sacræ Theologiæ se addixit: in qua tantũ profuit, tantãq; vtilitatẽ, & emolumẽtũ in amplißima Toleti vrbe cuncto populo attulit, Vt non ab re lucerna in cãdelabro posita, quæ multis lucẽ præbebat, dici mereretur. Quas eius virtutes, singularesq; animi dotes, omnes cognouerunt, quãdo inclytã hãc Academiã gubernauit: eandemq; moderatus est. Quo tẽpore maiorũ suorum vestigia ita est imitatus, vt se illorũ hæredẽ verè ostẽderit. Quo factũ est, vt Neapoli à Prorege Marchione Patre tuo omni laude, & honore dignißimo, pariterq; ab alijs Regijs Senatoribus aßiduè in cõsilium vocaretur: vbi res adeò præclarè geßit, vt negotia illi cõmissa (cunctorũ hominũ assensu) omnibus numeris absoluerit. Tãdemq; propter eximia merita in Toletana Ecclesia, toto terrarũ orbe clarißima, & à qua veluti ex equo Troiano tot Præsules prodierũt, in selectißimũ dignitatũ, & Canonicorũ numerũ fuerit receptus. Quo in loco Christianã Reli-

gionem

gionē aßiduè prædicare nō desistebat: eādemq; doctrina, & vitæ puritate in hominū animos ita insinuabat, vt tota vrbs cōtinuo ad illū audiēdū affatim cōflueret & nullus tàm durus inueniri poterat, qui suo sermone, grauißimis verbis ac sentētijs sapientißimis pleno, & bonis artibus instituto, curisq; ac vigilijs elaborato, eruditus, atq; admonit⁹, nō perhorresceret, & plurimis lachrymis perfusus, prauâ vitâ relictâ, ad Deū Opt. Max. nō cōuerteretur. Tāta erat sua in dicēdo vis, tātàq; in propagāda Christiana Religione auiditas. Qua adeo flagrabat, vt ædificādo D. Bernardi celeberrimo collegio nuper in hac ciuitate à Generali Reformatore ordinis sui. P. F. Marco Villalua constituto, & à Sūmo Pōtifice GREGORIO. XIII. ac ab Inuictiss. Rege PHILIPPO Catholico amplificato (nā hoc ad huius inclytæ Salmanticensis Academiæ ornamentū, & decus insigne deesse videbatur) aßiduè operā dare nō cessaret. Nec solū splēdidis consilijs, perurbanisq; animaduersionibus, verumetiàm suis opibus, & facultatibus. Quarè omnes sperabamus, eū ad magnā dignitatem (quam certè eius laudes, & virtutes merebantur: & iampridem meruerunt) cito, & sine mora peruenturum. Ob hasce igitur causas, & ob alias, quas nunc silentio prætermitto D. Bernardino MENDOZIO hos labores obtuli. Verùm cùm ipse immatura morte

deceßiſſet (quod non ſine maxima mei anxietu dine, & mœrore contigit) cœpi poſt eius obitũ cogitare cui opus hoc orbatũ, ac patrono deſtitutum, offerrem. Occurrit autem illico D. tua, tùm quia bonorum fratris verus eſſes hæres, tùm etiam, quia tanta eſt tua magnanimitas, atq; animi præſtantia, vt tuis meritis munus hoc comparare velle perinde eſſet, acſi ad vaſtißimum mare paruum riuulum conferamus. Siquidem maiorum tuorum ſtemmata, mentis præſtantia, ingenij acumen, morum integritas, in bonos, & ſtudioſos omnes ſingularis beneuolentia, & liberalitas, in orando cõcinnitas, & elegantia, aßiduæ lucubrationes, indefeſſaq; in re militari ſtudia, quæ animũ tuũ ſupramodũ excoluerũt: aliæq; innumeræ virtutes, quibus aßiduè ornaris, cunctorũ hominum gratiam, obſeruationem, amorem, beneuolentiã adeo allicere valuerunt, vt Iulio Cæſari viro vtique magno non immerito aßimileris. Qui vt Suetonius eſt autor, comitate, munificentia, liberalitate, & humanitate omnes homines in ſui facile conuertebat amorem. Accipe igitur hilari vultu, Dux integerrime, munuſculum hoc, quòd videns tuum tàm propenſum in literarum ſtudia ingenium, tibi dicare decreui, vt ſit mei in te amoris perpetuum teſtimonium. Et vt in nominis tui præſidio cõſtitutum, à maleuolis inuidorũ obtrectatio-

tio-

tionibus tueatur. Nàm si non desunt, qui hoc seculo ipsi Galeno grauiter insidientur: quid non mihi, meisq; laboribus insidiabuntur? Quare tuæ partes erunt, ut obtrectatoribus istis grauiter resistas, & me ab illorum calumnijs defendas ac tuearis.

VALE.

AD IOANNEM BRAVVM PETRAFItanum Doctorem Medicum, & artis eiusdem in Salmanticensi Academia interpretem,

D. Franciscus MENDOZIVS Beraguarum Dux, & Aragoniæ Indiarumq; Præfectus

EPIGRAMMA.

Laus, & honor nomenq; tuum est memorabile [Braue,
Qui sæuum arte malum pellis Apollinea.
Munus dulce, tui ceu verum pignus amoris
Sumpsimus, id præstans ingenuumq; fuit.
Hocq; magis gratum est, q fratris nomē in illo
Perpetuos nostri viuet ad vsq; dies.
Mors illum eripuit nobis, vtriq; dolendum est,
Quòd tibi patronus, quòd mihi frater abest.
At tu, Pæonijs, quo est nemo peritior herbis,
Huic sæuo, nosti, quo medeare malo.
Ad vitam reducem traxisti fratris honorem,
Quò tibi patronus, quò mihi frater adest.
Frater vtriq; deest, sed te medicante, reuixit.
Sic tibi patronus, frater & alter ero.
Sic fiet, quantus Græcis Podalyrius olim,
Tantus apud nostros suspiciēre viros.

IOAN. CHRISTOPHORI CALVETI STELLÆ ad Franciſcum MENDOZIVM Beraguarum Ducem Epigramma.

Hunc offert nitidum Brauus, Franciſce, libellũ
Inclyte dux, generis lauſq; decuſq; tui.
Quo felix Mendoza domus, quo principe gaudẽt
Beraguæ, & clarum nomen in orbe tenent.
Quem titulis inſigniuit Regum ille Philippus
Maximus: hos factis præſtitit egregijs.
Nàm terra, atq; mari fulges virtute animoſa,
Quæ ducet nomen lucida in aſtra tuum.
Qua Bernardini fratris pulcherrima dona
Doctrinæ, atq; animi mirificè ipſe refers.
Et deſiderium Fratris, quem ferrea Clotho
Abſtulit, inſigni ſic pietate leuas:
Sicq; refers, pulchrè vt Braui, Frãciſce, libellus
Indica percurrat nomine regna tuo.
Qui ſit ſinceræ fidei monumentum, & amoris:
Quo Beraguarum diligit ille Ducem.
Quẽ celebrãt Itali, atq; Indi, Hiſpaniq; feroces
In cælum extollunt laudibus æthereum.
Sicq; tuum ſemper viuet Dux inclyte nomen,
Dùm Tagus auriferas in mare ducet aquas.

IOANNIS BRAVI PETRAFITANI DOCTORIS Medici & rei Medicæ in Salmanticensi Academia interpretis

De Curandi Ratione per medicamenti purgantis exhibitionem, Liber primus.

PRÆFATIO.

PAVCIS abhinc annis per æstatem nonnulla documenta ad purgandi ratiõé attinentia auditoribus meis tradere, & interpretari cœpi. Quæ tùm propter ingenteis æstus, tùm quia tempus instabat, quo à prælectionibus vacare solemus, vix inchoaui, tantum abest vt complere, aut præfinire potuerim. Quotquot autèm tradita fuêre theoremata

remata, adeò accommoda, & vtilia sunt visa, quòd multi ex amicis me obnixè rogauerunt, vt tractationem istam perficerem, & ad exitum vsque deducerem. Videbatur enim illis ad medicos vsus nimis præstantia, multæque efficaciæ esse futura. Quæ ego videns, illorum desiderio satisfacere cupiens, omnem hanc purgandi rationem cõficere, & exarare decreui, ab imis radicibus, ac totius rei solidis fundamentis principio ducto. Ita enim speraui ex vsu quidèm, & maximæ frugis cunctis Medicis opus hoc esse futurum. Quod eò libẽtius feci, quòd viderem, neminem hactenus ex instituto doctrinam hanc tradere satagisse, nisi obiter tantum, ac aliud potius agentem. Nam, & si Hippocrates de medicamentis purgantibus librum, & Galenus similiter alium de ijs, quos, & quales purgare oportet, conscripserunt: vterque tamèn adeò est exiguus, vt ille vix vnam paginã contineat: hic verò nondùm tres integras compleat. Auicenna aliquot de purgatione capita scripta reliquit.

Sed

quale de purgatione est? Mesues itidem refert se de purgandi ratione librum composuisse, verùm eo caremus: nec, vt arbitror, tale volumen ad medicorum manus peruenit. Iuniorum Medicorum nullus, (quòd sciam) de re hac opus condidit: cùm tamèn ipsi, & antiquorum non exigua pars de alijs Medicinæ placitis, quæ non magni momenti sunt, plæraque scripta memoriæ mãdauerint. Quarè oportebat de negotio tâm seriò, tantique momenti, & adhæc humanæ saluti tam necessario, integrũ conscribere librum. Quem cùm alij non sint commenti, volui ego id nũc moliri: quia posteros adiuuare, & amicis congratulari semper mihi in animo fuit. Vniuersum autèm opus in tres libros digessi. In primo quæstiones aliquas ad medicamẽta, & ipsorum facultates attinentes disputo. In secundo purgandi methodos trado. In tertio de re purgatrice verba facio. Quos sané diligentius, quàm potui, in studentium vtilitatem elaboraui. Nec est vt me aliquis culpet,

quòd

quòd non antea hos libros ediderim, dicens illud Ausonij Galli.

Gratia, quæ tarda est, ingrata est, gratia namq;
Quùm fieri properat, gratia grata magis.

Quia non otij amor, sed publicũ docendi munus, & consueta mihi perficienda negotia, quibus quotidie ad ægros visendos, curandosque impedior, editionem istam tamdiu distulelerunt. Sed Lector beneuole cogita, vt Cato dixit. *Sat cito si sat benè.*

Quare his nostris laboribus potire, &

Vale.

Errata sic corrigito.

Fol.9.pa.2.li.4.assequimnr assequimur. fo.9.p.2. lin.5.censura censuram,f.16.p.1.l.22.prohibet, prohibens,f.16.p.1. in margi.com. com.21. f.22.p.2.l.4.collectica,collerica,fol.38.p.2.l. vlt, calidior,calidus,fol.85,p.1.l.10.fortitus,fortitũ. fol.177.p.1.l.21.Monardus,Manardus, fol. 206. pa.1.l.vlt.cere certè, fol.277.pa.2.l.8.prorrigere, porrigere,fol.292.p.1.l.25.concoctus, concoctũ, f.292.p.1.l.25. ingerantur, superabundat, f.294. in margine super abundat Theo.4.c.1.fol.297.in margine medica vrina medicatrina.f. 298. pa.1. l.18.quare qua re,fol.307.p.2.l.15. illos, ille, fol. 312.p.1.l.18.fer.&fol.312.p.2.l.16.ab exusta ab ex vstabile.fol.324.in marg. ablato.allato,f.339.pa. 2.l.7.psondo, psendo.fo.361.p.2.l.12.intestine in testinia,fol.361.p.2. l.12.exadit,exedit,fol.362.p. 2.lib.1.veratione, venatione,fo.368.p.1.in schē. tale aurem,tale autem,f.373.p.2.l.10.color,calor

DOCTORI IOANNI ROÆ

Apud Metinenſes Artis Medicæ laude clariſſimo.

Claudius Curlet Bibliopola Salmañ. S. D.

OMne culpæ genus vt decet virum probum (ſic enim ab optimis parentibus ſum inſtitutus) cótinuò à me diriuare ſtudui. Verum ingrati animi notam ſubterfugere, quãta cura atque diligentia, ſemper curarim, prope incredibile eſt: præſertim non immemor illius ſententiæ, ſcilicet, cùm ingratum quempiam dixeris, omnia ei iurgia obieceris. Quare ROA (quæ tua eſt in leuandis morbis dexteritas) ætatis huius Macahó, oblatam occaſionem libéter arripio

exhibendi erga te bene affecti animi signum: à quo vt multa alia accepta munera silentio inuoluam, illud tacitus præterire nequeo, esset enim scelus piaculo dignum, quod mea cõiux intra domesticos tuos parietes educata tua extiterit alumna: teq; clientem habuisse, facile eius prudẽtia, rei familiaris cura, mores, atque probitas indicant. Cæterum, diebus elapsis Doctor Ioãnes Brauus Petrafitanus in Salmãticensi Academia artis medicæ interpres de Curandi ratione per medicamenti purgãtis exhibitionem edidit in lucem libellum, quem tam auide vniuersa medicorum schola excepit, vt necesse fuerit prælo mandari, verũ vt sumptibus meis, sic auspitijs tuis rem peragi maxime vellem. Patiare igitur hoc fieri, & tibi nostrũ probetur consilium, in quo ineundo nó est mihi finis vtilitas, sed amoris atq; beneuolentiæ in te significatio. *Vale.*

DOCTORI PETRO PINNÆ FVSTERO GRANATENSI bonarum artium ſcientia & vetuſti generis nobilitate clariſsimo.

Claudius Curlet Bibliopola Salmañ. S.P.D.

ACcidit mihi tecum Fuſtere vir humaniſsime, quod D. Hieronymo cum Florentio: Prius quidem cœpi te amare, quàm noſſe: fama enim, quæ toto terrarum orbe iam percrebuit, ad me quoq; peruenit, tuique amore pectus inflammatum in dies magis, ac magis incendit. Nec mirum: nam virtus, quæ in hoſte etiam probatur, quid non efficiet in viro de omnibus benè merito, cum effulſerit? Suas certè vires expromet: & vt ait Plato, mirabiles ſui amores excitabit: quin magnetis more non ferrum, ſed hominum animos ad ſe alliciẽs facile pertrahet. Loquor expertus, qui Salmanticæ agens ſæpe tui deſiderio raptus repente iſthuc, vbi es, deferor. Teſtis eſt Licentiatus

¶ Ioannes

Ioannes Lopez Serranus literis, pietate, fide, ac religione nulli secundus, qui prima inter nos amicitiæ ineundæ fundamenta iecit: de qua re plura præsens apud te disputabit cito hinc profecturus non sine mœrore, & prope communi luctu & fletu totius non solum Academiæ Salmanticensis, sed etiam vniuersæ ciuitatis, adeò omnibus carus cuiusuis generis & conditionis viris. Interdum hoc tanquam pignus amantis accipe, & qui summus in arte medendi iure censeris, euolue Ioannis Braui Petrafitani Medici præstantissimi (quem olim audijsti) opusculum de Curandi ratione per medicamenti purgãtis exhibitionem: quod nostris impensis excussum non tam dedico, quàm familiariter mitto, cupiẽdus consecrandi tibi pleraq; per me typis mandãda, vbi cognouero nõ ingratum fore huiusmodi officij genus. Vale.

(?)

IOANNIS BRAVI PETRAFITANI DOCTORIS Medici, & rei Medicæ in Salmanticensi Academia Interpretis: de Curandi ratione per medicamenti purgantis exhibitionem

LIBER PRIMVS.

Quid medicamentum, & quomodo eius facultas sit exploranda.

CAPVT I.

LICET medicamentum & medicina à medendo dicantur, latiùs tamen medicinæ, quàm medicaméti vocabulum patet: siquidem medicina non solum vniuersam medendi scientiam, quæ tot rerum notione constat, ostédit: verùmetiam cuncta alia præsidia, quæ

secundæ valetudinis gratia administrátur, designat: siue ea sint quæ proprio & peculiari nomine pharmaca, hoc est medicamé ta, dicuntur, siue cucurbitulæ, siue venarũ sectiones, siue cauteria, siue vstiones, vt ex Cicerone constat aiente: Desperatis vetat Hippocrates adhibere medicinam. Nã hoc nihil aliud est quã id quod Gale. 11. meth. c. 9. scriptũ reliquit, cũ dixit: Vbi desperata omnino salus est, imprudentis consilij est apud vulgus infamare præsidia, quę multis fuere saluti. Et rursus lib. 2. de Oratore idé Cicero, Medicus diligẽs (inquit) ægro ad hibet medicinã. quibus in locis per medici nã remedia intelligit cuiuscũq; generis fue rint quę ad sanitaté nanciscendã vel reparã dã à medicis exerçentur, cũ tamen medica mentũ tantũ de eo enũtietur quod à Gręcis φάρμακον nuncupatur, à quo vna ex tribus practicæ medicinæ partibus nomẽ desumpsit, & pharmaceutica dicta est. In quo significato dicimus medicamentorum materiam diuersis ex locis dimanasse: nam tradente Galeno, quædam à stirpibus, alia ab animalibus, nõnulla à metallis & terra, alia vero à mari & aquis sumpta est. De qua Dioscorides libros quinque & Gale. vndecim conscripserunt: & nos etiam in præsentia nonnulla dicemus, ab eius, de quo futu

Lib. 6. ad Atticũ epist. 14.

Medicamẽtum de quo enuntietur.

Lib. 1. de cõp. medica. per genera, ca. 2. & 6. simp. c. 1.

ra est disputatio diffinitione exordientes. Porro si teste Gale.lib.3.de simpl. medi. facultatibus.c.3.medicamentum ab alimẽto in hoc discernitur, quod medicamentum in qualitate alteret, alimentum verò substantiæ corporis adsimiletur, erit vtiq; medicamentum (vt idem initio citati operis docet) id omne quod naturam nostram alterare potest. aut (vt Hipp. lib. de locis in homine prope finem memorię mandauit) quod præsentẽ statũ transmouet: sicuti nutrimentũ, quidquid substantiã augere valet:refertur enim, vt idẽ Gale.ait, vtrumq; ad aliquid. Nã queẽadmodũ ipse.1.de simp. med.facult.c.vltimo,& lib.3. eiusdẽ tractationis.c.5.scribit, cùm de tẽperatura cuiuspiã rei medici loquũtur, nõ de ea loquũtur qualẽ in se vel ad sui actiones, aut quoad totã naturã collatã obtinẽt,(ad philosophũ enim pertinet hæc inuestigatio) sed hominis tantũ respectu;ita vt calidũ aut frigidũ, humidumq; vel siccũ id dicatur quod humanum corpus calfacere,frigefacere, humidumq́ue vel siccũ reddere potest. Verũ quod dicimus, medicamẽtũ illud vocari ꝙ naturã nostram alterare potest:nutrimentũ,id in quod natura nostra agit, idemq́ue alterat,non simpliciter debet intelligi, sed vt exponit Monard.li.13.epistolarũ epis.4.

3.itẽ de tẽpe.

Medicamẽti desinitio.

quo in loco asserit, alimenta & medicamenta in hoc conuenire, quòd vtraque in nos agunt & à nobis patiuntur: in hoc differre, quod medicamenta agunt quidem potius quam patiantur: alimenta è contrario, magis patiantur quam agant. Quod itidē significare voluit Gale. lib. 3. de temperam. cap. 4. dum inquit, castoreum & piper agere magis in corpus nostrum, quàm pati ab eo valent: vinum & mel ac ptissana pati magis quam agere. Et consequenter scribit: Ergo hæc omnia tum agunt circa corpus aliquid, tum vero patiuntur. Quanta verò sit alimentorum vis, quamq́ue vehemēter alita permutare queant, Aristotelis testimonio lib. 3. & 8. de historia animaliū probari nō obscure potest: quibus in locis terrarum meminit, ad quas deducta pecora mutari conspiciuntur tum in colore, tum in alijs quibusdam, quæ ne sensum quidē fugiunt, differentijs. Qui vero negant (inquit Gale.) alitum ab alimēto mutari posse, quod vincentis non victi alimentum sit nomen, hi nec de animantium, nec de plātarum transmutatione quidquam sanum dicere possunt, hallucinariq́; circa literas, nemini non manifestissime apparet. Etenim quæ de persica planta in Ægyptum translata narrātur, nemo ignorat. Similiter

Lib. 3. cap. 21. & lib. 8. c. 28.

Lib. 3. de causis sympto. capit. 2.

de

de vitibus, quæ apud nos natæ sunt, si in alienam deferantur terrã, vinũ longe diuersum reddunt: Itidem de reliquis quoque plantis rei rusticæ scriptores ostenderunt, quemadmodum & de herbis ij qui herbariam posteris tradiderunt, quippe cùm ex suis terris in alienas deferuntur, etenim minori quam duorum stadiorum interuallo non paucis alterationis differentijs immutãtur. Licet enim eius, quod alitur, munus sit alimentum sibi reddere simile, alimenti vero pathos vt immutetur alitoque simile reddatur nemo dixerit tamen id quod afficitur agenti vel minimam quandam talionem non posse referre. Ex quibus clare intelligitur (id quod lib. 3. de temp. cap. 4. literis idem prodidit Galenus) alimenta in hominis corpus aliquid facere, sed vna vel altera ingestione nec sensibile quidpiam prorsùs nec euidens, diuturnam tamen eorum exhibitionem magnopere alterare, mutareq; iam corpora nostra. Ita enim gladius licet ad secandum sit efficacissimus, vbi carnes vel mollissimas secat, obtusior redditur; ac durissimum lapidẽ aquę gutta si diutius in eum distillauerit excauare potest. Ad eundem modum & medicamenta licet nobis sint multo potentiora, à nobis tamen nonnihil affici negari nõ debet. Su-

Diuturna alimentorũ exhibitio magnopere nos alterat, mutatq; corpora nostra.

mimus hîc medicamenta presso significato, prout significant illa solú quibus homines curantur: nō fuse, quatenus venena cōplectūtur, quomodo Gale. sumpsisse visus est li. 3. de temp. c. 4. cū inquit: Medicamēta itidé sunt, & quæ nulla substantiæ suæ mutata parte, sed tota seruata integra, corpus ipsum afficiunt; cæterū grauia & naturā animalis corrūpentia; vnde & totū eorū genus deleterion & pestilens dici reor. Nō tamen sic de ijs quæ proprie medicamēta dicuntur est censendū: quippe hæc à nostro corpore nonnihil affici & permutari, non ibit inficias qui nouerit præstantissimorū philosophorū sententiā esse, Omne agēs in agēdo etiā repati, quando actiuitas patiētis excedit resistentiā agentis; nā quādo exceditur nō fit reactio; vt si gelidę guttā in feruentis aquæ amphorā inijcias, amphoræ aqua in gelidæ guttā aget, nō tamē quidquam ab ea patietur. Sic medicamēta quæ deleteriā ac veneficā posśidēt facultatē, incorpus nostrū agūt, nō tamē quidquā ab eo patiuntur. Verū quæ tali vi prædita nō sunt, in nostra corpora agūt & nōnihil ab eis afficiuntur. Quoniā vt lib. 4. de generatione animaliū. c. 3. & alibi pasśim tradidit Aristoteles: Omne agens patitur etiam à patiente, vt quod secat hebetatur ab eo quod

Omne agens in agendo repatitur.

Lib. 3. phys. c. 3. & lib. 1. de ortu & interitu. c. 7.

quod secatur: quod calefacit refrigeratur à calescente. Deniq; quodcunq; mouet, excepto primo motore, mouetur aliquo motu. E. G. quod pellit pellitur quodãmodo, quod premit reprimitur. Interdũ etiã ita fit vt quod agit magis patiatur quã agat, & refrigeretur quod calefacit, & calescat quod frigefacit. Hæc Arist. Cui sententiæ subscribit Gale. lib. 3. de temp. c. 4. scribens in hunc modũ: Omnino enim vbi duo aliqua corpora inter se commissa multo tem pore pugnant, certantq; inuicem de alterando, vtrumque eorum tum agere tum pati est necesse. Fortasse autem & si non multo tempore id fiat, attamen agit etiã id ꝙ vincitur in id quod vincit, verũ ita exiguũ, vt sensum effugiat. Nec enim si acutissimo ferro mollissimã cerã toto die ac nocte incidas, fieri potest vt non fiat manifeste obtusius. Ita nimirũ illud cõmode dici videtur, Assiduo illisu durũ cauat vndula saxũ; quippe ita quoq; fieri cernitur. Et lib. 3. de simp. med. facul. c. 8. dicebat, nõ magnopere stupẽdã rẽ esse si quidpiã eorũ quę propriè & per se sit calidũ cũ calidiori aliquo cõmistũ frigidiꝰ efficere ipsum queat: ea enim est inquit cõmunis alterabiliũ cor porũ omniũ natura vt in se agãt & patiãtur admota: quodq; minus est calidũ, à magis

 calido

calido calidius euadat: quod vero magis calidum, à minus calido cõtra afficiatur. Ex quibus clare intelligitur piperis grana corpora nostra vehementer excalfacere, & nõ nihil etiam à nobis infrigidari, seu illorum calorem remitti. Agunt itaque in nos medicamenta & itidem patiuntur, verum plurimum est quod agunt, minimũ quod patiuntur, atq; ita quidem ipsa definire oportet. Exploratur illorum facultas ex effectu quem corpori humano applicita imprimunt: nam sapores, colores, consistentiæ & odores, insufficiẽtes sunt ad inuestigandas simplicium mendicamentorum facultates. Quod siquis ratiocinando dicat, adstringentia omnia frigida esse, quia frigidi est contrahere, constipare ac condensare, facile coarguetur, cùm Galeno autore lib. 1. de simp. med. facult. c. 35. constet chalcitim, chalcanton, & mysim valenter adstringere, interim tamẽ tantam assecuta esse caliditatem, vt nos etiam exurãt. Pari modo, amara plurima frigida experimur, vt meconium & cicutam. Quod si sapores in ostendendis medicamentorum facultatibus sæpe nos decipiunt, multo magis consistentiæ, colores & odores, raritas, densitas, leuitas, grauitas decipient; quandoquidem ista minus quam sapores certitudinis obtinẽt.

Medicamenta nonnihil etiam a nobis patiuntur.

Medicamentorum facultas quomodo exploranda.

At-

Atque hinc est quod Gale.lib.3. de simpl. med. facult. cap. 3. dicat se illos castigasse qui ex aliqua istarum cuiusque medicamé ti qualitatum, existentem in singulis facul tatem inuenire tentarunt. Quapropter in experientia & iudicandi & dignoscēdi præ cipua consistet ratio, licet medicorum ple rique experientia posthabita, an rubra sit rosa, an bene olens, an amara considerent, negligentes (quemadmodum Gale.perhi- bet) vbi caput ipsis æstuat, coronis ex rosis contextis capitique impositis aut oleo ro- saceo, sic vel ipsa experientia id quod res est, discere. Atque ita quidem in sensibili- bus qualitatibus fallimur; fallemur nó mi nus si ad actiones quas in se ipsis nonnulla medicamenta exercent inspexerimus: ná ita quidem in plantis omnibus vincere ca- lidum pronuntiabimus, siquidem haud ali ter nec nutrimenti ex terra digestioné pro lixissimam, nec alterationem eiusdē, nec concoctionem, quin nec incrementum prorsus, nec germinationem, nec fructuú generationem perfici posse nisi in ipsis ca- lidum superet. Quapropter si ob ib quia in actionibus superat calidum, propterea calidum quid esse putant, planta vnaquæ- que calida erit, multoque magis animalia cuncta. Verum qui ita censent nemo ipso-

3. simp. c. 9.

rum dicet papauer, mandragorã, cicutã, salamãdrã calida esse, sed vno ore (veluti oẽs) frigida hæc oĩa existere pronũtiabũt, etiã si fateãtur animal esse salamãdrã ꝙ nutritur, crescit & mouetur, quę sane cũcta à calido in mistura ꝑfici nemo inficias it. Igitur nõ ita expẽdendæ sunt medicamẽtorũ faculta tes, sed nec ad totã rerũ naturã dijudicãdę, quippe nõ quale ex se medicamẽtũ sit nec ad naturã vniuersam collatũ cõsideramus sicut philosophi faciunt: nã hoc pacto nec acetũ nec marinã aquam nos exiccare pos se aut sicca esse facultate dicemus: siquidẽ ambo hæc actu humida sunt, nec proprio termino circunscribi, sed tantũ alieno possunt: quod esse de ratione humidorũ Ari sto. prodidit. At à philosophis quidẽ, vt po te qui de tota natura scrutantur, recte talia & quæruntur & dicuntur: à medicis vero nõ perinde recte, vtpote quibꝰ propositũ est, nõ quale ex sua natura, quodq́; sit me dicamẽtũ exquirere, verũ quid in nobis ef ficere posſit. Quapropter muriã & acetũ si nos exſiccare apparẽt, sicca dicẽt, ad nos vi delicet & nostrã naturã siccandi potestatẽ obtinentia: quin etiã & calida & frigida & humida eodem dicẽtur modo, vbi nos, sci licet, calfaciant, refrigerent atq; humectẽt, eaq́; ad nos non ad totam naturã nec ex se.

Lib. 2. de ortu & interitu ca pit. 2.

At

Atqui si huius duntaxat meminerimus, te stimonio Galeni, certissima omniũ erit indicatrix experiẽtia, quã qui relinquũt atq; aliunde ratiocinantur, nõ solũ falsa pro veris ducunt, sed etiã tractationis vtilitatẽ destruũt. Igitur medicamẽta talia aut talia dicũtur hominis cõsideratione, nõ vniuersæ naturę aut alterius animalis respectu; sic vt calida dicantur quæ humanũ corpus calfaciũt, etiã si leonẽ infrigident. At si quid nõ adeo calidũ est vt nos, nec nobis admotũ tale redditur, id tẽperie humana frigidius est, quantũcunq; in eo caliditas exuperet; etenim nobis admotũ calorẽ qui in nobis præerat aufert detrahitq;. Quippe docente Galeno, si datis duabus aquis calidis, quarũ altera plus, altera minus caleat, misceasque minus calẽtẽ magis calenti, huius certe feruorẽ extinxeris: sic si caliditatẽ rosacei, quę tepida est, caliditati indideris humanæ, prorsus ab hac quid detrahes eãq; refrigerabis. Ad eũdẽ modũ cicuta frigidũ venenũ dicitur, qa hominẽ frigiditate interimit etsi sturnos nõmodo nõ refrigeret aut enecet vti nos, sed & alat quoq;, & nimirũ etiã calfaciat; siquidẽ vt idẽ testatur Galenus, quidquid substantiã alit calidã, calorẽ eius quadãtenus & auget & tuetur, atqui corporis sturnorũ calida est substãtia, nõ modo

1. simp. c. 40.

3. simpl. c. 7.

3. simp. ca. 6. & item. 3. de temp. cap. 4.

do quà animalia ſunt, ſed etiã quà ſangui-
ne prædita. Sic elleborus purgans medica-
mentum dicitur, quia hominem purgat,
quãquam coturnicibus alimentũ ſit. Cũ
enim medicinæ ſubiectum corpus ſit hu-
manum ea ratione qua ſanum eſt vel à ſa-
nitate labitur, eademque illud quatenus
morbo ſanitatique obnoxium eſt conſide
ret, vt.1.1.doct.1.c.2. literis prodidit Aui-
cenna: Vnde illud Hippocratis lib. de vete
ri medicina, Hominem qui non nouit, me
dicinam neſcit: ſequitur, medicũ circa cor-
pus humanum (quo nullũ aliud nobilius,
nullum excellentius aut præſtantius exco
gitari corpus poteſt) verſari debere, omnia
que quę ab ipſo conſiderãtur, huius vnius
reſpectu conſideranda perpendendaq́; eſ-
ſe. Quocirca calidum dicet quidquid ho-
minem reddere calidiorem poteſt, ſicuti
frigidum quidquid frigidiorem. Verùm
in his dijudicandis memoria tenendũ ob-
ſeruandumq́; id, quod Gale. in libris de
ſimpl. medica. facul. ſæpe enuntiauit: ſcili-
cet, vt medicamentum cuius facultatem
noſſe cupimus, primùm eucrato ſiue tem-
perato corpori (quod vt. 2. de temp. cap.
4. habetur, reliquorum veluti norma quę-
dam ac canon ſtatuitur) applicetur, dein-
de ijs qui natura ſunt intemperati, tertiò

Temperatũ corpus reliquorum veluti norma quædam ac canó habetur.

ægro-

ægrotãtibus, seu illis, qui affectu aliquo te nentur, nam hoc pacto in omnibus exacte propriam eius facultatem perpendemus. Si namq́ue corpus temperatum refrigerat, frigidum est: sin calefacit, calidũ: pari modo, si biliosum refrigerat, frigidum est: sin pituitosum calfacit & ad symmetriam reducit, calidum. Itidem etiam, si calidum affectum sanat, frigidum est: si frigidum remouet, calidum. Verùm ex his deducunt aliqui, non dari medicamentum temperatum, nam hoc non alterabit corpus temperatum, sed potius fouebit & in suo statu seruabit, siquidem docente Gale. lib. 2. de simpl. medic. facultatibus, cap. 24. Quæ similia vndiq; corpora sunt à se mutuo nullam accipiunt mutationem. Quam sententiam priusquam Galenus, tradidit Aristoteles lib. 1. de ortu & interitu cap. 7. & lib. 8. Ethicorum cap. 2. quibus in locis, à simili actionem non fieri manifestis verbis asseruit: quocirca cùm medicamentum temperatum simile sit corpori temperato, nullam in id actionem exeret. Tantùm enim apud medicos quosdam hoc valuit argumentum, vt temperatum medicamentum negare non sint veriti, quia de ratione medicamenti est corpus alterare. Qui si dicerent, nullum tale dari, corporis temperati respe-

respectu, probabilia afferrent; absolute tamen tẽperatũ medicamentũ tollere, extra omnẽ rationẽ est: nã etsi non alteret corpora tẽperata, alterat tamẽ reliqua quæ tẽperata nõ sunt. Quoniã hoc de natura tẽperati esse philosophi censent, vt vtriq; extremorũ cõtrarietur opponaturq;. Cũ enim rei quidẽ mediũ, teste Aristo. id dicatur ꝙ ab vtroq; extremo ęque distat, vtrique certe contrariũ erit: scribente eodẽ Arist. li. 2. moraliũ eudemiorũ. c. 5. contraria contrarijs pugnare, extrema vero & medijs & sibi. Mediũ enim, vt ipse ibidẽ ait, vtrũlibet est ad vtrumlibet, vt æquale minore quidem maius, maiore vero minus: & temperatum calidiori frigidius, & frigidiori calidius existit. Quocirca quod se plus calidum est, frigefaciet, & quod est magis frigidũ calefaciet, & vtrumq; ad mediocritatẽ reducet: ꝙ de rosaceo prodidit Gale. lib. 3. de simp. medica. facult. cap. 11. scribens in hũc modũ: Iam rosaceũ mediã inter oleũ & rosarũ succũ temperiem posſidens (illo enim minus est calidũ, hoc autẽ magis) refrigerat quidẽ exustos, idq; caliditatis suæ tẽpore, algentes vero paululũ etiã calfacit, quod videlicet is quoq; effectus caloris sit tepidi, quemadmodũ balneæ rigentes quidem excalfaciunt, æstuantes vero refrigerant.

Lib. 2. ethic. cap. 6.

Rosacei facultas.

Itaq;

Itaq; medicamentū temperatū vtramque discrasiam remittit attemperatq;. Vnde in morbis implicitis & omnino dissentientibus, vt calida iecoris intemperie & frigida vētriculi, citra noxā aliquā summopere auxiliatur: quod non faciūt medicamēta intēperiebus ipsis contraria: quoniam si frigidam ventriculi intemperiē calidis remedijs abigere tētes, iecur offendes: sin iecur refrigerare nitaris, vētriculū labefactabis atq; misere perdes. Quapropter decet temperatis pugnare præsidijs, hæc namq; innocuè partis vtriusq; intemperiē iuuāt, & si illæ morbosæ nondū sunt, prorsus persanāt. Iuuare autē tēperata medicamenta morbosas intēperies diximus, non autē persanare, quoniā sanatio, si Gale. creditur. c. 89. artis medicinalis, per contraria æqualia affectibus qui curātur fieri debet: ita enim ait, Si decē quidē numeris ad calorē maiorē eo qui est secundū naturā decidat corpus, septem vero ad siccitatē maiorē, tunc salubrē causam in huiusmodi affectionibus esse oportebit, decē numeris quidē frigidiorē, septē vero humidiorē. Quibus verbis perspicue docet, contraria remedia tantum à mediocritate distare debere, quantum ipsum corpus cui remedia adhibentur, versus extremū alterū præter naturā labitur. Et lib. 3. de

Temperatis medicamētis quib⁹ in morbis vtendum.

Curatio fit à contrario æquali.

de simplicium medica.facult.c.12.si quod curationem postulat, inquit, multo est frigidius, necesse est quod ipsum curabit multo quoque calidius existat: sin paulò frigidius, paulò etiã quod curabit calidius erit. Vt autem vno verbo exprimam, tanto abesse à medio quod medebitur, quanto ipsum cui medela adhibetur oportet, nimirum cùm in contrarium vtriusque vergat excessus: nam quod eandem in partem cũ corpore curando, idque æquo temperamẽto recessit, id quidem idoneum non est, quod alterationem vllam inuehat: quare affectum nec lædet nec iuuabit. Quod autem minus aut plus recessit, alterabit quidem omnino affectũ: sed quod longe plus distat, protinus etiam nocebit: at quod minus est, iuuabit quidem, non tamen persanabit: ergo si affectio quidem frigida sit, at calor medicamẽti tepidus, omnino necesse est affectum iuuet quidem, verùm haudquaquam ad naturalem symmetriam reducere poterit, quare nec persanabit. Rursus, si affectio quidẽ sit parua, nempe vt à symmetra naturæ caliditate ad tepiditatẽ quãdam declinet, sitque medicamentum frigidum, omnino refrigerari affectum, lædique à frigore partem necesse est. Eodemque modo si calidior sit moderata tempe-

ratura affecta pars à similibus ipsius medicamentis, in eodem statu seruabitur, lædetur autem à calidioribus: porro iuuabitur quidem ab ijs quę se sunt minus calida, nó tamé penitus persanabitur. Hæc Galenus. Ex cuius prælonga serie liquido constat, tēperata medicamenta cùm calidis intēperiebus sint frigidiora & frigidis calidiora, vtrasq; si exiguæ sint in totum abolere: sin vero sint maximæ, remittere quidem atq; iuuare, sanare vero omnino non posse. Atque hinc euenit vt morbi compositi, qui naturis omnino dissentiunt, vti calidus iecoris affectus & frigidus vētriculi, vbi vterque incremento iam vires acceperit, quoniam contraria præsidia postulant eaque æqualia, desperati ac insanabiles plerumq; permaneant; aut si curationem suscipiant, ægre admodum difficileq; sanescant, cum nullus sine alterius noxa commode suis posit auxilijs curari, sed vsu temperatorũ, aut ex calidis frigidisq; constantiũ, vel modo horum modo illorũ vicibus alternatis.

Temperata medicamenta quid in nobis efficiant.

Quo pacto discerni debeat id quod medicamentum propria vi & de per se, ab eo quod aliena atque adscititia qualitate operatur. Caput. II.

MEdicamentorum facultates, partim ratione summaque consideratione perpendimus, partim experimento diligẽtiq; sensuum opera assequimur, plerumq; non vni fidentes sensui plurium censura adhibemus. Nec enim vt calcem frigidam credamus, (quanuis sit vt nix alba) oculorum duntaxat sensatione standum esse cẽsemus: aut rosam propterea quod rubra sit, calidam idcirco concedimus, sed oculis tactu adiuncto calcem tam calidã deprehendimus vt fortiter vrat: rosam tam frigidam agnoscimus vt leuiter nos refrigeret. Sic & in reliquis medicamentis accurata sensuũ functione cuiusq; facultatem inuenimus. Verùm ne experientia nos decipiat, considerandum animaduertendumq; est, nũ aliquid ex accidenti à medicamento proueniat; atque ab eo quod eius propria facultate efficitur, distinguendum discernendũque: quod fiet perpẽsis nõnullis, sine quorum obseruatione, de medicamentorum facultatibus nihil certe explorare valemus. Quinimo sæpe id quod de per accidens & secundariò fit, pro eo quod primariò & de per se ac vi propria emanat, vsurpamus. Dicitur enim aliquid de per se quidquã facere, (vt Gale. lib. de different. sympt. c. I. interpretatur) cum ex natura sua primò, &

Quid dicatur de per se aliquid facere, & quid ex accidenti.

suo impetu, nulliusq; rei alterius interuen tu, facit: per accidens contrà, cũ non ex se nec immediate, sed secũdario, vt E.G. rhabarbarum bilem per se euacuare dicitur, q primò & per sui naturam id faciat: per accidens vero corpus refrigerat, eo quod secũ dario & ex consequentia quasi quadam id prestet, nimirum ex illius humoris euacuatione, à quo corpus calidius reddebatur. Itaq; primũ vt hæc discernantur, & in dignotione non fallamur, danda opera est vt quodcunq; medicamentum in iudiciũ du cere volumus, expers sit omnis alienæ, tũ caliditatis, tum frigiditatis, ne videlicet natiuam eius facultatem adscititia qualitas adulteret: euphorbiũ enim quanuis sit natura calidum, niue tamen refrigeratũ, parté cui adhibetur refrigerat dum adscititiá frigiditatem retinet. Et meconiũ quanuis sit frigidum natura, igne calefactum calefacit quoad permanet calidum. Nec tamen ob id iudicãdũ euphorbiũ frigidũ esse, aut meconium calidum, nam illud adscititia frigiditate amissa, illico nos calefacit; & meconium, calorem nostrũ infrigidat etiam si calfactum prius dederis; est enim eius natura teste Galen. libr. 3, de temp. capit. eodem, frigida quemadmodum aqua. Quare (subdit) illud recte Aristoteli, sicut alia multa

Obseruatio prima.

Aristo. lib. 2. de part. animal. cap. 2.

multa dictum est, calidorum, frigidorum, siccorum & humidorum corporum quædam esse talia per se, quædam ex accidenti, sicut aqua per se quidem frigida est, ex accidenti vero aliquando calida, verùm acquisititius eius calor breui perit, & naturalis frigiditas manet. Tanquam igitur calida aqua flammę iniecta eam extinguit, sic meconium, etsi quantumuis calfactum dederis, & calorem animalis perfrigerabis, & necis periculum afferes. Ex quibus soluitur dubitatio quæ aliquibus negotium facessere posset, vtrius naturæ sunt ea quæ corpus refrigerant, tametsi ipsa calida sunt applicita: nã si energia semel calida sunt reddita, cur continuo hominem nõ calfaciũt? Sin nondum sunt calefacta, quomodo apparent calida? Atque eadem dubitatio versatur circa ea quæ natura quidem sunt calida, cæterùm actu frigida admouentur: distinguitur enim ac discernitur in omnibus quod per se frigidum est, ab eo quod est ex accidenti, sicuti Aristo. docuit; perit nãque celeriter eorum quę ex accidenti sunt talia, acquisititius affectus, ita vt in prioré naturæ suæ statum facile reuertantur; quæ distinctio ac discretio non in calidis & frigidis dumtaxat, sed nihilo etiam secius in siccis & humidis est adhibenda; quippe ali-

Dubitatio.

Dubitationis solutio.

qua

qua talium, vt tradit Gale. cum ſiccam ſubſtantiam ſunt ſortita, vbi largo calore ſunt liquata, himiditatis phantaſiam præbent, veluti æs & ferrum: quædam per ſe humida, vbi in ſincero frigore ſunt morata, apparent ſicca, ſicut glacies. Minime igitur de his omnibus faciendum abſolute & ſine vlla exceptione iudicium eſt, ſicut in ſuperioribus monuimus, ſed cum eo, vt quémadmodum ſe ſe in calore frigoreq́; habeát, conſiderentur. Siquidem ſi exiguo prædita calore nihilominus humida cernuntur, talia eſſe ex propria natura ſunt cenſenda, tametſi cum copioſo calore ſint ſicca: quæ vero vel ſub feruēti calore fluunt, vel ſub puro rigore ſunt concreta, ne horum quidem altera per ſe humida, altera per ſe ſicca ſunt exiſtimanda. Cæterum quod diximus tepidum & alienæ qualitatis expers adhibendum eſſe medicamentum, intelligendum eſt dum exploramus eius naturam: nam vbi iam cognitum eſt tale eſſe, nempe frigidum, & deinde curationis cauſa aſſumitur, Galeni ſententia, rectius frigidum adhibetur, niſi ſi medicamen ſummi ſit frigoris, morbus in ſummo caloris non ſit. Et prima quidem admoti medicamenti obſeruatio talis eſto. Altera eſt vt non cuilibet corporis affectui applicetur, ſed

Lib. 3. de tēp. cap. 4.

Lib. 3. de tēp. c. 5. in fine.

2. obſeruatio Galen. 3. de temp. c. 5. & 4. ſimpl. c. 7

quoad fieri maxime posſit ſimpliciſsimo: ſi nanque in compoſito aut implicito morbo, contrarias maxime indicationes præbẽte adhibitum, confert, non poſſumus bene naturam eius explorare. Exemplũ poſuit Auicenna in febre quotidiana, in qua agarico ſumpto, ſæpe febris remouetur: nõ tamen ob id iudicare debemus, agaricũ eſſe frigidum, quia ægritudini calidæ, febri ſcilicet, contulit, nam hoc nõ fecit de per ſe, ſed ex accidẽti, media ſcilicet euacuatione humoris pituitoſi, quo deficiẽte febris ceſſat. Rurſus, non ex eo quod rhabarbarũ curet febrem tertianam, arbitrãdum eſt illud eſſe frigidum, aut curationẽ à ſimili fieri: quia rhabarbarum licet morbo ſimile ſit, eius tamen cauſæ primũ & per ſe aduerſatur, febri autẽ ex accidenti, hancque tollit non per ſe, ſed dũ ipſius cauſam expurgat, quomodo laſsitudinẽ exercitatio lenit, eo ꝙ humorẽ ꝑ muſculos effuſum diſcutiat; & vomitionẽ ſedat vomitio, quia porritãtẽ humorẽ euacuat: & dyſenteriã purgatio leuat, noxia materia illam efficiẽte detracta. Verùm nõ huiuſmodi remedia hìc ſcrutamur, ſed quę primũ & per ſe effectũ producũt. Sic aloës morbo calido & frigido auxiliatur, nõ tñ vtriq; primario, ſed frigido de ꝑ ſe, quia natura calida eſt, calido verò de

Lib. 2. tract. 1. cap. 2.

per

per accidés, quoniá ei⁹ materiá educit. Cóuenit rursus, vt medicamentú cuius vim noscere cupimus, affectui cui admouetur æqualiter opponatur; vt si calidus in summo affectus sit, frigidú quoq; in summo medicamétú paretur: si affectus à summo paululú decedat, medicamétú quoq; à summo paululú declinet: si plus à summo calore absit affectus, ad portioné absit à summo frigore medicamé. Et tandé pro modo simplicis affect⁹ etiá viriú medicaméti inueniatur modus: sunt enim (ait Auicéna) medicamenta quædá quorú caliditas remittitur adeò à frigiditate ęgritudinis alicuius, vt in eá penitus nó agát. Quare subdit, oportere vt experiatur prius in debiliori, deinde paulatim ad intensum vsq; per gradus fiat progressus, ita enim nó te eius latebit virt⁹. Ex quibus aduersus illos colligitur qui tépera tú medicamentú dari posse negát: ná si medicaméta remissę caliditatis, autore Auicéna, in morbú intensè frigidú nó agunt, aut corú sic latet actio vt penitus nó percipiatur, nec tñ ob id medicaméta dici desinút: idé profecto in téperato medicamento tenendú: hoc nanq; etsi nó alteret téperatú corpus, alterat tamen cætera alia quæ per aliqué excessum à téperamento recedunt. Nam, etsi verum sit (quod etiam annota-

Tertia obseruatio.

Lib.2.tract.2. cap.2.

Vbi sit prius

 uit

Lib.2. practicæ cap.2.

uit Haliabas) præstantiorem celerioremq; facultatum medicamentorum cognitioné quæ per experimentum ducitur, in corporibus fieri temperatis, non tamen ob id negandum, illam, quam in lapsis aut ægris experimur, sua laude & certitudine carere. Ob id enim, vt arbitror, Galenus in pluribus eisdemq; differentibus præcepit medicamentorum experimentum facere, vt si in vno illud non responderet, in cæteris faceremus ne ob experimenti defectum medicamentorum facultates incognitæ remanerent. Id tamen quod Auicenna inquit, esse medicinas quasdam, quarum caliditas minoratur à frigiditate ægritudinis alicuius, quare penitus in eam non agere, ambiguitatem non exiguam alicui parere posset: nam his verbis videtur manifeste reactionem seu reciprocam actionem tollere, quam philosophi omnes admittunt, nedú Aristo. & Gale. Verùm dicendum, Auicennam non ire inficias, medicamentũ remisse calidũ, in morbũ intense frigidũ agere, sed negare actioné hanc vnica admotione esse sensibilé, seu quæ sensibus notari possit. Simile quidpiá scribitur à Galeno li.3. de causis sympt. cap.2. dum ait: Constat, ré omnem, etiam si fuerit multo potentior, affici ab illa cum qua versatur, idque sensu

Lib.2. tract.1. cap.2.

Auicénæ sententia explicatur.

haud obſcure percipiente: quod ſi ad primam applicationem latet, temporis tamē progreſſu facile apparebit. Quibus verbis non vult victum in vincens prima applicatione nihil agere, (agit enim ſemper aliquid etiam prima ipſa applicatione) cēſet tamen id adeo eſſe exiguum vt ſentiri nō poſsit: quo fit vt in medici cōſiderationē, qui ſenſibiles tantum alterationes aduertit, non veniat. Quam ſententiam manifeſte ipſe tenet lib. 3. de temp. cap. 4. vbi quaſi ſe ipſum interpretans in hunc loquitur modū: Omnino enim vbi duo aliqua corpora inter ſe commiſſa multo tēpore pugnant certantq; inuicem de alterando, vtrū que eorum tum agere tum pati eſt neceſſe: fortaſſe autem etſi non multo tempore id fiat, attamen agit etiam id quod vincitur in id quod vincit, verùm ita exiguum vt ſenſum effugiat. Nec enim ſi acutiſsimo ferro molliſsimam ceram toto die ac nocte incidas; fieri poteſt, vt non fiat manifeſte obtuſius. Ita nimirum illud commode dici videtur: Aſsiduo illiſu durum cauat vndula ſaxum, quippe ita quoque fieri cernitur; cæterum ex vno aut altero ictu iam nihil adhuc euidēs videre in talibus licet. Ex quo factum arbitror, vt nonnulli quædam ab admotis ſibi nihil prorſus pati opi-

Medicus ſenſibiles tantū alterationes animaduertit atque cōſiderat.

Exemplū de vndula lapidem icientē.

nati sint. Et cedendum quidem est ita loquentibus, sæpe vero nobis quoque ipsis eodem pacto plerumque loquendum est, nisi sicubi ad vltimum examen disputationem perducimus, quemadmodum in præsentia facimus. Sic igitur ἀειπαθείας, id est nunquam deficientis affectionis dogma, ijs vtique qui solum id ratione ipsa existimant, valente demonstratione non caret: non est tamen eius ad priuatas singulatim obeũdas actiones vllus vsus. Si namque adeo exigui affectus sint, quibus assidue afficimur, vt nulli actioni sensibile & manifestum incommodum afferant, facile profecto contemnendi sunt, atque ei qui affectus id genus nullos esse dicit, non repugnandum. Perinde igitur habet & in ijs quæ nutriunt, prope dixerim omnibus: quippe ipsa quoque in corpore hominis aliquid faciunt, sed nec sensibile aliquid prorsus nec euidens: diuturna tamen eorum exhibitio magnopere alterat mutatque manifeste iam corpora. Hæc Galenus. Quæ sane cuncta itidem confirmat lib. 1. de locis affectis cap. 2. dum ait, posse aliquas affectiones in corpore consistere, quæ ob exiguitatem nondum apparent, vt gutta longo temporis tractu saxum excauans, plane manifestat,

Diuturna alimentorũ exhibitio magnopere corpora alterat. Aliquæ affectiones in corpore consistunt, ob exiguitatem tamen non apparent.

stat; de qua re carmen hoc proditum est:
Mollior assiduis saxum cauat ictibus vnda:
Nec enim vel vnus, vel duo, vel tres, vel quatuor aquæ ictus saxum ferientes, cum ne centesimus quidem sensibiliter videatur saxum excauare. Nec etiam fieri potest vt primo nihil efficiente alter aliquid faciat, quippe qui habet eandem quam primus habuit ad saxum rationem: ergo si secundus ictus in saxum quippiam effecerit, ipsum à primo mutatum quid fuisse necesse est, vt non omnino idem quale ab initio fuerat permanserit. Etenim si ipsum vndiquaque idem permaneat, atque agens quoque in ipsum, causa, nempe aquæ stilla, necesse est quemadmodum à primo ictu non affectum est, ita nec à secundo: quod si fateare, nec tertius quoque ipsum afficiet; haud secus de quarto & quinto & reliquis deinceps omnibus dicendum, quippe de omnibus eadem est ratio. Etenim quoad eodem modo se habente saxo, eadem quoque causa accesserit, nihil amplius efficietur: quod si à millesimo ictu sensibilis videatur in saxo cauitas, ad singulos ictus affectus in saxo nunc primum sensibiliter apparentis, millesima pars referenda est. Quum itaque causæ agunt

in corpus, species affectus ab initio est eadem, tamen ob exiguitatem non apparet. Atque Galenus hactenus. Ex cuius prælõgis seriebus liquidò constat, omne agens dum agit pati etiam aliquid à patiente: & omne patiens dum patitur nonnihil etiam in agens agere: non tamen hoc fit secundú easdem partes, (ne fateamur, idem simul esse agens & patiens, quod absurditate nõ caret) sed secundum diuersas, nimirum agens agit sua actiuitate, patitur resistẽtia, & patiens similiter: itaque agens agit in resistentiam patientis, non in eius actiuitaté, & patitur per resistentiam, non per actiuitatem. Huiusmodi actiones interdum sunt sensibiles, interdum vero sensum fugiunt; atque ita quidem (vt arbitror) prædicta Auicennæ sententia deducenda & explicanda est; quam mihi videtur sumpsisse ex Galeno lib. 3. de temp. cap. 5. quo in loco ait: Ita vero etsi quod frigido affectui admouetur nullum afferat calorem, videndum est num id cum sit aliquid mediocriter calidum nihil egit in affectum qui summi indiguit caloris. Attulit & aliá causam Gale. cur aliquando summi caloris morbũ mediocriter frigidum medicamen non alteret, dicens, quia refrigerando densandoque summum extrinsecus corpus, caloré

Omne agens dum agit patitur etiã aliquid à patiẽte.

Auicẽna suã sententiã ex Galeno desumpsit.

intro

intro concludit ac difflari vetat, indeque affectum magis ac magis accendit. Sed de his satis. Quare ad propositũ reuertamur. Magnum porro calido & simplici affectui adhibiti medicamenti frigiditatis argumẽtum est, si tum protinus tũ toto deinceps tempore frigoris sensum ac faciliorem tolerantiam, iuuamentumq́; laboranti afferat: quod si ita adhibitum, calidum affectũ prorsus sanet, frigidum id ex necessitate fuerit. Itaque quod protinus vt applicatũ corpori est, & deinceps toto applicationis tempore, continenter & assidue calfacere vel refrigerare manifeste cernitur, id vtique & ex se & per se tale fuerit: quoniam (vt inquit Auicenna) res naturales procedunt à principijs suis aut semper aut secũdum plurimum. Cæterum si primo occursu refrigerat, deinde temporis progressu caloris sensum inuehit, non est cur hoc calidum de per se iudices. Veluti iuueni quadrati corporis, tetano æstate media laboráti, Hippocratis testimonio, frigida liberaliter affusa caloris repercussum facit; calor autem morbum soluit. Cæterum quòd aqua frigida per se non calfecit, ex primo eius occursu patet, sensum namque inuehit frigoris: præterea cutim quoad ei affunditur frigefacit, tum calorem nec in omni

Quarta obseruatio.

Lib.2.tract.2. cap.2.

5.Aphor.21.

corpo-

corpore, nec dum affunditur inuehit; imo tantum in iuuene corporis quadrati, & bene carnoso, & æstate media, & postquam à perfundendo est cessatum. Ex quibus clare intelligitur, non sua vi & primario frigidam affectum tunc sanare, sed ex accidenti & secundario: quoniã in iuuenibus bene carnosis reuocationem caloris facit. Vnde & illud etiam fit manifestum, operationes de peraccidens & secundarias, interdũ pluris haberi, & excellentiores esse quam primarias & de per se: ob illasque tantum, causas ipsas quæ illas excitarunt experiri: nam purgationem in acuto morbo non adhibemus ob igneam febris caliditatem, hanc enim scimus sua ratione esse nocituram, sed propter humores illam efficientes. Quare maiorem oportet ex noxiorum humorum euacuatione fieri vtilitatem, quam id quod necessariò consequitur, ex purgantibus medicamẽtis detrimentum. Pari modo in iuuene tetano laborante nõ aspergimus frigidam ob refrigerationem, (cùm hæc in affectu frigido admodum sit noxia) sed propter caloris ad intima reuocationem atq; augmentum, quod de per accidens ac secundariò frigidæ aquæ perfusionem fuit sequutum. Indicium vero ac documentum quod frigida haud quaquam

Operationes de per accidens & secũdarias interdum pluris haben quam primarias & de per se.

Galen. libr. 1. apho. cõ. 24. & libr. quos purgare oportet.

Indiciũ quod frigida per se calorem non auget.

quam per se calorem auxit, est quia per se quidem cutem perfrigerauit, eius vero perfrigerationem densitas & reditus caloris ad profundum sunt consequuta. Rursus horum densitatem quidem difflatus prohibitio; reditum vero ad interiora, concoctio consummatioque, qui isthic sunt, succorum est assequuta: horum vero difflatus prohibitio, caloris colligendi, succorum concoctio eiusdem generandi fuit occasio. Porrò horum vtrumque natiui caloris sequitur auctio. ergo intercedẽtibus medijs vtrisque, frigida in animalis corpore caloris aliquando excitat incrementum per se nunquam nec calorem auget, nec tetanum sanat; atque ob id non in alio quam in iuuene bene carnoso & æstate media adhibetur, quoniam (docente Galeno) aquæ frigidæ occursus aut vincit natiuum calorem, aut colligit: vincit quidem, cum debilis fuerit; colligit autem cum fortis ipsum difflari prohibens.

Libr. 5. aph. com. 21.

Medicamenta quot modis dicantur, ac de multiplici ipsorum facultate. Cap. III.

POssemus quidem protinus à medicamentorum definitione ipsorum diuisionem

ſionem tradere; verumtamen vt legentes, ea quæ deinceps dicenda ſunt, propenſius aſſequantur, illam adhunc vſque locum diſtulimus: ac primò quo pacto medicamentorum exploranda facultas ſit, ac diſcernédum id quod de per ſe ab eo, quod de per accidens à medicaméto ipſo prouenit, diſſeruimus: nam vt Ariſto. ait, non à primo & rei principio aliquando inchoandú, ſed vnde quis facilius diſcat. Medicamentum itaque duorum generum eſt: quoddá ſimplex, cópoſitú alterú. Simplex id dicitur quod ſecundum naturam ſyncerum eſt, hoc eſt nulla externa miſtione concinnatum, ſed ea ſola concretum quam à natura adeptú eſt. Nam etſi verum ſit (quod Gale. itidem teſtatur) omnia prope modum medicaméta etiam ſi ſenſu ſimplicia appareant, natura tamen eſſe compoſita, quin & ſubinde quoque diuerſiſsimas in ſe ſe obtinere facultates, nempe excernendi & ſiſtendi, incraſſandi & extenuandi, & alias huiuſmodi; non hæc profecto compoſitio eſt quam in præſentia diſquirimus, vt pote quæ tota non extrarijs ſed intrinſecis principijs cóſtet. Ea enim ſola compoſita nunc vocamus, quæ ſynceritatem quam à natura nacta ſunt, amplius non retinent, ſed alienis rebus confunduntur atq; miſcentur. Quo

Lib. 9. metaphy. cap. ..

5. de ſimpl. med. facult. cap. 14.

circa, ſimplex id erit medicamẽtum, quod natiua ſynceritate pollet, nec alienæ ſubſtantiæ conſortio miſcetur, cuique nulla alia res medici opera acceſsit. Compoſitũ verò erit quod ex multis ſimplicibus medicaminibus arte & induſtria admiſtũ eſt; ita enim nunc compoſiti nomen audiendum eſt; non prout vel ex materia & forma, vel ex elementis cõſtat; ſic enim nihil quicquã corporeũ ſimplex inuenire licet; cũ autoribus Hippocrate, Ariſtotele & Galeno corpora omnia quæ elemẽta nõ ſunt ex elementis quatuor conflata ſint: & ipſa elementa quemadmodum & corpora reliqua ex materia & forma quæ ſunt prima & ſimpliciſsima naturalium rerum principia conſtituantur: nec prout ex pluribus & inter ſe diuerſis, ac interdum contrarijs viribus à natura conſtitutum eſt, vt aloê, rhabarbarum, braſsica, roſa, abſynthium, quod ea conſtitutio non arte, ſed à natura fiat, & non ex diuerſis aliunde adiectis ſubſtantijs, ſed internis & à natura productis miſceatur. Igitur compoſita medicamenta nobis hoc loco appellantur, quæ miniſter naturæ medicus, & imitator, ex varijs ſimplicibus eadem aut diuerſa virtute pollentibus commiſcuit, vt ſit nimirum compoſitio nihil certe aliud quam medicamento-

Medicamentum ſimplex quod dicatur.

Cõpoſita medicamẽtaque appellentur.

rum viribus diuersorum cũ ratione à medico facta mistio: quamuis nonnulla composita medicamenta quæ paucioribus simplicibus, quam alia eiusdem generis constãt, simplicia medici vocare consueuerũt. Qua ratione diatrion pipereon, quoddam simplex, medicamentosum aliud à Galen. præparatur, lib. 4. de sanitate tuenda, cap. 5. Ad quem etiam modum Mesues diaprunem, vnum simplicem, compositum alterum concinnat: idem in oxymellite, oxysacchare & plerisque alijs facit; & practici fere omnes multa eiusdem generis simplicia vocare in vsu habent, quæ re vera composita sunt, & ex diuersis substantijs arte paratis atque confusis concreta. Simplicia medicamenta compositis priora sunt tempore, natura & doctrina: illis quidem, quia natura simplicia ante composita produxit: doctrina, quoniam simplicium cognitio compositorum cognitione prius habenda est, dicente Galeno lib. 7. de comp. med. secund. locos, cap. 1. prope finem, compositis medicamentis eum solum recte vti qui singulorum simplicium pharmacorum vires nouit, & lib. 8. eiusdem tractationis in initio subdit: Compositorum differentias cognosces; si simplicium facultatem memoria tenueris, neminemque posse, subdit,

Simplicia medicaměta cõpositis priora.

Cap. 1. in fine.

dit, rationabiliter & secundum methodum compositis vti, qui ea non nouerit, quæ in libris de simplicium med. facultat. prodita sunt. Arbitrantur nonnulli, composita medicamenta improbari debere, solisque simplicibus in morborum curatione vtendum esse, moti Plinij testimonio, libr. 22. capit. 24. vbi ait: Non fecit cerata malagmata, emplastra, collyria, antidota parens illa ac diuina rerum artifex: officinarum hæc, imò verius auaritiæ commenta sunt: naturæ quidem opera, absoluta atque perfecta gignuntur. Verumtamen qui intimius rem ipsam speculantur, haud dubie censent, causas multas non vtiles tantùm, sed etiam necessarias medicos impulisse vt medicaméta componerent; quas nunc recensere oportet. Vt enim remedia inueniendi prima indicatio, (si Galeno creditur initio, lib. 3. meth.) ab affectu ipso præter naturá sumitur, cum absurdum sit, quemadmodú ipse ait, aliud esse quod curetur, aliud q̃ curandi indicationem præscribat: sic ab eo dẽ prima componendi medicamenta ratio orta est: nam vt idem Galenus libr. 1. de compos. med. per genera, capit. 3. scribit, si solis simplicibus medicamentis omnes affectus præter naturam curare liceret,

Plinius cõposita medicamenta videtur improbare.

Medicamétorũ cõpositio necessaria.

nullus vnquam vsus foret compositorũ: At hoc nunc ita comparatum nõ est quippe simplex affectus simplicem exhibet curatricem indicationem: compositus, compositá. Quod si vno simplici remedio præsente affectum simplicem curare poterimus, id adhibebimus compositione neglecta: si vero id simplex quod nobis ad manũ est, valẽtius aut inualidius existat, quã affectui conueniat, aut, vt Hippocrates dixit, colore, odore, sapore, consistentia, vel alijs huiusmodi qualitatibus ægro displiceat, mistionis iam insurgit necessitas eorum quæ vires minuant vel augeant, vel coloris, odoris, saporis, consistentiæ absurditatẽ corrigant & emendent. Exempli gratia, si affectus sit intemperies partis alicuius, vel corporis totius duobus à mediocritate recessibus calidior, duobus etiam gradibus frigidius vt profligetur postulat medicamentum: desit autem hoc, habeat tamen forte ad manum medicus tantum simplicia duo, vnum primo recessu frigidum, atque ob id imbecillius; alterum frigidũ tribus gradibus, & ob id valentius quam proposito affectui conueniret, vtrũque æquis portionibus mistum facit medicamentum frigidum gradu secũdo malo præsenti curando idoneum. Quomodo vinum per se

Lib. 2. de victu acut. com. 21.

Gale. lib. 1. de comp. med. per genera. capit. 3.

tiam

ſitim non extinguit, quia calidum, nec acetum, quia ſiccum; ſed nec aqua cito per ſe, quia tardius permeat & diſtribuitur: miſta autem aqua alterutri horum certa menſura, hoc eſt, copioſum eius pauculo alterutrius, ſitim probe extinguit: nam hæc vini caliditatem & aceti ſiccitatem ſua frigiditate & humiditate corrigit: tam vinum autẽ quam acetum, vt Galenus docet, eſſentiæ ſuæ tenuitate ipſi aquæ celeritatem, & in omnes corporis noſtri partes permeandi promptitudinẽ impertit. Sic in œdemate teſtimonio eiuſdem Galeni, pituitam quæ in partem affluxit, aqua quæ parum aceti habuerit, cum ſpõgia admota vacuat: quorum nullum, acetum ſcilicet & aqua, per ſe id præſtare poterit. Qui vlceri cauo medetur, ſi thure, iride, ariſtolochia, erui farina, radice panacis, & alijs huiuſmodi vlceri cauo idoneis caret: habet autem tantùm ceram & æruginem, vel oleum & ęruginem, quæ ſimplicia inter ſe ſunt maxime contraria, & affectui curando nocentiſsima: quia cera per ſe & magis etiam cum oleo roſaceo vel communi in ceratum liquidius effuſa vlcus facit ſordidum, dicente Galeno, oleum cauo vulneri infuſum aduerſiſsimum omnium medicamentum eſſe, cum ſi ita mederi velis, vſu ipſo intelliges ſordi

Li.1. de ſimp med. facul cap.31.

Lib.14. meth c.4. & libr. de arte cura tiua ad Glau cap.3.

Lib.3. meth cap.2.

dum ac male olens vlcus fieri: quia nec tergit nec ſiccat, quæ duo carni gignendæ ad vlceris cauitatem implendam ſunt neceſſaria: ærugo autem ſola erodendo & excedendo vlcus magis cauat & phlegmonen excitat, ac eroſionis ſenſum facit, & partem calidiorem, rubentiorem, ac tumentiorem reddit. Vtrumque igitur per ſe vitãdum eſt: Miſta tamen debita menſura, prout corpori quod curatur conuenit, ſarcoticum, collecticum & epuloticum medicamentum Galeno efficiunt præſtantiſsimum: quia ex hac miſtura cera valentius, ærugine imbecillius redditur. Ergo non temere veteres medicamenta ex contrarijs miſcuerunt, ſed ratione ipſa monſtrante viam, & compoſitionem inueniente, de cuius bonitate experientia poſterior decernit. Vſus porro medicamentorum compoſitionis eſt maximus in affectibus cõplexis, diuerſas ſimul facultates, interdum cõtrarias deſiderantibus, vt repellendi ſimul & digerendi, detergẽdi ac læuigãdi, incraſſandi & attenuandi, incidendi & tergẽdi humores. Qua ratione in phlegmones incremento tepida & mediocriter conſtringentia adhibere, iubet Gale. lib. 3. de ſimp. med. facult. c. 10. ſic vbi vlcus eſt cũ phlegmone, quæ hanc curant refrigerãtia, vlcus mor-

Lib. 3. meth. cap. 2.

3. de comp. med per gene ra cap. 3.

mordent & insuppurabile reddunt, vt Hippoc. est autor: quæ verò vlcus detergunt siccantq; , phlegmonen exacerbant. Quapropter componendum medicamentum est in quo vtriusq; talis curatrix methodus habeatur, vt vtriq; iuuetur, & neutri magnopere incommodetur. Sed tamen eo casu, phlegmones maior est habenda cura, quippe citra cuius curationem vlcus nunquam sanescere posit. Idem statuendum medici censent vbi affectus causa adhuc præsens in corpore, & ipse affectus naturę sunt diuersæ, vt in quotidianis & quartanis febribus videre est, in quibus causa materia est frigida, morbus vero calidus, vtriusque ergo per medicamenta ex contrarijs viribus constantia ratio habenda est, sed magis vrgentioris, quemadmodum in hydrope cum febre complicato. Compositione etiam opus est, cùm simplicibus medicamentis etiam curando affectui simplici vel cõposito idoneis, facultates alię insunt noxiæ & deleteriæ, aut amaritudinem & horrorẽ præ se ferentes, quibus nonnulla adijcimus aliquando viriũ ipsarũ vehemẽtiæ obtundendæ, interim insuauitatis mitigandæ gratia, quemadmodum Hipp. lib. 2. de rat. vict. quæ in morbis seruatur acutis hisce verbis docet: si sub transuerso septo

Lib. 5. aph. 20.

Compositionis medicamentorum alter vius.

Commentario 2.

dolor ſit, ad clauiculam vero ſignum non fecerit, emolliendus venter eſt vel nigro veratro vel peplio: veratro quidem, daucum vel ſeſeli vel cuminum, vel aniſum, vel aliud quid odoriferum miſcendo, peplio autem ſilphij ſuccum. Quam ſententiam poſtquam retulit Galenus libr. 3. de comp.med.per genera cap.3.inquit, hac dictione manifeſtò Hippo.vſum quidē pharmaci purgantis eſſe oſtendit, ſed inſuauitatem eius in potu, moramq́ue in ventriculo, condimentum requirere: multa ſiquidē quæ bibuntur pharmaca tam ſunt aſſumentibus inſuauia vt ſtomachum ſubuertant, vomitumque protinus cieant; quædam, licet paululum in vētriculo manere poſsint, poſtea tamen euomantur cum prauas eructationes mouerint. Hæc Galenus. Ad eūdem modum ſcamonio cholagogo medicamēto alia miſcemus frigida, craſſa, aſtringentia, partes principes roborantia, vt illius calori, & tenuitati, ac diſſolutioni partium principum occurramus. Sic opium, caſtoreo; hyoſciamum allio; cepa ſemine raphani; mādragoræ corticem abſynthio, ſinapi, frigida ſcilicet calidis attemperamus: deleteriam que aut venenatam facultatem obtinentia eis quæ malitiam eorum caſtigare valent, obtundimus, vt in theriaca & mythridato

Hippo. à Galen. citatus.

thridato, alijsque multis facimus. Alia causa medicamenta componendi, partium ad quas illa ferri volumus, extitit natura, & viarum per quas transitura sunt longinquitas: vt si habemus medicamentum liberandæ parti ab obstructione idoneum, pars autem ea est iecur, aut lien, aut renes, aut viscus aliud, miscenda sunt liquida, tenuia, & quæ totius substantiæ similitudine visceri ipsi sunt familiaria, quæq; medicamentum aut medicamenti facultatem ad partē malo obsessam deducāt, eandemque roborēt, si ob actionis præstātiam robore ipsa opus habet: vt eupatorium hepaticis, asplenium spleneticis, betonicam nephriticis permiscemus; quanquam hæc in iecore peculiarium liquidorum & tenuiū mistura, vt ad viscus ipsum deferantur ob loci propinquitatem opus non habent. Quod arbitror Gale. voluisse lib. 5. de simpl. med. facult. cap. 12. vbi de poros purgantibus medicaminibus verba faciens, ait: Sed tamen istis varie vtendum in quoq; viscerum est: ad iecur, ipsis per se duntaxat: ad lienem vero, mistis aceto, aut eis incoctis; ad thoracem pulmoneque, melicrato, ptissana, oxymelite aut dulcium vinorum cuipiam. Eadem viarū longitudo (si eidem Galeno creditur) causa est vt in hæmotoica viscosis ac obturantibus

Compositionis medicamentorũ causa alia.

Galenus explicatur.

Li. 7. de cōp. med. secund. locos cap. 4.

tibus medicamentis, calida alia & tenuium partium congruenti mensura misceantur, quæ nimirum vasorum apertioni, ruptioni, & corrosioni infestissima existunt; miscentur tamen distributionis illorum in corpus gratia. Etenim adstringentia & viscida ac tenacia sibi ipsis vias præcludunt, quare opus habent facultate ipsis vias struente ac præparante. Verùm cum ex locis circa stomachũ aũt aluum aut aliquod intestinũ sanguis educitur, huiusmodi pharmacorũ mistura (vt idem Galenus ait) opus nõ est. Natura porro partis efficit vt medicamenta partem eam respicientia, ipsius affectionem curantibus misceantur, vt eandem roborent & ad illam (vt dictum est) medicamenta deferant: ad quem sanè modũ agaricum hyssopo permistum pituitam educit ex thorace: permistum vero stęchade, cerebrum melius expurgat. Sic capparis cortex sennæ mistus atræ bilis purgationem ex liene iuuat. Medicamentorum facultates multiplices sunt, & quæ facile numerari non queunt: nam præter primas calfacientes, refrigerantes, siccantes, & humectantes, aliæ multæ sunt quas vocare possumus secundas & tertias: quæ ab operibus quæ medicamenta ipsa edere nata sunt, nomina desumunt. Hæ

Medicamẽtorum particulares facultates multiplices sunt, & quæ facile numerari non queunt.

autem

autem ſunt rarefacientes, condenſantes: emollientes, indurantes, illinientes, extergentes, attrahentes, repellentes: adhæc laxantes, contendentes, ora reſerantes ac contrahentes: incraſſantes, extenuantes, dolores ſedantes, ac excitantes (illas anodinas, has odiniras vocant) item concoquentes, pus mouentes, per halitum digerentes, ſudorem prouocantes, ſoporem conciliantes, ſtuporem accerſentes, putrefacientes, vrentes, erodentes, cruſtam facientes, fundentes, denſantes, attemperantes, purgantes, ſiſtentes, exaſperantes, lenientes, infarcientes, ac à fartu liberantes. Item vrinas cientes, vomitus proritantes, ventrem ſubducentes & lubricantes, per nares & os purgantes (quas errhinas & apophlegmaticas appellant.) Præterea menſes mouentes, aut comprimentes, lac generantes & auferentes. Sũt rurſus aliæ, quibus à partibus quas iuuant nuncupationes ſunt inditæ, ſic à iecore vocamus hepaticas, à liene ſpleneticas, ab auribus oticas, ab oculis ophthalmicas, à dentibus odonticas, à coxa iſchyadicas, à renibus nephriticas, à pedibus podagricas, ab articulis arthriticas, à coſtis pleuriticas, à tuſsi bechicas, à calculis commi-

comminuendis λιθωνθρυπτικῶς. Pari modo quædam dicta ſunt, à procreanda in vlceribus carne, facultas ſarcotica; ab inducenda cicatrice, epulotica: à glutinando, colletica: à purgatione, cathartica: ab excreſcentia carnis detrahenda, cathæretica. Et quanquam Galenus dicat fere numerari non poſſe omnes particulatim facultates, ſi ab vnoquoque ſingulatim eorum quæ perficiuntur deflexa illis imponere nomina aggrediamur, præclariuſque ac methodo dignius eſſe ſi miſſam facientes orationem tũ prolixam, tum confuſam, commodis ſpeciebus compoſitas medicamentorum facultates compendio definiamus, non puris mouendi aut mitigandi, aut doloris ſedandi, aut per halitum digerendi aut laxandi in triticeæ farinæ cataplaſmate facultatẽ ineſſe dictitantes, ſed ſatis eſſe modice tũ humidam; tum calidam dicere, ſimiliter & irim non vrinas aut menſes prouocans aut bechicum eſſe medicamen aut pleuriticis aut peripneumonicis aut purulentis congruere, aut morbis comitialibus & ſpaſmis & palpitationibus & tremoribus & ruptionibus, & ſpaſmatibus prodeſſe, nec carne implere aut purgare ſinuoſa vlcera, aut lateris, iecoris, lienis ve dolores ſedare, nec cheredas diſcutere, aut carne oſſa implere, ſed

Li. 5. de ſimp. med. faculta. cap. 2.

ſed ſufficere dixiſſe calidam hactenus ſic-
camq́ue & eatenus tenuium partium illi
obueniſſe temperiem, ſicque tum omnia,
quæ nunc memorata ſunt tum lõge item
plura indicata fuiſſe, quin alio quoq; mo-
do de ea dixiſſe ſat eſſe amarã eſſe, ſed non
extreme, imo vt dulcedo quędam admiſta
appareat, primumque doctrinæ modum
empiricõrum proprium eſſe; ſecũdum, vi-
rum potiſsimum rationalem decere, atque
hunc illic ei exponere ſtatutum eſſe. Nihi
lo ſecius tamen conſtat, modum primum
eum tradidiſſe, & literis explicuiſſe: ſiqui-
dem lib. 5. de ſimpl. med. facult. de ſuppu-
rantibus ſeu pus mouentibus, rareſacienti
bus & condenſantibus, emollientibus, in-
durantibus, tendentibus, laxãtibus, poros
purgantibus, vrinas & menſes ciẽtibus, lac
generantibus, & alijs huiuſmodi, longum
fecit ſermonem, & deinceps in totius ope-
ris reſiduo ſigillatim vniuſcuiuſque medi
camenti facultates non ſolum primas, ſed
ſecundas etiam & tertias eſt proſequutus:
quas certe ex ſolo primarum qualitatum
temperamento, aut ex conſiſtentia, aut ſa-
pore reperire admodum eſt difficile, & pa-
ralogiſmis ac hæſitationibus plenum, præ-
ſertim cum multæ ex eis ſolo experimẽto
cognoſcantur. Quocirca mirari ſubit Gale

Medicamẽto-
rum vires ſe-
cundæ & ter-
tiæ ex ſolo te-
peramẽto au
conſiſtentia
aut ſapore di
ficile eſt rep
rire.

num,

num, eum doctrinæ modum repudiasse & explosisse, quem illico in eodem volumine est amplexatus. Non igitur ea disciplina quæ de secundis ac tertijs tractat facultatibus, est contemnenda aut pro nihilo habenda; sed addiscenda potius ac literis mandanda: nos verò eam in præsentia silentio præteribimus, ac de illa tantum agemus, quæ ad purgationem attinet: quam solam deinceps in hoc libro pertractabo, si prius quid actu & quid potentia dicatur, ac quo modo id quod potentia est energia fiat, disseruero. Nunc autem in huius capitis fine, vnius tãtùm meminero, Matthiolũ dixisse in commentarijs in librum primũ Dioscoridis cap. I. se nusquam sane reperisse, iridem memoriæ proditam fuisse Galeno in libris simplicium medicamentorum; quod haud dubiè non dixisset, si caput secundũ libri quinti eiusdem operis legere voluisset; vbi omnes iridis facultates quæ supra proditæ sunt, & plures alias consignauerat: quas cũ Matthiolus in libris qui deinceps sequuntur (in quibus particularis cuiusq; medicamenti vires scribit) non reperisset, putauit nullam iridis mẽtionem à Galeno in libris illis factam fuisse.

Iridis meminit Galenus in libris de simpl. med. facult.

Quid actus, quid facultas, quid potentia, ac quotupliciter hæc dicantur. *Cap. IIII.*

CVM teste Galeno, claritas maxima sit dictionis virtus, eademque nulla per inde re atque nominibus indistinctis ac non recte perpensis vitietur, idcirco hoc capite antequam vlterius progrediamur, quid facultas & potentia, & quid actus sit explicabimus: quæ sane ad ea quæ mox di centur, non exiguam perspicuitatem afferent. Facultatem ergo Galenus. 1. simp. cap. 1. causam quandam effectricẽ esse protulit, & lib. 1. de facultatibus naturalibus in initio facultatem, causam, à qua actio procedit, definiuit: nam ait, opus appellari id quod iam factum atque completum per actionem est, velut sanguinem, carnem, neruum: actionem, ipsum actiuum motum: causam verò à qua hæc actio procedit, facultatem: eandemque partim actu siue energia esse, aliam in potentia, siue in futuro tempore. 1. simpl. capit. 1. docet. Actu quidem, vt calfaciendi in igne, refrigerandi in glacie: potentia autem, vt calfaciendi in pyrethro, & zinzibere, & similibus; refrigerandi, in mandragora,

Lib. 1. de facult. naturalibus in initio.

dragora, meconio & id genus alijs. Rursus, energia siue actu calidorum, frigidorum, humidorum & siccorum vnum quodque tale esse dicitur absolute, hoc est, quòd summam habeat eiusmodi qualitatum aliquã velut elementum, aut per exuperantiam, scilicet quod vincat in eo id genus qualitatum aliqua, aut quoad cognati generis mediocre aliquid, vel ad vnum quodlibet à nobis sit collatum. Atque hæc omnia de per se actu talia dicuntur: de per accidens veró aqua calefacta, calida nuncupatur, sicuti pyrethrum niue refrigeratum, frigidum. Hallucinantur qui putant facultatem à potentia nõ distingui, decepti inscriptione librorum Galeni de facultatibus naturalibus, quæ nonnunquam de facultatibus naturalibus, sæpe vero de potentijs naturalibus legitur. Verum latius patet facultatis quam potentiæ nomen: nam facultas de ea vi quæ actu & de ea quæ potestate est, enũtiatur; cum tamen potentia non dicatur de illa quæ existit in actu. Cũ enim piper deuoratum, corpus inflammat, non amplius potẽtia sed actu calidum nominatur, quia iam actu assequutum est illam qualitatem quam antea potentia obtinebat. Est enim actus (vt Aristot. ait) motus eius quod est in potentia. Potentia autem id Galeno existit

1. & 3. de tẽp. & 2. simp. capit. 23.

9. Metaphys. cap. 5.
3. de temper. cap. 2.

ſtit quod quale dicitur tale nondum eſt, ſed poteſt tale eſſe: quo fit, vt actus melior ac præſtantior quam potentia habeatur quemadmodum. 9. metaphyſ. cap. 19. tradit Ariſt. perfectum namque aliquid eſt ac iā præſens ipſa energia ſiue quod actu eſt: quod vero poteſtate eſt, imperfectum & adhuc futurum; Atque vt fiat quidem id quod dicitur veluti habile, non tamen ad huc eſt: cum enim teſte Ariſtotele potentia in operationem reducatur, & in operatione id quod pręcipuum eſt conſiſtat, fruſtraque talis ſit quæ ad actum non redigitur, ſequitur, actum potentia tanto præſtātiorem haberi quanto finis ijs quę ad illum conſtituuntur præſtantior ac nobilior cenſetur. Quæ ſane cuncta in rebus bonis ſunt intelligenda, nam in malis docente Ariſto. actus deterior potentia exiſtit: nam cum malum omne deteſtandum ſit, præſens magis deteſtari debet quam cùm imminet. Atque hæc de potentiæ ſignificatione & natura dicta ſufficiāt. Supereſt vt de eius differētijs ſeu ſpeciebus agamus. Auerroes lib. 8. phyſi. cōm. 79. potentiā duplicē eſſe ait, actiuam videlicet & paſsiuam. Cæterum ſi Galeni dicta ſequamur, nullam prorſus potentiam paſsiuam eſſe aſſeremus; nam, quēadmodum ipſe ſcribit, facere quidem de

3. de tem. c. 2.

Li. 9. metaph. cap. eodem.

L. 9. metaph. cap. 5.

Li. 9. de placitis Hip. & Plato. in fine

D facul-

facultate; pati verò non item licet intelligere. In agendo enim non in patiendo semper facultatis & potentiæ nomine vti videtur Plato: vnaquæque enim res facere quidem aliquid potest ex potentia nimirum & facultate quam habet, non tamen pati potest ex potentia, sed ex imbecillitate potius, cum id quod concurrit fortius validiusque eo extiterit. Hæc Galenus. Ex quibus liquet, potentiam semper de actiua enuntiari, de passiua nunquam: patitur enim vnumquodque propter impotentiam: impotentia autem Aristote. teste libro. 5. metaphys. capit. 12. potentiæ est priuatio: quare quod patitur, propter potentiæ priuationem patitur, tantum abest, vt propter ipsam potentiam patiatur. Potentem, in Republica vocat Plato eum qui facit, quod vult & quando vult, haud morbo vel quibusdam talibus impeditum. Aristoteli verò libro quinto, metaphys. capit. 12. potens id est, quod motus & transmutationis principium habet. Cùm igitur hæc omnia, efficaciam denotent, & à patiendo aliena sint, erit nimirum & potentia actiua semper & à patiendo longe aliena. Verum si potentiæ vocis significationem inspiciamus, hæc omnia vera esse comperiemus:

In Hippia minori.

ſin vero res ipſa exactius conſideretur, potentiam aliquam paſsiuam exiſtere non ſolum concedet Auerroes, ſed etiam Galen. aſſentietur, modo eorum quæ in libris de temperamentis, & de cauſis ſymptomatum non ſimpliciter ac nude, ſed cum demonſtratione ſcripſit, meminiſſe velit; vbi (vt infra videbitur) docet potentiam interdum ſumi pro conuenienti cuiuſuis materia; vt alimenta, quæ potentia aliti materia ſunt: ac rurſus, ait, alimentũ, nomẽ eſſe rei quæ vincitur, alteratur & mutatur, & eius quod alitur munus eſſe alimentum ſibi reddere ſimile; alimenti vero, pathos, vt immutetur alitoque ſimile efficiatur. Si igitur alimenta potentia aliti ſunt materia, & actum, niſi patiendo non aſſequuntur, erit vtique potentia paſsiua aliqua: aliàs enim nulla in conuenienti materia continebitur, quod non admittet Galenus. Eſt, inquam, potentia hæc paſsiua habilitas, ſeu materiæ quædam aptitudo ad eius, cuius potentia eſt, formam ſuſcipiendam, aut illius conueniens quoddam futurum ſubiectum ad actum peruenire potẽs, etiam ſi non ex ſe ſed ab alio patiẽdo illũ aſſequatur. Verũ de his ſatis. Quare tẽpus eſt vt ad potentiæ multiplicitatem explicandã accedamus, nam hanc multis modis dici, ſcri-

3. de temp. capit. 1.
3. de cau. ſympt. c. 2.

psit Galenus primo capite tertij libri de tē peramētis, quos in pręsentia paucis explicabimus hinc sumpto sermonis initio. Id ꝙ potestate dicitur, aduersus id quod actu tale est enuntiari, vis ipsa vocabuli exprimit cum id quod potestate tale est, nondum sit, sed possit tale esse: & id quod actu tale est præsentem habeat perfectionē, nec ad ipsam amplius sit in motu, cūque ea quæ potestate dicuntur, vel proprio naturæ motu, in id quod actus est ducātur, vel ab alio alterata in actum transmutentur, inde fit vt potestate tale duobus enuntietur modis; primo cum natura eius quod potestate dicimus, ipsa suopte impetu ad absolutionē venit vtique si nihil ei extrinsecus impedimento sit, vt puer pituitosus potentia calidus est, quoniam insito naturę motu ducitur in iuuentutem, quæ calida & sicca est ætas. Eodem prorsus modo iuuenis potentia frigidus existit, eo quod naturæ ductu in senectutem frigidam & siccam fertur. Sic canis catulus potentia venaticus est, & equus nuper natus, celer: & leo ferus, araneaque nectrix & textrix. Si enim (vt Galeni exemplis vtar) oua tria acceperis, vnum aquilæ, alterum anatis, reliquum serpentis, & calore modico foueris, animaliaque genita rupto putamine excluseris, illa quidem

1. de vsu par. cap. 3.

dem

dem aliò volare conantia antea quam vola re poſsint, hoc autem reuolui & ſerpere af- fectans videbis, quãuis molle adhuc & in- ualidum fuerit. Etſi dum perfecta erunt, in vna eademque domo nutriueris, deinde ad locum ſubdialem ducta emiſeris, aquila quidem ad ſublime, anas autem in paludẽ aliquam volabit: ſerpens vero ſub terram irrepet. Deinde, illa quidem, opinor, citra doctorem venabitur: hæc natabit, ſerpens verò in terræ latebras inſiliet: ad quæ qui- dem munia obeunda recenter nata in po- tentia exiſtebant. Atque hic primus eſt po tentiæ modus qui maxime proprius à Gale no vocatur: quia id quod illo tale aut tale nuncupatur proprio naturæ motu in actũ fertur nullo externo adminiculo egens. Se cundus modus eſt cum res in actum pro- prio motu non fertur, ſed extrinſecus alte- rata in illum peruenit; quod ijs euenit quæ aliorum continentes ſiue conueniẽtes ſunt materiæ: hæc inquam, in actum ex ſe non feruntur, ſed extrinſecus alterantur ac mutantur, ita vt eam perfectionem acci- piant ab eo, cuius materiæ ſunt. Sic ſan- guinem dicimus potentia carnem: fu- midam exalationem, potentia flammam & vaporem, potentia aerem. Cæterum quoniam quædam ſunt proximæ materiæ

 vt

vt sanguis, carnis, quædam vero mediatæ ac remotæ vt oua cùm potentia caro dicuntur; hinc eorum quæ potentia talia appellantur, quædam sunt in potentia propinqua, quædam in longinqua, & quæ in potentia sunt longinqua non adeo propriè, vt continentes & proximæ materiæ potentia talia nuncupantur. Quæ sanè cuncta conceptis verbis, libro tertio, summæ metaphysicæ capit. sexto, tradidit Auerroés, dùm sic ait: Potentiarum quædam propinquæ sunt, quædam verò remotæ: subiecta ergo quædam propinqua sunt, & quædam alia remota; potentiæ verò remotæ non exeunt ad actum nisi postquam peruenerint propinquæ, adueniente subiecto vltimo. Cùm dicimus ergo quod aliquid est in aliqua potentia, & illa potentia est remota, tunc illud dicitur largo modo. Hæc Auerroés. Quam sententiam, iudicio meo, similiter voluit Galenus libro tertio, de temperam. capit. primo, quo loco postquam primum potentiæ modum, supra satis explicatum, tradidit, subdit deinceps: Præterea, quæcunque fientium (vt sic dicam) continentes materiæ sunt: nec refert continentes an conuenientes, an proprias dicas, quippe cum ex his omnibus indicetur quod propinquũ est, quodque

Lib. 3. epitomes in libr. metaph. Aristot. cap. 6.

que nec alia intercedente mutatione sic dicitur. E. G. cùm sanguinem potestate carnem appellas, quoniam minimam mutationem ad carnis generationem requirat, at non qui in ventriculo habetur concoctus cibus cõtinens carnis materia est, sed prius sit sanguis oportet; longius etiam absunt maza & panis, quippe quæ vt caro fiant, tres sui mutationes requirant: Cæterum hæc omnia potestate caro dicuntur. Atque hactenus Galenus. Superest vt de tertio potẽtię modo differamus. Accipitur tertio modo potentia pro vi atque facultate propria: hinc potestate tale in hoc significato dicimus ex aduerso ei quod ex accidenti & non propria vi tale est, quemadmodum aqua dicitur ex accidenti calfacere quãdo in iuuene bene carnoso æstate media superinfusa caloris ad interiora facit reuocationẽ, quæ alioqui propria vi & potestate refrigerat. Itaque tertio hoc modo potestate tale, sumitur prout distinguitur aduersum id quod ex accidẽti tale est: atque tot quidem modis potẽtiæ nomen intelligere oportet. Ad quẽ autẽ illorum medicamenta quæ potentia talia sunt, referri debeant, considerandum deinceps est. Galenus libro tertio, de temperamentis, capite primo, postquam tres potentiæ modos supra

à nobis traditos, explicuit, subdit: Ergo tot modis etiam potestate calida, frigida, humida & sicca dicentur. Quibus verbis decepti nonnulli, arbitrantur, omnia quæ dicuntur potestate calida & frigida, per vnumquenque dictorum modorum talia dici posse, atque ita ex Galeni praue intellecta sententia existimarunt, medicamenta potestate calida aut frigida primo potentiæ modo talia appellari, hoc est, cùm id quod dicitur potestate tale, in actum proprio motu ducitur, si nihil sit quod extrinsecus impediat. Cæterum primum potentiæ modum non posse cadere in vllum medicamenti genus, illud aduersus hos manifeste conuincit, quod medicamenta extrinsecus posita, etiam si in annos multos reponantur in actum proprio ipsorum motu non feruntur, sed egent corpore nostro alterante & illa in actum ducente: generale enim, inquit Galenus, idem communeque vtrisque habetur, hoc est, calidis ac frigidis, nempe alterationis principium ex passuro corpore in acturum medicamentum procedens. Rursus libro tertio, de temperamen. capit. primo, dicit: Ac quod actu talia sint, id à nobis accipiunt veluti sicci calami ab igne; verum

Lib. 3. simpl. cap. 20.

calami

calami proprio naturæ motu non feruntur in actum ignis ; Igitur nec medicamenta suopte impetu in actum deducuntur, & ex consequenti non sunt potentia talia primo modo. Quare ad locum ex. 3. de tempe. in quo decernit, tot modis potestate calida, frigida, humida & sicca enuntiari, dicendũ, id non in vniuersum de medicamentis esse intelligendum, sed de potestate talibus, quorum modorum vnus aut alter medicamentis congruit, non tamen modi omnes illis conueniunt. Nã medicaméta quæ dicuntur potestate talia in primo potentiæ modo constitui nullo pacto possunt vt demonstratum est. Quare argumento à sufficienti partium enumeratione à dialecticis appellato sumpto, concluditur, in secũdo vel tertio esse collocanda. Galenus in secũdo illa cõstituere videtur, nam. 3. de temp. cap. 1. sic ait : Non est igitur alienum, calorem qui in animantibus habetur, eiusmodi medicamentis quasi alimento quodá vti, quemadmodum ignis vtitur lignis : quippe id ita quoque fieri cernimus. Quod itidem confirmat lib. 1. de simp. med. faculta. cap. 11 ad finem scribens in hunc modum: Ostensum est autem in. 3. de temperamentis, nullum eorum quæ nos excalfacere apparent, perinde vt ignem posse calfacere,

verum vt materiam accendi facilem, siquidem mutationis principium à nostra caliditate accipientia vt calami aridi ab igne, nos contra recalefaciunt, & velut partes fiunt quædam caloris natiui, sicut illi ignis: nam quod prius erat calamus, id nunc fit ignis, vt mutantis ipsum ignis essentiam totam adaugeat. Et libro. 2. eiusdem tractationis capit. 23. At quod potestate dicitur, (subdit) primum quidem distinguitur contra id quod est ex accidenti; deinde totidem habet significationum differentias, quot actu calidum; etenim cum sit velut apta quædam materia ei quod est actu calidum, partim ad ea, quæ absolute calida nuncupantur, partim ad ea quæ per excellentiam quandam, tum ad quiddam sui generis aut speciei. Denique, & ad obuium quiduis collatum propria vtique fuerit materia. Hæc Galenus. Ex quibus clarè deducitur, ad Galeni mentem, medicamenta ad secundum potentiæ modum esse reducenda, qui cuiusuis conueniens materia existit. Verum licet sententia hæc probabilis sit, & ex Galeni penu deprompta, non videtur tam medicamentis, quam alimentis competere, hæc enim sanguinis materia vere dici possunt, quandoquidem nunc

in calidiorem, nunc in frigidiorem sanguinem vertuntur. Medicamenta verò non bene appellabuntur sanguinis aut naturalis caloris materia. Quod si responderint, vt aliquid dicatur secundo potentiæ modo tale, non oportere vt necessariò materia sit transmutationis totius substantiæ, sed sufficere esse materiam qualitatis illius, quæ in naturalem calorem verti debet, constat, hoc frigidis medicamentis non congruere: nam si teste eodem Galeno, in vtrumque horum nempe exuperantem obtinentium qualitatem, vel in summo, prompte id vertitur, de quo iudicium agitur, tale potestate fuerit; frigida medicamenta in calorem nostrum non vertuntur, sed ipsum potius destruunt ac in contrarium permutant statum. Quocirca, aptius & adæquatius multo medicamenta in tertio potentiæ modo constituentur, nam tertius iste modus pure medicamentis conuenit. Quapropter mirandum est, Galenum, medicamenta ad secundum potius, quam ad hunc referre voluisse: verumtamen, quia quæ tertio potentiæ modo talia dicuntur, vim & facultatem propriam de per se & non ex accidenti illam obtinent,

Libr. 3. de temper. cap. 4. in principio.

secun-

ſecundumq; eam talia ſunt, & hoc eis quæ in primo potentiæ modo continentur, cõmune habetur, ideò vt ab illis ſeiũgantur, addendum eſt, talem inquam facultatem obtinere, ita vt ex proprio naturæ motu in actum eius qualitatis ſecundum quam talia poteſtate dicuntur, non deducantur niſi ab alio extrinſecus alterentur. Sed quo pacto hoc fieri poſsit, ſequenti capite diſputabitur.

Num medicamenta omnia poteſtate talia dicantur; ac quæ huiuſcemodi ſunt, quomodo energia fiant, & in actum reducantur.

CAP. V.

GAlenus lib. 10. methodi, cap. eodem, cum dixiſſet, febrium omnium qua febres ſunt, proprium remedium refrigerationem eſſe, ſiue ea talis actu ſit ſiue poteſtate, & quod alia multa ex accidenti refrigerando febrium ſint remedia, diuidit auxilia in ea quæ actu talia ſunt, & in ea quæ poteſtate: rurſus, & in illa quæ de per ſe & quæ ex accidenti operantur; nam ait, frigidæ

Auxiliorum diuiſio.

dæ

dæ potionem per se quidem proficere, vt pote actu refrigerantem: succum autem vuæ immaturæ potestate refrigerans medicamentum esse: atque hæc quidem ambo refrigerare primo, id est per se ipsa, nec intercedente alio. At sanguinis missionem (subdit) non primum, sed ex accidenti calidam aliquando intemperiem sanare; quêadmodum & clysterem, & purgationem, & fomentum ex calido aliquo liquore paratum, & cataplasma quod digerat aut concoquat. Verùm de medicamentis quæ ex accidenti agunt, dictum superius est: quo modo vero quæ primo & de per se medicamenta dicuntur, vires suas exerant & in corpore operētur, nunc dicendum. Pro cuius explicatione sciendum prius illud est, cuncta medicaměta tam quæ qualitatibus suis corpus alterant, quam quæ naturæ suę proprietate humores expurgant, non actu sed potestate proprias vires obtinere, vt. 1. de simpl. medica. facult. cap. 1. & lib. 3. eiusdem tituli, cap. 20. & 10. meth. cap. eodem 3. item de temp. cap. 1. ac alijs plerisque locis Gale. prodidit. Quocirca cum sint medicamenta omnia potestate ac in futuro tēpore talia, exercere facultates suas in corporibus nequeunt ni actu talia efficiātur qualia potestate esse dicuntur, si verum est illud

Quæ auxilia ex accidenti calidam quādoque intemperiē sanent.

Medicamenta non actu, sed potestate vires suas obtinent.

Lib. 1. simp. c. 11. & lib. 2. capit. 22.

lud philosophorum theorema actionem omnem prouenire ab agente existente in actu. Quapropter principio aliquo aliunde acquisito opus habent à quo in actum ipsa reducantur cum in comperto sit, ea suopte impetu in illum duci haudquaquam posse. Quo fit (quemadmodum supra explicatum est) vt in primo potentiæ modo non contineantur, principium autem necesse est vt actu existat, quia teste Aristot. libr. 2. de generatione animalium cap. 1. potentia quod est, reducitur in actū ab eo quod est in actu. Id enim nostri corporis natiuus calor est, cuius ductu & ope, medicamenta vires suas in corporibus nostris exerunt, attenuatis quidem & comminutis quæ intro sumuntur medicamentis, calidisque à nostro calore insuper excalfactis. Quod Gale. voluit lib. 3. de temp. cap. 1. scribens in hunc modum: Nihil igitur miri est si medicamenta quoq; primum quidem in parua & tenuia frangi postulant; secūdo loco vt tēpore aliquo tametsi etiā minimo, corpori nostro quo calida fiant sint adiuncta. Tu vero si ea nec cōminuta nec prius calfacta, calida tamē iā fieri cēses, quid significet ꝙ potestate calidū dicimus parū mihi meminisse videris, sic enim ea exploras tāquā energia sint calida. Et lib. 2. de

Principium à quo medicamenta in actū reducuntur, natiuus noster est calor.

de simp.med.facult. c. 22. Dictũ est igitur (inquit) in. 3. de temp. veniatq; nunc iterũ dicendum quod vnum quodque medicamentorum quæ corpori applicantur, quæ quidem calida esse facultatibus diximus, caloris sui principium à nobis accipiens partim similiter nos recalfacit, partim valentius. Et lib. 1. cap. 11. dixerat, eorũ quæ in confesso existunt facultate esse calida, nullum omnino apparere nos excalfacere prius quam in tenuia sit comminutum. Nam si quis piper solidum cuti inspergat nullam plane caliditatem percipiet: eadem ratione si quis vel linguæ imponat aut deglutiat, aut alio pacto vtatur integro: haudquaquam diligenter trito & cribrato, ac non adeo comminuto vt pollinem tenuitate referat. Hæc Galenus. Verum tamen nullibi magis & copiosius de hac re suam manifestat sententiam quam. 3. lib. eiusdẽ tractationis cap. 20. vbi sic ait: Quam obrẽ eius quoque nunc protinus meminisse oportet, veteres, medicamenta natura frigida, potestate merito dixisse frigida, nam ea quoque quadamtenus vt refrigerent potentiam à nobis accipiunt, sicut excalfaciendi calida. Quod si alio modo illa alio verò ista, nihil vtique refert: generale enim idem communeque vtrif-

Medicamentorum calidorum nullũ omnino nos excalfacit priusquam in tenuia sit comminutũ.

vtrisque est, nempe alterationis principiū ex passuro corpore in acturum medicamētum procedens. Nam quæ potestate quidē sunt calida, alterantur eo duntaxat quòd incalescant à nobis, at quę natura frigida tū quòd comminuantur, tum quod adscititiū accipiant motum. Cùm itaque ipsis tanquam frigidis, agere absque corporis patiētis auxilio non licet, iure potestate frigida dicuntur: nam vt actu nos frigefaciant, nō protinus ex se se obtinent, verùm à nobis prius perpetiantur vt refrigerent, oportet: etenim in minuta conteri, & aduentitium motum accipere, affectus sunt medicaminum. Attamen si cui libeat ea actu frigida nominare, haud equidem repugnem, modo omnis in verbo dissensio sit, res autem vtrisque concessa: siquidem (quod paulò suprà monuimus) id genus omnia, calidū corpus quo agere posint postulant: ea propter meconium, hoc est succus papaueris & cicuta si vino mista bibantur, ocyus necant. Hæc Galenus. Ex quibus sane verbis prospicere licet quid à nobis medicamenta calida & quid frigida vt operentur, accipiant: illa quidem præter deductionem & in minima diuisionem, aliquantulum calorem à calore nostro nanciscuntur: frigida non sic, vt quæ à calore nostro deductionem

Quid frigida medicamenta postulent vt in corpus agant.

ctionem & distributionem, atque in minima diuisionem, non autē refrigerandi principium accipiant: quia vt Auerroes ait, calor non habet viam aliquam generandi frigiditatem; id enim naturæ ipsi repugnare videtur, vt natiuus noster calor refrigerandi impertiatur potentiam; cum non aliud quam similem sibi qualitatem, nempe calorem, impartiri queat rebus in quas agit, quem si frigidis medicamentis impartiretur eó modo quo impartitur calidis, oporteret frigida ipsa medicamenta corpora nostra calfacere; quod cum naturæ rerum aduersetur, vt frigida quæ sunt, per se calefaciant, sequitur omnino medicamenta frigida vt se se exerant & illud quod potestate sunt actu efficiant atque operentur, attenuatione, & in minima à calore nostro facta attritione, & in partes distributione id præstare; quæ vbi à natiuo nostro calore peracta sunt, ipsamet medicamenta frigida per id quod in semet ipsis habent, refrigerandi principium ac facultatem, corpora nostra abunde refrigerant. Secus in medicamentis calidis, quę præter deductioné in corpus, iuuantur etiam à nostro calore in calefiendo & calorem ab illo accipiendo, quo deinceps, & proprio quem in semetipsis obtinent, nos recalfaciunt. Atque

Lib. 5. collect.a.c.3.

Calida medicaméta quia à calore nostro accipiāt vt operétur

hactenus quidem modum quo quæ potestate talia sunt, in corpore operētur, ex Galeni placitis monstrauimus. Verumtamen quia non desunt qui eius doctrinam, alioqui verissimam, cauillationibus & sophismatis quibusdam euertere conantur, ideo altius repetenda præsens tractatio est, vt illorum obiectionibus solutis, Galeni opinio firma magis & inconcussa permaneat.

Medicamenta non actu suas habent facultates, sed potestate duntaxat.

Prima ratio.

Cæterū quòd medicamenta potestate suas habeant qualitates, ex eo fit manifestum, quod si actu eas obtinerent, proxima quæ adsunt corpora haud dubie alterarent: si námque piper, sinapi, siliquastrum, pyretrū, actu calorem possidēt, capsulæ & pyxides in quibus reponuntur, etiam ab eis calfierent, cum agens naturale in vicinum passum non possit non agere: quia actionem suspendere, eorum agentium est, quæ cū arbitrio seu electione operantur. Ex quibus liquet quam friuola & præter rerum euidentiam sit Iouberti responsio, dicentis, frigiditatem à pyxidibus & capsulis ignem quidem excutere posse, medicā vim non posse, cùm constet, animalis calorem ab eisdem illam abigere valere. Cur igitur vestes & lintea à nostri corporis calore calfiunt: à pipere & gariophilis etiam si per annum in eis inuoluta maneant, non calfiūt?

Iouberti responsio improbatur.

Aut cur ferrum manu compressum, calidũ redditur; quod tamen si zinziberi aut pyretro diutius applicetur, nullum prorsus suscipiet calorem? cum tamen noster calor medicamentorum quarto ordine excalfacientium calore longe sit imbecillior? Certe nulla alia causa est nisi quia hic existit in actu, medicamentorum verò in potentia. Rursus, piper ob id tangentibus non sentiri calidum, quia vis eius cuticulam nõ penetrat, recipit Ioubertus, sed externam cuticulam, quam ἐπιδερμίδα Græci vocant, non calfacere, non perinde recipit, dicens, calfacere quidem, calorem tamen illam nõ sentire; & quia sensus est expers cùm absq; dolore secari possit, & quia natura est frigidissima, nec magis à medicamentis possit incalescere quam lignum vel cadauer. Sed si ab eo quæramus cur hydropici calorem ipsa persentiscit, nihil habebit quod respõdeat: nam si calorem hunc languidissimum quidem & in pituitosa materia submersum cutis nostra sentit, multo magis piperis calorem vehementem quidem & in arido subiecto existentem, si, vt ipse arbitratur, in actu existeret, percipere deberet. Quocirca cùm pyretrum & piper non quæcumque corpora quibus admouentur, contactu calfaciant: nam

Libr. 1. paradoxorum paradoxo. 1.

Arguitur Ioubertus.

non cadauera, non ligna, nec lapides, sed animalia tantum dum in viuis sunt; ac nec hæc vt cunque illis admota, sed contrita & affricata, ad calorem permutent, sequitur, ab illis actu vim calfaciendi suscipere, quá antequam admouerentur solum potestate obtinebant. Eadem de frigidis medicamentis ratio habenda est: nam hæc non minus quam calida potentia talia dicuntur: nec refert quod actu frigida inueniantur semper adhoc quod ipsa nòn potestate frigida esse iudices, quia id calidis etiam euenit: calida nanque aliquantisper frigida apparent tangentibus, nisi quidpiam ab ambiente nos aere calido, aut ab alia quapiam simili causa sint permutata: si enim meconium & pyretrum digitis tangamus, certe diuersa temperamenta non percipiemus, sed si vtrumque conteramus & cuti affricemus aut transglutiamus, sentiemus quidé illud ob frigoris nimietatem stupefacere, hoc vero calfacere vehementer. Aliqui ex eo quod natiuus calor nihil frigidis medicamentis exhibet, arbitrantur illa actu frigida existere, non potentia: nam quod nihil alteri dat, nec id ab aliquo quidquam ad operandum suscipit, operandi principium in se habet nec ab alio mendicatur. Quocirca si frigida medicamenta nó egét,

Medicaméta frigida, potestate frigida dicũtur, qué admodum & calida.

Ratio arbitrantium medicaméta frigida actu talia esse.

nostro calore ad refrigerandum, nec hic il lis aliquid ad refrigerandum præbet, sequi tur illa actu frigiditatem habere. Sed quod nihil prebeat, patet, quia non frigiditatem, eo quod calor non refrigerat; nec refrigerandi principium exhibet, cum non nisi similem sui qualitatem inducere valeat; non calorem, quia frigida quæ sunt, calore non refrigerant, sed frigiditate. Nam quod de comminutione & in minima diuisione dicitur, nihil ad rem facere aiunt, quandoquidem etiam si medicamenta, cuiuscumque generis ea, siue calida siue frigida fuerint, conterantur, & altius immittantur in cadauer aut in corpus aliud quod alioqui calidum non sit, vt ligna aut lapides, nihil magis quam antea id alterabunt. Rursus si frustum opij integrum nec in minima diuisum deuoretur, & si non adeo cito vt comminutum, tandem ventriculum refrigerabit, & insitum illius calorem extinguet: igitur comminutio & in minima diuisio nihil ad medicamentorum actuationem efficere videtur, quandoquidem ea existente, ipsa interdum nihil agunt, & sine ea sæpe vehementer alterant permutantque corpora nostra. Verumtamen qui cēsent, naturalem calorem medicamentis eam qualitatē impartiri per quam operari debent, iudicio

Prædictorū ratio confutatur.

meo fallútur: nam etsi in calidis, verum sit, in reliquis certe admittendum non est; ne mo enim, arbitror, dicet, calorem naturalé purgantibus medicamentis, ne minimam quidem purgatricis facultatis portionem largiri, nec cholagogis cholagogam, nec phlegmagogis phlegmagogam, cum taliú facultatum ipse sit omnino expers, nec terra seminibus in se mãdatis vim exhibet vegetantem: sed quemadmodum vterus fœcundus, ingenita facultate, quæ alteri nulli parti est concessa, sopitam seminis vim & delitescentem in eo potestatem excitat & ad agendum impellit vt energia fiat & dicatur: Et vt terra ferax & fœcunda, excepta semina suo calore fouet, deinde excitat & ad parturiẽdum adducit: sic natiuus noster calor medicamentorũ facultates quasi vincula soluendo elicit, ac vt sese in apertum promant efficit, quæ antea tacitæ ac velut sopitæ persistebant. Quod si aliqui à me interrogent, quid agendo calor natiuus in frigidis medicamentis ea deducit in actum, interrogabo itidem ab eis quid vteri facultas in genitura operetur dum eam in energiam redigit; aut quid terra in seminibus in se satis, faciat, quando illorũ delitescentes facultates prodit ac manifestat. Mirum est quod in his disquirendis nullam fere mo-

rata

ram trahant, & in reddēda causa reductionis frigidorum medicamentorum in actū summopere laborent & discruciētur, cum tamen de omnibus vna sit habenda ratio. Nec mirum videri debet, vnum & eundē calorem, diuersis & interdum cōtrarijs medicamentis energiam præbere, quia hoc agentibus æquiuocis vocatis peculiare esse solet, hæc namque diuersos plerumque pariunt effectus, ob patientium nimirum diuersas naturas. Sic sol lutum indurat, cerā contra liquefacit: idem ossa dealbat, carnes & sanguinem denigrat: & ignis niuem citissime, tardius plumbum, omnium difficillime æs fundit atque dissoluit. Sic idem vnusq; calor apud Galenum. 1. de vsu partium cap. 3. diuersa fouens oua, aquile, anatis & serpentis, cuiusque illorum generantem facultatem in actum excitat, & animalia ab eis genita rupto putamine excludit. Ad eundem modum ab vno eodemque calore omnes humores simul in iecore gignuntur; quæ humorū differentia nō calori, qui vnus est & eiusdē naturæ, sed alimēto est adscribenda. Iocineris etenim calor toti chylo æqualiter sese exhibet, in eumq; pari robore & conatu vbiq; incūbit: verūtamē non eius partes omnes parem mutationis modum subeunt, quod non similis sit om-

Vnum & eundem calorē, diuersis medicamentis energiā præbere posse, multis exemplis probatur.

nium constitutio. Hinc accidit vt qui ex his diuersi fiunt humores eodem tempore emergant atque compareant: pituita enim ex frigida & cruda chili fit portione: bilis ex calida, atque tenui, sanguis ex mediocri: melancholicus humor ex frigida atque terrena. Itaque quoniã vnus idẽque calor in chyli partes omnes æqualiter penetrat, easdemque afficit, fit vt quocunque tempore ex mediocri portione sanguinem effecerit, eodem ex calidiori bilem, ex cruda pituitam, ex terrena melãcholicum humorem proferat. Quod qui inspexerit & diligentius considerauerit, non mirabitur, vnum natiuum calorem, medicamenta cuncta calida & frigida, purgantia menses, & vrinas cientia, promouere, & delitescentes eorum facultates quæ velut sopitæ erant, prodere ac suscitare. Hinc euenit, esse aliqua medicamenta potestate nimis calida, velut metalla nonnulla quæ adeo immersam habent facultatem calfaciẽtem & crassioribus partibus ita permistam, vt natiuus calor actuare non possit, ignis possit. Quia docente Galeno, ignis, vt qui omniũ est tenuissimus simulque calidissimus & in profundum facile penetrat, & comminuit, vincit, extenuatque, transmutat, atq; in suam denique naturam conuertit, vnde quaq;

Omnes humore vno eodemque tempore in eco- re generatur.

5. simp. c. 11.

quaque, scilicet contingens, & quod contingit exuperans: at nostra caliditas supra quam quòd crassæ sit essentię & halituosa, insuper infirma est, vt non facile mutet quod contingit. Reliqua tamen medicamenta calida quæ à naturali calore nostro in energiam ducuntur, corpus calfaciunt, sed prius ea ab ipso calfiunt. Nam vt ait Galenus, id genus omnia calidū corpus quò agere possint postulant: atque ideo coagulum lacti vaccino vel alteri frigido iniectum, illud quidem non coagulat: at si parum calenti iniciatur, suscitata à calore illius agendi vis crassas ac terreas lactis ipsius partes in caseum cogit, & item butyrosas ac aereas, si quę sunt. Sic piper corpori refrigerato ac nimis constipato admotum, nihil prorsus operatur: at si calfacto admoueatur, illud supra modum calfaciet. Frigida tamen non refrigerant corpus quia ab illo refrigerentur prius, verùm quoniam semel in actum reducta non incalescunt, sed insuperata manent. Hoc Galenus voluit lib. 3. de temp. cap. 3. sic scribens: Atque adhunc quidem modum quæcunque corpus excalfaciunt, vbi mutationis principium in ipso sicut dictum prius est accepere, recalfacere illud sunt apta: quæ vero refrigerant, veluti papaueris succus, hæc à nostro corpo-

3. simp. ca. 2[illegible]

[illegible]

Medicamēt[a] frigi[da] quo modo corp[us] refrigerent

ne vel paulum quidem demutantur, sed ipsum statim vincunt ac mutant, etiam si calfacta prius dederis: est enim eorum natura frigida quemadmodum aqua. Et paulò inferius subdit; Si namque ex nutrientium sunt genere, si quidem vincantur, calfaciunt; si non vincantur, refrigerant: sin ex ijs sunt quæ exiguum quidpiam alterantur, omnino calfaciunt: sin vero ex ijs, quæ omninò non alterantur, maxime refrigerant. Ex quibus liquet quam inconsideratè Auerroes dixerit, medicinam frigidam conuerti in locis concoctionis in chylum & in sanguinem diminuti magis caloris quam calor corporis sit: nam medicamentum, quod verè & propriè medicamentum est, nec in chylum nec in sanguinem verti potest: id enim dixit Galenus: Sin vero ex ijs quæ omnino non alterantur, maxime refrigerant. Si namque in chylum aut in sanguinem conuerterentur, alterarentur, & ex consequenti medicamenta esse non possent, dummodo tam exigua quantitate assumpta non sint vt concoctionem accipiant; quo pacto, aiunt, venena frigida sola quantitate internecare, venenaque existere, non qualitate. Verumtamen alterari ac in chylum & in sanguinem

Lib. 5. colle. cap. 3.

nem conuerti, solis alimentis conuenit, aut medicamentis, quæ itidem alimenta sunt, etiam si vis medicamenti in sanguine seruetur, vt ex Hippocrate constat libro sexto, epid. part. quinta, aphor. 35. dicente: Si mulier aut capra elaterium aut cucumerem siluaticum ederint, pueris purgatio. Substantia tamen in chylum & in sanguinem vertetur quando id quod ingeritur alimentum est, vel medicamentum alimentosum, & horum qualitates ingenitis ex eis humoribus remanent. Sic lactuca sanguinem frigidum efficit. Si tamen Galenus libro tertio, de temperamentis, capite quarto, protulit in totum: siue frigidus, siue calidus potestate cibus sit, posteaquam in sanguinem conuersus est naturalem calorem auget, intellige quoad caloris quantitatem, quia copia caloris augetur, maiorque quam antea redditur, vt Auicenna optime explicuit, dicens: Et est medicina quæ mutatur primo ad frigiditatem, qua re infrigidat sicut lactuca: cumque eius conuersio in sanguinem completur, plurimum operationis eius est calfacere, propterea quod in sanguine augmentum efficit: quomodo enim non calfacit cum iam facta sit calida, & sua frigiditate se spo-

Vis medicamenti in sanguine seruatur.

2. f. doct. 2. cap. [illegible]

spoliauerit? Clarius verò hoc paulò superius docuerat, dum ait: Totum vero illud quod nutrit in coctionis fine, naturali mutatione corpus mutat, & est calfacere, quoniam cum in sanguinem conuertitur, proculdubio incalfaciendo augmentum præbet, ita vt lactucæ & cucurbitæ calfaciant ista calfactione. Quod autem hoc de quantitate caloris, hoc est substantiæ calidæ augmento & non de intensione intelligi debeat, patet, quia si de qualitate ipsa intelligeretur, sequi necesse esset, sanguinem ex lactucis genitum non esse frigidiorem eo qui fit ex carne aut ex cibis tẽperatis; quod non concedent, cum dicat Auicẽna in sanguine ex lactucis genito remanere vim quampiam refrigeratoriã. Sequeretur etiã naturalem temperaturam partium vsu alimentorum non posse permutari; quod nedum Galeno, sed & Auicennæ ipsi aduersatur, cum constet, temperaturam quam par sit calidiorem, partium solidarum, sanguine ex lactucis facto attemperari & ad frigidius reduci; dum enim in ventriculo cõcoquuntur, & dum in iecore in sanguinẽ vertuntur, refrigerant: & licet postquam in sanguinem versæ sunt calfaciant, siquidem iam non amplius lactucę existunt, sed sanguis qui haud dubie calidus est: quia

Vbi supra.

Naturalis partium temperatura vsu alimentorũ permutari põt.

tamen

tamen iste tepidæ est caliditatis & remissæ admodum membra febricitantis ac biliosi hominis se multo calidiora valet refrigerare. Idem in calidis censendum est, vt sinapi pipere, anetho, ruta, origano, pullegio, calaminthe, thymbra, thymo, quippe ista omnia pituitosum calfaciunt & eius calorem fouent ac suscitāt: Galeni verò verba. 3. de tempera. cap. 4. quæ sic habent: Omnino hæc (supple iam dicta calida medicamenta, nam de eis verba facit) percocta & mutata ac in sanguinem bonum iam versa, naturalis in animali caloris substantiam augebunt, non qualitatem intendent, quæ cum dictis pugnare videntur, ita & exponenda & explicanda sunt. Piper, sinapi & reliqua quorum nuper facta mentio est, toto concoctionis tempore calorem vehementiorem inducunt: cum tamen in sanguinem sunt mutata sanguinis ipsius calorem non alterant, quia iam ista sanguis sunt & non herbæ quæ ante erant, quia alteratio fit à contrario: at sanguis sibi ipsi contrarius non est, quare à se nullam patietur alterationem. Pari modo cùm sanguis ex ijs factus, in partium nostri corporis substantiā iam abijt, non amplius illas alterat aut permutat, sed antea quam in eas mutaretur, siue in ipsa mutatione: atque hæc est (ni fallor)

Galeni locus explicatur.

lor) vera horum verborum interpretatio; quam cùm non assequeretur Bracchelius, putauit Galenum deliramenta scripsisse: nec enim ipse adeò erat stupidus, aut naturalis medicinæ partis adeo ignarus, vt diceret, ex eruca nihilo calidiorem parari sanguinem, quam ex lactuca: antiquorum enim dicta, vt ipse Galenus docet, candidè sunt interpretanda, non morose redarguenda. Verùm quia de his plura fortasſis, quam præsenti tractationi conueniant, disseruimus, ideo ad propositum reuertamur. Medicamenta frigida, vt mandragora & cicuta, postquam semel in actum à natiuo calore sunt reducta, incipiunt eum ipsum à quo energiam acceperunt refrigerare, sed non incalescunt quia à calore non superantur; atque ita insita frigiditate vitalem calorem extinguere incipiunt, & in ea actione perseuerant quousque calorem omnino extinguendo hominem interimant: quia igitur à calore insuperata manent, dicere possumus, ea prædita esse naturalibus potentijs ad retinendum frigus sicut calida impotentijs naturalibus ad resistendum calori, aut potentijs naturalibus ad eundem calorem recipiendum. Quod si aliquis quærat, cum frigida medicamenta vt papauer;

Galenus à Bracchelij calumnia defenditur.

2. de cau. sympt. c. 5.

pauer, aut cicuta actu calida sumuntur, quo pacto valent refrigerare? dicendum huiusmodi caliditatem esse externam & ex accidenti ipsis medicamentis inesse, quapropter breui perit: quemadmodum caliditas quæ aquæ inest, amoto calfaciente citissime aboletur, relicta insita & propria frigiditate. Et quemadmodum aqua calefacta reducitur in frigiditatem quam antea habebat à sua natura; ita medicamenta frigida cùm calorem præter naturam concipiunt, à sua natura in pristinum statum deueniunt. Hoc Galenus nos docuit libro tertio, de temperament. capit. 3. his verbis: Quæ vero refrigerant, veluti papaueris succus, hæc à nostro corpore ne vel paululum quidem demutantur, sed ipsum statim vincunt ac mutant & si calfacta prius dederis: est enim eorum natura frigida quemadmodum aqua. Quare illud recte Aristoteli sicut alia multa dictum est, calidorum & frigidorum, siccorum & humidorum corporum quędã talia esse per se, quędam ex accidenti: sicut aqua per se quidem frigida est, ex accidenti verò aliquando calida: verũ acquisititius eius calor breui perit & naturalis frigiditas manet. Tanquã igitur calida aqua flãmæ iniecta eam extinguit: sic meconium si quan-

Medicamenta natura frigida si actu ca[illegible]lida sunt statu, facile in pristinum statũ relabuntur.

tumuis calfactum dederis, & calorem animalis perfrigerabis, & necis periculum afferes. Quod si rursus quæratur, si ista deleteriam facultatem habent, quomodo in vsum medicinæ vsurpantur? Respondet Galenus, dicens, quòd omnia id genus medicamenta si exiguè sint data, & vnà cum eis quæ vehementiam frigoris eorum corrigere valeant, nonnunquam vsum aliqué corporibus nostris præstant, & illis multoties ad nostrorum morborum suppetias ferendas vtimur: siquidem medicamen id quod cantharidas recipit, hydericis prodest, tametsi cantharis ipsa vesicam omnino exulceret: verùm vbi per ea quæ admiscentur castigata est, ac corpori quod plurimo humore grauatur tum offertur illum per vrinas expellit. Sed ad pensum redeuntes, dicimus medicamenta potestate frigida si actu calida corpori apponantur, primo occursu calfacere, deinceps vero refrigerare, quia celerrime perit accidentaria caliditas, absente causa illam inducente naturali frigiditate seruata: exigitur enim ad conseruandam qualitatem quæ præter naturam in subiectum aliquod inducitur, eadé agétis contrarij potentia quæ ad inducendam requirebatur, vel certe paulò minor: nam vt remittitur contrarij potentia, ita quali-

tas

Dubium.

Dubij solutio.

tas hæc remittitur. Ex quo sequitur gradũ quemcunque caloris in subiecto præter naturam inducti solum illum calorem posse conseruare qui valuit inducere, aut saltẽ parum minorem. Quapropter cum cutis externa exiguum obtineat calorem, nequit adscititium frigidorum medicaminũ calorem tueri; atque hinc est vt ipsa statim in priorem statum relabantur, & corpus refrigerent. Si vero deuorentur, amplius refrigerant etiam si calida sumantur, idq; duplici de causa, & quia adscititius eorum calor minor est quam sit viscerũ calor: quodque minus calidum est, teste Galen. 3. simpli. cap. 8. veluti refrigerãs habetur; & quia adscititium motum accipiunt quo ad cor cito deferũtur: quo fit vt solis eis gradib⁹ frigoris quos habent, vitalem calorem extinguere incipiant, & ab ea actione non desistunt donec hominẽ interimant. Est enim cor, quemadmodum in fine lib. 1. de temp. testatur Galenus, omnium animalis particularum calidissimum: namq; eodem Galeno lib. de fœtuum formatione cap. 3. docẽte, animalia, quasi ignis quendam focum illud sortita sunt: & merito quidem, quia ita decuit esse principium & origo caloris, cuius cor (si Galeno creditur) fons est. Quo fit vt plus cæteris quæ in corpore sunt, à

Lib 5. de loc. affect. cap. 1.
7. de anat. admi. c. 8.
6. de vsu partium. c. 7.
6. de morbis popula. p. 4. com 24.

frigidorum occursu lædatur, & frigoris injurias plusquam partes reliquæ persentiscat, quo fit vt quæ aliarum respectu calida sunt, cordis respectu multoties frigida censeantur: quæ causa est cur meconium, hoc est succus papaueris, & cicuta si vino mista bibantur ocyus enecent, (nam velocitas distributionis quam vinum molitur, facit vt venenum velocius ad cor deferatur) licet non quouis temperata modo: si enim (vt Galenus ait) ipsa paucissima plurimo vino misceantur, prorsus deuinci possunt: si vero pauculo multa, deducuntur quidé ad cor, vinci autem nequeunt. Ad adscititium motum assumendum, & ad deductionem in cor pro mouendam etiam comminutio seu in minima diuisio plurimum potest: quam tanti fecit Gale. vt sine ea, nihil quidquam medicamentum efficere posse arbitretur, siquidem lib. 1. de simp. med. facult. cap. 12. sic ait: Apparet autem euidenter, crassiorum omnium nullum, priusquá ad vnguem comminuatur extenuetur què nec ipsum à corpore nostro quidquá perpeti, nec rursum in nos agere posse: nec enim solum in pipere, napy, canchry, cæterisque [illegible]bus quæ nos excalfaciunt, ita se res habet, sed æque ité in facultate frigidis. Ná siquis radicis mandragoræ corticé

Libr 3. simpl. med. facult. cap. 20.

in magnas partes confractā cuti imponat, aut illinat, aut deglutiat, planè nihil efficiet at si admodum sit cóminuta refrigerare potest. Sic & papaueris semen & cicutæ (et si hoc sit omnium refrigerantiū valentissimū) tamen antequā exacte cóminuatur, cuti nostræ impositū plane est imbecillū. Hæc Galenus. Quæ sane cūcta intelligēda sunt in eis medicamentis, quæ extrinsecus cuti apponuntur: secus tamen in illis quæ intus sumuntur: nā arteriæ per extimā cutis superficiē, vt pote durā, frigidā atq; densam, simul cū ambiente acre attrahere non possunt nisi quidquid medicamēti ad exactissimū pollinē fuerit redactū. Internarū tamē partiū cutis tenuis est atq; rara, & ad hęc viscerū calor vehementior multo quā is sit qui in partib⁹ degit exterioribus. Qua propter medicamentū quodcūq; siue calidū id sit siue frigidū, quantūcunq; crassarū sit partiū, & integrum deuoretur, extenuabitur, & per venas ipsas & arterias, aliosq; cæcos meatus quoquouersum ad cor vsq; deferetur. Quocirca dicendum perperam adiectum fuisse, aut deglutiat, præsertim cum in Greco exemplari & in veteri translatione dictio hæc non reperiatur. Non auderem equidem, imo nec ipse Galen. frustū opij aut radicis mandragoræ corticē in

De quib⁹ medicamentis tex Gale. sit intelligēdus.

Galeni locus castigatur.

magnas partes confractum deglutire. Quámobrem prædicta verba à contextu expungenda censeo tanquam falsa & Galeno indigna.

Oritur autem hoc loco dubitatio duplex, vtraque, meo iudicio, non exigua. Prima, num medicamenta potestate frigida actu frigida sumpta, à calore nostro aliquátulum calfiant. Secunda, si calfiunt, quomodo refrigerant? Nam ad primam Galenus. 3. de temp. cap. 3. aperte dicere videtur ipsa à nostro corpore ne vel paululum quidem demutari, sed ipsum statim vincere ac alterare; quod rationi dissonum non apparet, nec Hippocratis & Galeni dictis dissentiens: quia si pituita (teste Galeno, quanuis iam succus sit, atque ex cibis in ventre iam concoctis frequenter nata) frigida tangentibus sentitur, nec id modo dum in ventre consistit, sed postquam à venis ipsis purgátis cuiuspiam medicamenti vi est detracta; tametsi enim quam tenacissima natura sit, ac per vim ducatur, attamen nec ipsa quidem tractus violentia calfieri potest; multo minus frigida poterunt medicamenta calfieri, quæ nec succi sunt, nec ex cibis in ventre coctis orta, nec violenter ab aliquo trahuntur. Cæterum cùm omnia inter se mutuo sint passibilia & alterabilia, ac eiusdem

Hipp. libr. de natura huma na com. 32. Gal. lib. 3. de temp. cap. 4.

dem Galeni sententia ea sit alterabiliũ omnium corporum natura, vt in se se agant & patiantur admota, negari non debet, medicamenta frigida aliquantisper à nostro corpore calfieri: nec tamen ob id refrigerare desinunt quoniam quantumcunque calfiant semper minus eo calida manent: non enim frigida solùm calorem remittunt, sed & quæ minus calida sunt; cum hæc, docente Galeno, tanquam refrigerantia haberi debeant. Neque hoc modo solùm refrigerant, sed præcipue ac magis insita frigiditate quam exiguus ille adscititius calor coercere nequit. Atque hæc de frigidis medicamentis dicta sufficiant.

Lib. 3. simpl. cap. 8.

Vbi supra.

Aduersus ea quæ de calidis sunt enunciata, obijciunt aliqui: si calor noster medicamenta calfaceret, non posset præstare calorem se maiorem, cùm nullum agens vltra gradum suæ perfectionis agat, minori aut æquali non recalfacerent; ergo aut non calfiunt medicamenta à nobis, aut nos nõ queunt recalfacere. Verũtamen hanc obiectionem diluit Galenus lib. 3. de temp. cap. 2. dicens, nihil miri esse, si aliqua exiguum consecuta momentum, maximam à priori natura mutationem sortiantur: cernuntur namque eiusmodi multa in his quæ extra nos sunt, siquidẽ in ea Mysia quæ est Asiæ

Obiectio.

Obiectionem diluit Galenus.

pars, domus hac aliquando ratione flagrauit; erat proiectum columbinum stercus, cui iam putri & excalfacto, ac vaporē edenti, & tangentibus admodum calido, in propinquo fenestra fuerat, ita vt iam contingeret eius ligna quæ largè nuper illita resina fuerant: media igitur æstate cum sol plurimus incidisset, accendit tum resinam tū ligna: hinc autem & fores quædā aliæ quæ prope fuerant, & fenestræ nuper etiā resina illitæ facile ignem conceperant, atque ad tectū vsq; summiserāt. Vbi autē excepta semel à tecto est flamma, celeriter in totā domū est grassata. Hoc arbitror modo aiūt & Archimedē hostium triremes vrentibus speculis incendisse. Porro succenditur his prompte lana, stupa, elychniū, ferula, quidquid deniq; similiter his siccum rarumq; est. Flammam edunt & lapides attriti, atq; id magis si quis sulphure illos illeuerit. Eiusmodi erat medicamentum Medeę, quippe quod quibus est illitum, omnia, vbi in id incidit calor, accendit: constat id ex sulphure & humido bitumine. Iam illud ceu rem admirandam quidam ostentauit: extinxit lucernam, ac rursus muro admouens accēdit. Alter lapidi eam admouit: fuerant autē tum murus tum lapis sulphure contacti; quod vbi deprehensum est, desijt esse mirum quod osten-

ostendebatur. Quæ omnia exempla manifestò declarant id quod dicebamus; medicamenta, nempe, supra calfacientis corporis naturam incalescere, propter eam quæ in materia inest ad suscipiendum calorem dispositionem. Et medicamentum quidē per se incalescit, quia calidum est & à calido corpore calfit: sed ad tantam caliditatē non per se, sed ex accidenti deuenit, eo quòd ex materię aptitudine ad illam deducitur. Ex quibus clare intelligitur, omnia id genus medicamenta perfectè calida adhuc non esse, aptissima tamē vt calida fiāt, atq; idcirco potestate calida dicuntur.

3. de temp. capit. 2.

Obiectio altera.

Obijciunt secundò. Si in medicamentis potestate calidis, vt inquit Gal. 3. de temp. cap. 1. nondum in natura sua calidum frigido præpollet, sed in propinquo est, vt præpolleat, adeo vt breuem opē quo vincat & in actū reducatur extrinsecus requirat, sequereturquòd cū semel illud vicit & in actum deducitur, caliditatem perpetuo conseruaret; cuius contrarium manifestè apparet: nam zinziber dum masticatur, calfacit vehementer, in manum autem reiectum, ne sensum quidem caloris exhibet. Cui obiectioni dicendum, medicamenta eiusmodi non asseruare diutius, quàm semel acceperant caliditatem, quoniam

Alterius obiectionis solutio.

ab extrinseco aere illico refrigerantur. Accedit eò, externam cutem non adeo exacto sensu pollere ac linguam, quoniam epidermis sensus est expers, siquidem quotidie citra doloré secatur, & densitas cutis inhibet prohibetq; ne medicamenti caliditas intus perueniat. At lingua præterquã quod epidermide caret, insuper etiam acerrimo sensu est prædita: quo fit vt ne minimum quidem sensile illam fugere posset. Ex quibus patet responsio ad argumentum quo aliqui probare contendunt, medicamenta calida actu esse calida, quoniam simul ac piper cribratum ac comminutum linguæ imponitur, eam calfacit eo modo quo ea quæ actu sunt calida cum manui admouétur, calfacere solent: quoniã in lingua illud propter calorem maiorem illico & sine cũctatione in energiam fertur, & propter raritatem & sensum exactiorem quilibet calor, etiam exiguus, facile sentitur: quemadmodum mel, docente Galeno, vlceribus mordax est, cutem autem non offendit. Vrget hîc aliud argumentum, ni fallor, satis efficax in compositione theriacæ (vt idem de similibus medicamentis intelligas) simplicia medicamenta vicissim agunt atque patiuntur, siquidem calida quæ sunt retunduntur, & virium vehementiam amittunt; & fri-

Li. 5. de cõp. med. secũdũ locos. c. 1.

& frigida similiter, quæ certe non ab alijs quàm à contrarijs qualitatibus remittuntur: id autem ostendit, componentia medicamenta actu vires obtinere suas. Si namq; illa recenter confecta ob vim opij vehementem, stupefacit, temporis processu nullum prorsus stuporem inducit, indiciũ est vel manifestum, calida medicamenta in opiũ ipsum egisse, & illius vires remisisse: hoc autem facere non potuissent nisi actu illa calorem obtinerent, cùm philosophorũ omnium sententia sit confirmatum, actionẽ semper ab ente existente in actu procedere, & nihil illic sit quod eis actum præbere posſit: nam quidquid illum prebere debet actu etiam existat oportet, dicente Aristotele lib. 2. de gener. animal. cap. 1. potentia quod est, in actum reduci ab eo quod est in actu: actu autem nihil eo loci est, præter ipsas simplicium medicamentorum facultates: quare istæ sunt quæ inuicem agunt & identidem patiuntur. Est enim (mea opinione) adeo validum hoc argumentũ, vt fateri teneamur, nonnulla medicaméta aliqualem calorem actu obtinere, non tamen nos calfacere, quoniam exiguus is est & qui cutem nostram antea quã plus eius in actum ducatur, alterare non valet. Nam etsi zinziber priusquam energia calidum

fiat, nos non excalfaciat, forte tunc vermes & formicam excalfaciet. Nec hoc alienum est à Galeni mente libro. 3. simpli. capit. 21. vbi sic ait: Verisimile siquidem est pleraque eorum etiam actu esse calida, sed idcirco nos fugere, quoniam aut ipsi plurimũ habeamus caloris; aut crassa eorũ essentia sit. Redigamus enim eadem rursum in memoriam, nempe quod in balneo frigida nobis videatur vrina: itidemque memoria repetamus, quod cum in solium calidum descendere non valeremus, aliud prius minus calidum ingressi, nullo negotio quod antea intolerandum videbatur, postea pertulerimus. Quin aqua fontium tempore hyberno, quibus manus algent, tepida apparet, cum alijs non videatur eiusmodi. In summa enim (id quod antea quoque diximus) pro suo vnumquodque affectu, corpora admota sentire consueuit: sic ergo si manum habens frigidam, eam in tritici aceruum immiseris, luculenter calorem percipies: sin calidam, nequaquam: at si stercori columbino accumulato, potissimum syluestriũ columbarum, manum inferas etiam si calidam, manifestam tamen senties caliditatem. Sic misy, sory, chalcitis, ærugo, calx, aliaque id genus innumera, si illis aceruatis

manum altius inijcias, protinus videbuntur esse calida. Cæterum si bolum ex eis vnum aliquem acceperis cuius extrinseca superficies ab ambiente extrinsecus aëre sit refrigerata, merito nullum percipies calorem; quippe qui refrigeratas tantum eius partes contingas, idque antequam in minuta redactæ sint. Ad eundem modum hyeme sæpenumero tum putealis aqua tum presertim fontalis, calida tangentibus est visa: verum si quis calfactis prius manibus contigerit, frigida videbitur. Memorarique sane possint alia id genus sexcenta quibus facile adduci quiuis possit, vt credat, medicamenta potestate vt ad nos calida, alteri animantium generi actu esse calida. Hæc Galenus. Ex cuius prelonga serie clare deducitur, zinziber, pyper, styrax, vt ad nos potestate calida haberi, opio verò aut alteri refrigeranti medicamēto, actu esse calida. Accedit & agitatio atq; cōmotio quæ singulis diebus in medicamēto ad simpliciū commistionē fit; nā hec caloris causa est medicaměta in actū deducere potētis: quēadmodū in butyri secretione calor, quē multus baculi in imo lati percussus excitat, butyrum à sero butyri in illa lactis parte separat. Sufficit hec agitatio actum celeriorem

mo-

medicamento ipsi indere, non tamen tota actio in illa consistit, cum sine ea, simplicia medicamenta in compositione inuicẽ agant & patiantur: quemadmodum mustum in dolio sine commotione feruet & à proprio calore coquitur & vinum efficitur; verum quia corpus nostrum non calfacit antea quàm à nobis calorem accipiat, idcirco quoad nos potestate calidum dicitur. Atque ita quidem sigillatim vtrique argumentorum parti satisfactum arbitror. Nam illi, quod de omnibus in vniuersum probat, nulla medicamenta à calore nostro actum recipere, quoniam si ab eo id munus acciperent, cuncta esse deberent calida aut frigida, non hæc quidem calida illa vero frigida, eo quod dicunt, cùm calor vnum sit agens, non possunt ab eo diuersi prouenire effectus, Responsum iam est, eã rationem in æquiuocis vocatis agentibus locum non habere, quippe quæ ex subiectorum diuersitate diuersos operari effectus solent; quemadmodum supra exẽplis pluribus fuit demonstratũ. Hæc de calidis atq; frigidis dicta sint, quæ difficillimam inuestigationem obtinent: nam humida & sicca cognitu promptam magis habent operandi rationem, propterea quod hæc actu humida sunt & sicca, dummodo

suas

ſuas operationes per ſe & non alterius interuentu efficiant: quomodo calor interdum ex accidenti exſiccare dicitur, quando ſcilicet humorem extenuat & à ſe tenuatum foras euocat ac diſsipat: frigus itidem adſtringendo & contrahendo humorem omnem à parte exprimit, atque id circo ſiccitatem parit. Sic calida quæ ſunt humectare ex accidenti ſolent, dum in noſtris corporibus pituitoſos humores colliquant, quomodo nix & gelu à ſolis calore colliquantur & loca vicina irrigant. Sic, teſte Galeno, calida intemperies, dum humiditates ſemper abſumit, parit ſiccitatem, ſicuti frigida quia nihil abſumit, humoris incremento quodammodo confert. Verùm hæc omnia calor & frigus ex accidenti operantur: quæ verò primaria ratione exſiccant non humiditatem diſsipando aut exprimendo vt calor & frigus efficiunt, ſed eam ſugendo & combibēdo exhauriunt, quod ſiccare proprie dicimus. Hęc autem actu ſiccitatem poſsidere, ex eò conſtat quod corpori appoſita protinus id exſiccant, nihil ab illo ad exſiccandum accipientia. Ad hęc non ſolũ in animalibus, verum etiã in inanimis corporibus propriam actionem exerunt: nam Rhus coria adſtringit & exſiccat; & carnes ſimiliter mortuas ſal. Sic humida quæ ſunt,

Lib. 6. de ſanitate tuenda cap. 2.

veolenum, succus portulacæ & lactucæ, omnia humectant. Vocamus inpræsentia humidum, non vt philosophus, quod non circũscribitur termino proprio sed alieno; verùm id quod corpus humanum humectat: & siccum etiam dicimus, non quod belle proprio definitur termino, alieno ægre, quomodo definijsse visus est Aristo. Sed quod corpori humano applicitum id exsiccat: ad quem modum muriam & bilem siccas appellamus, etiam si proprio termino non circunscribantur: & suillũ adipẽ humidũ, quemadmodũ & gallinaceũ, & si bene proprijs definiantur terminis. Cęterũ quęrẽti causam cur inter qualitates primas humiditas & siccitas in actu existãt, caliditas verò & frigiditas in potẽtia, mihi inquã hęc occurrit, ꝙ si actu istę cõtinerẽtur, omnia destruerẽt ac vastarẽt, vt pote omniũ efficacissimę & maximè actuosæ q̃litates existẽtes. quapꝓpter oportebat, meo iudicio, vt in subiectis quibus inhærẽt donec necessitas impẽderet, abstrusę ac delitescẽtes, vinculisq; velut detẽtę coercerẽtur, ne alijs nocumẽto forent: humiditas tñ & siccitas cũ minimũ actiuitatis possideãt, & ad patiẽdũ quã ad agẽdũ fiant idoneę magis, nihil incõueniebat actu eas haberi. Verùm de his abunde: quapropter ad alia perueniamus.

Lib. 2. de gen. & corru. cap. 2.

[illegible]

Mundi elementa (quæ medicinæ vsui non-nunquam inseruiunt) proprias actu obtinere qualitates; ac cuncta illa formis suis seruatis, inter se inuicem agere & pati. Aéremq; natura humidum esse ac modice calidum: interim verò à varijs causis alterari & aduetitias qualitates suscipere.

CAP. VI.

DIximus quidem superius, medicamenta, siue ea sint quæ calfaciẽdo & infrigidando corpus alterant, siue quæ vitiosos humores expurgant, nõ actu sed potentia suas vires possidere: sumentes medicamenti nomen, in vulgari & vsitata sui significatione, quatenus id denotat quod nõ summa & syncera, sed impura & permixta qualitate corpus nostrum immutat. Nam si ad id extendatur quod qualitate summa nec alteri immista, nos afficit: cuiusmodi mũdi elementa existunt, secus censendum est. Vtimur sæpe (quemadmodum Galenus docet) ipsis propemodum sinceris huius vniuersi elemẽtis, vt aqua quotidie cũ bibimus aut lauamur, vel alio etiã aliquomodo; & aere qui nos vndiq; ambit dum illũ inspi-

Lib. 1. de elementis cap. 6. in fine.

inspirando attrahimus: igne quoque interdum cum frigemus. Etenim is qui alget & ad ignem vt calfiat accedit, Galeni sententia, ignem corpori adhibet: & aquã ille qui bibit: ille etiam qui inspirat, aerem: Ignem itidem corpori applicamus cùm candente ferro (cauterium vocant) vel sarmentis ignitis partem aliquam vrimus, quod omniũ quæ calfaciunt extremum remedium est. Atque ob id Hippoc. dicebat: quos morbos ignis non sanat, hos sanari non posse putato, vel hos incurabiles existimare oportet. Sic cum ardor intensissimus partem excruciat, medicamenta admouemus gelu perfrigerata. Itaque cum morbus extremus est, extremo remedio est opus: atque ob id summam elementi qualitatem vsurpamus: cum vero non extremus, non extremo, sed cõtrarij admistione refracto. Quæ, inquam, Galeni est doctrina lib. 1. de elementis cap. 7. vbi in eum scribit modũ: Sane cùm nulla qualitas seorsum à substantia reperiri queat, proinde cogimur eas vnà cum substantijs assumere, ac ita corporibus illis egentibus offerre; quę si summas eas exposcant, ipsum elementum adhibemus, ignem inquam, aut aquam, aut terrã, aut aerem: vbi vero mediocri sit opus, mixto ex elementis vtimur. Igitur cum Galeni te-

vbi supra.

L. 5. aphor. 6.

ni testimonio interdum elementa vt medicamenta fiat vsui, videlicet eo tẽpore quo corpus summis eget qualitatibus, disquirẽdum hoc loco est quo pacto illa suas vires obtineant; in potentia ne vt reliqua calida ac frigida medicamenta, an potius actu & energia ipsa. Gale. lib. 1. de simpl. med. facult. in initio, medicamentis quibusdam actu facultates inesse, vt igni calfaciendi: glaciei, refrigerãdi clarissime asseruit. Nam cum. 3. de temper. dixit, omnia medicamẽta potentia esse talia, noluit illic medicamenta vocare, nisi quæ ad nostrum corpus talia existerent, & à nostro calore in actũ deducerentur; reliqua vero vt ignem, & aquam, elementa potius appellabat. Alibi tamen nuncupari vult medicamenta quæ vim habent nostra corpora alterandi, siue eam actu siue potestatẽ sortiãtur, quia vtrisque morbis medemur. Vnde si medicamẽtum à medendo dicitur, vtrisque illis medicamenti & auxilij seu remedij nomen competit. Cum tamen medicamẽta ad aliquid dici proferimus, de ijs solis intelligimus quæ potentia talia habentur: nã quæ actu prædita sunt facultatibus, nõ hæc magis quam illa corpora alterant, nec viuentia potius quam inanimata, sed promiscue ac indifferenter cuncta quibus admouen-

tur afficiunt. Ignis etenim non calfacit hęc magis quam illa, nec aqua refrigerat, ſed omnia indiſcriminatim permutant: non enim vt operētur accipiunt aliquid ab hoc potius quam ab illo, velut quæ potentia ſunt: nam hæc in illa tantum corpora agere ſunt nata à quibus poſſunt ad actum tranſferri: Elementa verò cum ad agendum nihil à quopiam accipiant, conſtat non potētia, ſed actu agendi vires obtinere. Qua in re ſyllogiſmis vti opus non eſt: ſi namque tactus ſenſum conſulamus, inueniemus certe hæc quibus vtimur mundi elementa non potentia ſed energia & actu ipſo ſuas qualitates habere: ſiquidem Ariſtot. cum eis qui ignem calidum eſſe negant nō aliter diſputandum eſſe cenſet quàm vt cogā tur eum tangere, ita enim protinus & ſine aliquo externo adminiculo vrentem perſentiſcent calorem. Ac ſimili modo faciendum eſt cum illis qui aquam frigidam eſſe non admittunt. Quocirca Gale. lib. 10. metho. capit. eodem, illam actu refrigerās auxilium eſſe protulit. Nec aliud velle viſus eſt Ariſto. lib. 9. metaphy. cum dixit, terrā & ignē ſemper agere, eo quod per ſe & in ſe ipſis habent motū: idemq; de aqua & aere cenſendū eſt. Quapropter alios autores ſilentio prætermitto, ne videar in re tā perſpicua

Summa. 2. ca. 4. text. 18.

ſpicua teſtibus vti parũ neceſſarijs; præſertim cũ ſenſu ipſo id facile conſtet. Igitur pro comperto haberi debet, eleméta actu ſuas obtinere qualitates, terrã frigiditatẽ & ſiccitatẽ: aquã frigiditatẽ & humiditatẽ aerẽ caliditatẽ & humiditatẽ: ignẽ caliditatẽ & ſiccitatem: quod intelligendũ eſt dummodo ab extranijs qualitatibus non ſint alterata, quemadmodum Auicenna optime eſt interpretatus, nam de elementis ſermonem inſtituens, ait: Eſt porrò terra ſuapte natura frigida & ſicca; quippe ſi propriam naturam ſeruauerit, nec ab vlla cauſa extranea alteretur, manifeſta in ea frigiditas & ſiccitas ſenſu percipietur. Et paulò inferius inquit: Aqua frigida & humida natura eſt: ſi enim naturaliter ſe habuerit, nec ab vlla externa cauſa afficiatur, conſpicua in ea frigiditas & humiditas deprehendetur. Et deinceps ſcribit: Aeris natura calida eſt & humida ſecundum conditionem iam dictam, hoc eſt ſi non aliunde alteratio-nem ſit perpeſſus: qua ratione hyeme frigidus, & Borea flante ſiccus & frigidus percipitur: ex propria tamen natura & inſitis in eo qualitatibus calidus eſt & humidus. Ex quibus clare intelligitur, refrangi elementorum qualitates, & nonnunquam in contrarias mi-

1.p.doct.2.capit.1.

Aer natura ſua calidus eſt & humidus.

grare, vt infra itidem latius patebit, etiam si ipsorum formas non refrangi contingat, quemadmodum falsò putauit Auerroes, censens, ipsas imperfectas esse substantias, & idcirco intendi posse & remitti; quod à substantiæ ratione alienissimum est, si Aristoteli in categorijs creditur. Igitur aqua ascititia qualitate nos calfacit, propria refrigerat: & aer similiter qualitatibus insitis nos calfacit & humectat, alienis refrigerat & exsiccat. Idem de terra dicẽdum: potest enim ipsa, terra manente in suis qualitatibus alterari, & alias quæ natiuæ non sunt nec propriæ admittere. Atque ob id Auicẽna dixit, si à nulla externa causa alteretur manifestam in ea frigiditatem & siccitatẽ sensu percipi, quod itidem in aqua & aere adiecit, in igne siluit, quoniam de eo loquens, simpliciter inquit calidum esse & siccum natura non adiecta conditione dicta. Ratio est quoniam reliqua tria elementa ita alterari queunt vt sensui insitis contrarias obtineant qualitates: ignis vero etsi remitti posit aliquantulum eius caliditas, non tamẽ adeo vt forma ipsius seruata alia qualitas cõtraria in eo sensui percipi queat quia quantumcunque remittatur semper vrit & impense admodum nos calfacit. Dixi ignem aliunde ad contraria alterari & re

missio-

missionem caliditatis pati, quod tamen aliqui negant, credentes, ignem nunquam citra summam caliditatem reperiri, nec illius formam sine octo caloris gradibus incolumem manere. Sed plane decipiuntur. Primò, quia si perpetuò propriam naturã seruaret, nec alienas admitteret qualitates, perperam noster hic, mixtus seu adulteratus vocaretur ab Aristotele lib. 2. de ortu & interitu cap. 3. vbi elementa hæc quæ videmus, impermista & simplicia non esse ostendẽs, sic ait: Ignis autem & aer & vnũquodque eorum quæ dicta sunt, haudquaquam simplex est, sed mixtum. In quam etiam sententiam deuenit Galenus libr. 1. de elementis cap. 5. loquens in hunc modum: In mundo enim terra sincera atque impermista inueniri non potest, ne dum in animalium corporibus; nam quamcunque ipsius portionem assumpseris, statim hæc & calorem & humiditatem & substãtiã aeream, aqueam & igneam participat, cum tamen terra, quam pro elemento intelligimus sit maxime densa, grauis & frigida & sicca. Et paulò inferius subdit: Impermistam autem & immistam solamque terram, nec in animalibus nec in mundo facile inueneris, sicut nec aquam sinceram omnis mistionis expertem, nec ignem nec ae-

Quorundam opinio confutatur.

Addit. 1. de natura humana text. 38.

Ac quouis adamante durior.

rem; hæc enim omnia sunt adulterata, atque alteri naturæ diuersæ commixta, Hæc Galenus. Rursus, si ignis absque summa caliditate existere non potuisset, sequeretur, ipsius forma manente incorrupta nullam suscipere passionem posse: quod falsum est: quia docente Aristotele libro secundo de ortu & interitu capite quarto, simplicium corporum mutua est generatio, ac quoduis ex quouis gigni potest: omnia enim agunt, & patiuntur inter se: terra agit in aquam & ab ea patitur, & hæc in ignem similiter & in aerem. Si igitur ab alijs elementis passionem suscipit, amittit aliquem caloris gradum, siquidem nihil aliud est pati nisi qualitatem ipsam remitti aut aliquem eius gradum deperdi. Sequeretur etiam, qualitatem aut aliquem eius gradum in instanti corrumpi: quod falsum est, quia qualitas omnis motu alterationis acquiritur, ac motu eodem similiter deperditur: motum autem omnem in tempore fieri, apud philosophos in comperto est. Sed quod sequatur patet: nam si forma ignis sine summa caliditate seruari nequit, necesse est, cùm illa corrumpitur, summam caliditatem vnà corrumpi, aut saltem aliquem eius gradum deperdi: sed ignis forma corrumpitur in instanti,

Simplicia corpora mutuo inter se agunt & patiuntur.

ergo

ergo & caliditas etiam; hoc enim absurdum illorum opinionem comitatur, nisi dixerint, corrupta forma ignis caliditatē summam in materia relinqui, donec paulatim remittatur: quod plane falsum & à ratione dissentaneum est: nam sequi necesse esset dari posse octo caloris gradus sine forma ignis: quod concedet nemo, ergo toto tempore quo summa caliditas in subiecto manet, ignis forma corrupta non est, sed adhuc existit, dicente Galeno libro primo de elementis capite nono, summū calorem cum materia ignem efficere: non quòd velit qualitatem substantiam cōstituere: quia teste Aristot. libro primo, physico. capite septimo, ex non substantijs impossibile est fieri substantiam; sed id duntaxat, summum calorem cum materia necessariò ignis formam sequi perpetuòque igni inesse, cum tamen alia sint accidentia quæ vt non necessario insunt nec rem consequuntur, ita facile tolluntur; vnde hæc separabilia illa inseparabilia fuere appellata. Nec ob hoc euertitur definitio accidentis à dialecticis assignata, quia & si quædam accidentia ita inhæreant substantijs, vt inde separari non queant, intellectu tamen & cogitatione separantur. Igitur si corrupta forma ignis summa caliditas

Galeni locus explicatur.

in subiecto non manet, nec cum corrumpitur aliquis eius gradus deperdi potuit, sequitur manifeste ante formæ corruptionẽ remitti cœpisse, & ignis formam sine summa caliditate extitisse. Id tamen quod à summa caliditate deperditur minimũ est & sine quo ignis forma tutari citra interitem potest: si namque plusculum deperderetur, forma ipsa conseruari non potuisset, quoniam ad sui tuitionem exigit calorem intẽsissimum & plane vrentem, aliàs enim in materia non subsistet sed protinus corrumpetur. Verum in his sermone longo mihi vtendum nequaquam est: quapropter ad reliqua explicanda transeundum censeo.

De qualitatibus trium elementorũ nulla inter philosophos est controuersia, sed omnes vnanimes consentiunt terram frigidam esse & siccam; aquam frigidam & humidam: ignem calidum & siccum: in aere autem dissentiunt, nonnullis calidũ, alijs frigidum esse dicentibus. Nec desunt qui siccum, alij qui humidum esse contendãt. Non disputamus hîc de ascititijs aeris qualitatibus, sed de insitis ac proprijs, nam illæ multiplices sunt prout ab externis causis aer ipse alterari solet; Quo fit, vt (quemadmodum scribit Galenus) interim eo qui

Lib. 2. simpl. cap. 24.

in nobis est calore vsque adeo redditur frigidior vt munimentis quibusdam aduersus eum tegminibusque sit opus, interdum vero vsque adeo rursum calidior euadit, vt ferre nequeas fugiasque sub tectum aliquod vel vmbram. Est autem etiã quando tanta est moderatione præditus, vt nec tepefacientia nec refrigerãtia exposcas, sed citra omnem molestiam sensumque in eo verseris. Verum qualitates istæ non sunt, quæ rei denominationem præbent, sed insitæ ac propriæ. Et est consideratione dignum aeris naturales qualitates, quæcunq; illæ sint actu mutari & alias interimquè cõtrarias de nouo in eo succedere: quod similiter in terra euenit, hæc enim frigida & sicca cum sit, seruata sua forma, calida & humida quandoque redditur. Vnde illud Lucretij: sic tempestiuis ex imbribus humida tellus, Vertit se primum in frondes. Et itẽ illud Vergilij lib. 2. Georg. Humida, herbas maiores alit, in igne vero non euenit, nam semper proprias qualitates retinet nec alienas admittit, remitti enim illæ aliquantulum possunt, in contrarias tamen igne manente mutari non queunt, quandoquidẽ ignis qui refrigeret aut humectet dari potest nunquam, quia quantamcunque remissionem caloris patiatur, semper vrit &

Lucre. lib.

vehementer exſiccat. Idem in aqua quoad paſsiuam qualitatem videre eſt, non tamen quoad actiuam, nam ea ſemper humectat, non tamen ſemper refrigerat & ſi frigiditas illi magis propria ſit quam humiditas: aqua enim calfacta, adhuc eſt aqua & ſuam reſeruat eſſentiam quanquam ad ſummum feruorem perueniat: quod ex eo fit manifeſtum, quia dimiſſa etiam in aere æſtiuo ad priſtinum ſtatum reuertitur & antiquam frigiditatem recuperat. Verum qui horum cauſas ſcire deſiderat, Aphrodiſæum adeat, nos verò ad inſtitutum redeamus; quod erat oſtendere quæ ſint aeris propriæ qualitates, quas certe non facile eſt reperire; quoniam ſi hæ inueniri deberent, maxime in ea aeris parte quæ ſimplex & elementaris magis exiſtit, & à mutationibus continuis eſt remotiſsima, inuenirentur: at hanc nec infimam nec ſupremam eſſe dixeris, nam iſta ab ignis ſphæra ſemper afficitur, viciſsimque ignem afficit quare ſiccior atque calidior plus iuſto redditur, quemadmodum à cæli motu diſgregata aſsidue rareſcit: illa verò aquæ & terræ vicinia alteratur, ac vaporibus inde eleuatis permiſcetur, ſolaribuſque radijs reflexis calfit. Vnde Auicenna. 2. primi doct. 2. capite. 9. cum dixiſſet eſſe putrefactionem

In quæſtionibus naturalibus quæſtione. 6.

quæ

quæ accidit aeri, putredini restagnantis & fœtidæ aquæ non absimilem, subdit: Nos enim cum aerem dicimus, nolumus intelligere aerem simplicem, purum, quippe eiusmodi non est aer qui nos circundat, & si forte inuentus fuerit purus, erit alius ab isto putrescibili. Et paulò inferius ait: Aer hic noster est corpus commistum, ex aere puro simplici & partibus aqueis vaporosis, & partibus terreis eleuatis in fumo & puluere & partibus igneis. Hinc liquet, superam aeris partem quæ sphæræ ignis communicat, & infimam hanc in qua versamur, simplices non esse sed compositas ac maxime impuras. Media verò regio cum sit alterabilis (vt Arist. capit. 12. libri primi meteor. fuit visum dicenti, mediam istam regionem æstibus frigidiorem esse quam frigoribus) certe pura ac simplex esse non potest, in qua cum mixta imperfecta gignantur, & interdum etiam perfecta, vt ranæ & monstrosa quædam animalia quibus Iouem pluere antiqui dicebant, ac Tarracinæ & Amiternæ Liuio referente nuntiatum sit aliquoties lapidibus pluuisse; quomodo sincera ac immixta haberi debet? Sed nec eum qui ad polos propinquat aerem aut inter circulos Arcticum & Antarcticum con-

In media regione æstibus frigiditas intenditur.

In media regione mixta gignuntur.

Lib. 6. belli Maced.

concludi intelligimus purior & elementaris magis fuerit: cum enim illic elemēta frigida, terra nimirum & aqua, absentia solis aut longo à perpendicularibus eius radijs recessu magis inualescant, & suas vires intensius exerant, necesse est vt aerem illum nimis frigefaciāt. Id enim mare sub eo glaciale indicat, quod ob nimiam oræ frigiditatem gelascit & in glaciem concrescit. Ex quibus clare deducitur, nec inferiorem aeris regionem, nec superiorem, nec mediam quinimo nec polarem seu ad polos vergētem, sinceram aut mere elementarem esse. Adde, cunctas ab exhalationibus atq; vaporibus eleuatis à terra & aqua, & ab ijs quæ per ipsum aerem deferūtur, cuiusmodi sunt grandines, pluuiæ, pruinæ, ventorum varia genera, nubes, tonitrua, fulgura, hiatus, ardores, stellę currentes, voragines, nec non ab ijs quæ oculis nostris conspicua apparent, vt iris, halo, area, virga, aerem ipsum infici & infectum agnosci. Quocirca cum nullibi aerem purum ac simplicē reperire queamus, non ex loco sed aliunde insitas eius qualitates venari debemus; quod fiet si eius naturam & effecta penitius considerauerimus: si enim hæc diligētius rimemur, inueniemus sanè aerem simplicem & nulli alteri rei immistum corpus

Vnde insitæ aeris qualitates venari debeant.

esse

esse modice calidum & maxime humidũ, igne densius, aqua longe rarius, in agendo minus efficax quam ignis, in patiendo verò magis contumax, nam ob humiditatem obtunditur calor actionis autor: ob crassitiem verò difficilius patitur. Porrò aerem calidum esse & humidum, ex eo fit manifestum, quòd vernus Hippocrati talis existit, quo tempore mutationum magnarũ à sole & ab alijs causis alterantibus expers maximè reperitur: nam nec friget vt hybernus, nec calet vt æstiuus, nec est vt æstiuus siccus. Calfacere verò, & multo magis quam hybernus humectare, hinc deprehẽdere poterimus quòd germinationi & animalium generationi, tunc est aptissimus, quæ duo sine calore & larga humiditate non fiunt. Igitur si quo tempore (nimirũ vere) mutationibus à solis accessu & recessu maxime vacat, ipse nimis est genitiuus & prolificus valde in toto animalium & plantarum genere, sequitur natura humidissimum esse & modice calidum. Hoc itidem corpora aerea vt oleum & adeps aperte declarant, quæ calida sunt & humida, atque ob id flammam nutriunt, quod aquea vt cucumis, lactuca & portulaca facere nequeunt, quinimo hæc ignem extinguunt. Humectare autem ista minus quam illa, hinc

Lib. 1. de natura humana text. 33.

hinc deprehendes, quod si coria & lora, vel quæ indurata sunt corpora oleo aut adipe fricentur, magis emolliuntur quam si fricentur succo cucumeris aut lactucæ: quod argumēto est, aerem magis humectare quam aquā. Nam si generans tale natura est, quale quod generatur, & orta attestantur suis principijs, quemadmodum Aristoteli visum est, sequitur principium humectandi corporum aereorum humidius esse quam aqueorum. Rursus, si propter vnum quodque tale & illud magis tale est, vt etiam idem Aristoteles pronunciauit, & corpora aerea magis humectant quam ea quæ aquea sunt, ob id tantū quia plus aeris, quam reliquorum elementorū in se continent, aer magis quam aqua humectabit, eritque aer humidissimus, aqua vero non humidissima, sed citra summum humida; simili argumento probari non obscure potest terram plus siccitatis quam ignem obtinere, quoniam corpora terrea, cuiusmodi sunt acerba, velut galla, & Rhus sicciora multo sunt quam ignea flammam veluti referentia qualia acria, vt sinapi & nasturtium habentur, nam hæc, authore Galeno, vberem interim humiditatē possident: quapropter eorum nonnullis pro obsonio alijs pro condimento vtimur, cū tamen

Lib. 7. metaphy. tex. 28. & 30. & lib. 2. de anima cap. 4.

Lib. 2. posteriorum resoluto, capite. 2. prope finem.

4. simpl. cap. 18. & 19.

tamen quæ ad summum sunt acerba veluti galla & Rhus medicamenta tantùm nobis existant. Siccitas tamen in igne magis elucet propter adiunctam caliditatem; quæ ex accidenti vim habet exsiccandi, in terra minus propter frigiditatem, quæ humiditates non discutit vt calor, imo corporum detinet effluxum: sic humiditas in aere propter tenuitatem & raritatem obscura est & minime conspicua, aperta verò & manifesta in corporibus aereis vt oleo & pinguedine; quemadmodum calor in flamma minus vrit quam in pruna; & ignis in sua sphæra minus calfacit quam infernus hic noster, propterea quod ille tenuissimus est & rarissimus: quò fit vt nocte serena non luceat, cum tamen infernus luceat & vehementissime calfaciat, nullam aliam ob causam nisi quia in densiori & crassiori materia continetur. Porrò aerem humidissimum esse & modice calidum, humidum substantificum declarat, quod incongelabile existit, quia aqueum non est sed aereum, pingue, lentum, quemadmodum Aristot. est autor libro de longitudine & breuitate vitæ capite secundo. Oportebat enim (vt idem Aristot. docet) humidum istud vitale humidum

valde

valde esse & modice calidum: si etenim nimis humidum non esset, facilè aresceret & resiccaretur: si non esset calidum prompte refrigeraretur atque gelasceret; quò circa vita diu persistere non potuisset, quæ in calido consistit & humido, definiente ipsam Aristotele per primam nutritiuæ animæ in calido participationem ac moram, vel per mansionem calidi natiui in humido vegetatiuo. Igitur non frigidus & siccus natura aer est, sed verè est natura humidissimus & modice calidus: si namque frigidus existeret, vt Stoici opinabantur, tria elementa essent frigida, vnum tantum calidum, & ita propter excessum frigiditatis mundi fieret abolitio victo vno elemento calido à trib⁹ frigidis. Periret etiam animalium & omniū mixtorum generatio, nam horum quatuor qualitatibus inuicem contrariorum concursione, omnia gignuntur atque concrescunt: quo fit vt si calida tollas, concrescant frigida caloris inopia: sin frigida pereant, omnia ignis erunt & aer: ergo non solum sufficit quatuor existere elementa, sed oportuit qualitatibus ea quodā modò esse contraria. Nec potuerunt talia haberi si aer calidus non esset & humidus. Cuius sententiæ fuit Aristot. lib. 2. de ortu & interitu cap. 3. quem sequuti sunt omnes

Lib. de respiratione seu de vita & morte capit. 14.

Stoicorum de aeris qualitate opinio refellitur.

quot

quotquot ab eo sibi cognomen vendicarunt & Aristotelici fuerunt nuncupati, veluti docet Gale. lib. 2. de simpl. med. facul. cap. 20. sic scribens: siquidem Aristo. quiq; eum sectantur, calidum esse aerem existimant, at Stoici, frigidum. Auicenna etiam 1. primi. doct. 2. c. 1. aerem calidũ esse & humidum ingenue est professus: quod non leue argumentum est ad credendum, Galenum in eadem sententia extitisse. Si enim vt nonnulli arbitrantur, ipse frigidum illũ esse censuisset, aut Auicenna eum sequutus fuisset, aut certe eius opinionem confutasset, quemadmodum alias in quibus ab eo dissensit, confutauit. Verùm quòd Galenus non aliam habuerit quàm Aristoteles de aeris qualitatibus opinionem, ex 2. de simpl. med. facultat. cap. 20. fit manifestum, vbi sic ait; Aer omnis natura calidus est vt & generatio quoque eius indicio est; nimirum cum extenuata solutaq; à calore aqua aer efficiatur. Et deinceps cap. 24. subscribit, actu enim aeres sunt calidi, potentia verò medicinæ. Quod si alicubi ille aerem refrigerare dixit, sibi contrarius non est, loquitur enim interdũ philosophicè de aere interdum medicè: philosophicè loquens, hoc est cõsiderans res prout in seipsis sunt, & non hominis respectu, calidũ dicit: me-

Galenus non aliam quam Aristoteles habuit de aeris qualitatibus opinionem.

Galenus dupliciter aerẽ considerat.

dicè vero, frigidum, ná medici res perscru tantur non absolute nec vt in seipsis sunt, sed hominis consideratione, hoc est eius al terationis, quá in homine inducere queũt, quo modo si rimeris, aerem frigidum inue nies, intus nanq; attractus refrigerat atque attemperat calorẽ qui in nobis est. Quod ipse nos docuit lib. 1. de differentijs febriũ cap. 4. sic scribens: Difflantur enim semper animalium corpora duobus modis: emis- sis foras quotidie vaporosis fumosisque excrementis: attracta autẽ intro aerea sub stantia refrigerante atq; ventilante naturalẽ caliditatẽ. Sic etiá lib. 6. de vsu partiũ. c. 15. ab eo dictũ est; Quid vero familiarius cor- di habetur quá spiritus ad refrigerationẽ? Nec secus idẽ intelligi debet lib. 4. de ratio ne victus qui seruatur in acutis com. 35. cũ ait: Nempe in commentario de vsu respira tionis demonstratum est, animal in respi- rationis priuatione non ob substantiæ pe- nuriam perire, sed quod calor natiuus, tũ refrigerio, tum ventilatione, quam aer præstat, destituatur. Asserit hoc tũ lib. de vtilitate respirationis, tũ illo qui de vsu pul suum inscribitur. Ex quibus clare intelligi tur, aerẽ, licet in se & sua natura calidus sit, quoad hominẽ vero esse frigidum, quãdo quidem calorem qui in eo est tẽperare va-

Quomodo aer frigidus dicatur.

let

let non solũ tempore quo alget, verumetiã quo summopere calet, vt ex Gale. probari nõ obscure potest lib.8. de vsu partiũ cap. 2. dicente, aerem æstiuũ cerebro esse frigidiorẽ. Quod agnoscentes chirurgi, vt idẽ Galenus docet, dũ caluæ fracturas curãtes cerebri meninges detegere coguntur, etiã æstate media testã excalfactam aut vas carbonibus accensis oppletũ suspendi supra vulnus per ministros faciunt, ne cerebrũ attractu frigidioris aeris oblædatur. Quod si ab aere, æstatis tẽpore, cerebrũ facile refrigeratur, indigetq; tunc foueri citissime, tanquã citra molestiã frigidæ substãtiæ occursum nõ tolerãs, quanto magis ab eo cor refrigerabitur, cuius naturalis calor, teste Galeno, similis nõ est illi qui partibus reliquis proprius habetur, cũ cor feruere semper sit opus, cæteris vero partib⁹ satis sit si nõ sint frigidæ? Quippe par caloris portio vt cordi est minima, sic reliquis partibus est omnino magna, qa cordi plurimo semper est opus calore, cæteræ exiguo sunt cõtentæ: cor enim (si eidẽ Galeno creditur) quasi ignis quendã focum animalia sortita sunt, quod ob eximiã caliditatẽ quasi flamma quædam assidue moueri non desinit, sed mutua reciprocatione semper distenditur atque contrahitur; atque ob id

Libr. de vsu pulsuũ. ca. 2.

Lib. de fetus formatione. cap. 1.

Lib. 7. de anatomicis admi nist. c. 8. 6. de vsu part. c. 7. 6. epid. part. 4. com. 24. 5. de locis affectis. c. 1.

celerrime interit animal ipso refrigerato. Etenim cùm cor (eodem docente Galeno) innati caloris sit fons, decebat illud calidissimum esse viscus, aliter namque caloris naturalis origo esse non potuisset: cuius calor quantus sit lib. de inæquali intemperie ostendit, dicens; Si in sinistrum cordis ventriculum viuo etiam animante nec adhuc febre tentato immittere digitum velis vehementissimum deprehendes calorem: quo magis verisimile est vbi totum corpus præter naturam incalescit hunc maxime sinum ad summum peruenire calorem, quippe cùm tenuissimum maximeq; spiritu osum sanguinẽ habeat ac moueatur perpetuò. Et lib. 2. de temp. cap. 3. aiebat: Si digitos in sinistrum cordis sinum immiseris, inuenies enim locum hunc omnibus quæ in animali sunt non paulò calidiorẽ. Quod itidem lib. de vsu pulsuum cap. 2. cõfirmat scribens in hunc modum: Cæterum si corde iam refrigerato, & propterea animali iá mortuo velis alterutro vẽtriculorum eius adaperto, & præcipue sinistro, digitum in eum statim mittere, magnum inibi calorẽ deprehendes, longeque maiorem quam in alijs sit partibus dummodo pro naturę modo se habeant. Quocirca si fracto cranio summopere præcauemus ne cerebrum ab

aere

aere etiam æstiuo refrigeretur, quanto ma-
gis thorace confosso præcaueri debet ne
cor ab aere eodẽ offendatur? eo quod Ga-
leni testimonio citissime moritur animal
si illud refrigeretur. Ex quibus clare intel-
ligitur aerem quocunque temporis anni,
aut regionis, aut constitutionis calore affi-
ciatur, semper à cordis & arteriarum calo-
re longo interuallo relinqui, esseq; quoad
hęc frigidum & multo magis naturalẽ qui
æstiuo minus habetur calidus. Nec hinc
sententiæ aduersatur Galenus lib.1. de dif-
ferentijs febrium cap.6. dum ait: Calidio-
res ambientis nos aeris conditiones (qua-
les sunt circa Canis syderis ortum) potissi-
mum per inspirationem perspicuè cor ip-
sum calefaciunt, extrinsecus verò circum-
fusæ corpori, totum ipsum calidum red-
dunt, maximeque arterias vt quæ nonni-
hil substantiæ ipsius ambientis aeris attra-
hant: ex quibus omnibus simul afficiatur
cor necesse est, atque ipsum in primis im-
modicè calfiat, maximeque febrili disposi-
tione tenteatur, atque toti subinde corpori
immittat oportet. Et lib.4. de ratione vi-
ctus in morbis acutis: Qui immoderatior
(inquit) aeri existit, pulmonem accendit.
nam his omnibus respõdere possumus di-
centes, aerem calidum non primario nec

Libro. de vsu puls. c.2.

Galenus à cõtradictione vindicatur.

Galeni loci interpretantur.

de per se, sed ex accidenti & secũdario cor se calidius excalfacere; quia cùm substantia aerea non attrahitur, aut quæ attrahitur parum frigida est, cor exardescit, nõ quod adsit causa calfaciens, sed quod desit sufficienter refrigerans. Poterit etiam aer insito suo & moderato calore nos excalfacere, non quidem inspiratu nec transpiratu, sed cutis tantum attactu: nam cutis, & præsertim hominis pituitosi, aut frigida est aut certe parum calida, qua aerem natura sua calidiorem esse, alienum à ratione non est. Ad quod arbitror Galenum respexisse lib. 2. de simpl. med. facult. c. 24. cum dixit: Aerem enim calidum haud ipsi effecimus, sed quoniam in eo versando talem ipsum experimur ita nuncupamus.

Dubitatio non exigua.

Oritur autẽ hoc in loco non exigua dubitatio; elementa cum pristinas qualitates amiserunt & extra proprias naturas sunt à quo tandẽ in illas reuertantur? Nõ disputamus hic de igne, quẽ cõstat naturalis caloris & siccitatis esse tenacissimum, nec de aquæ humiditate, quia hãc qualitatẽ vt par est, ipsa nunquã deperdit, sed de elementis ijs quæ formis suis seruatis insitas qualitates non seruant. Ac philosophi quidẽ controuersiam hanc circa aquæ frigiditatem exagitant, quærentes, cùm præter naturam

illa

illa calefit, à quo natiuam frigiditaté recuperet? cum tamen non minus quærere deberent de aere & terra, quandoquidé hæc haud secus quam aqua adulterantur; & nō in vna qualitate solū sed in ambabus etiā. Aer natura calidus est & humidus, interdū tamē intenso frigore & siccitate obsidetur. Sic terra sępenumero nos calfacit & humectat aliūde calore & humore acquisito: igitur cū huiusmodi elemēta sic sunt præter naturā affecta, quid sit in causa vt ipsa aduētitias exuant qualitates, & ad eas quæ eis secundū naturā sunt regrediātur, ac pristinas vires recuperent, haud ab re quęritur. Cui dubitationi dicerē ego, huiusmodi ab statu præter naturam in naturalē regressum à propria cuiusq; forma effici; hæc enim autore Arist. principiū quoddam est & causa vt id moueatur atq; quiescat in quo primo per se & non per accidēs inest, ergo motus quo aqua à calfactione infrigefactionē mouetur, forma ipsa causa est, quæ non remittitur vt qualitates, sed integra manet toto tēpore quo res ipsa persistit atq; perdurat: hæc enim nō formaliter, vt philosophi loquūtur, sed virtute & potētia aquæ caliditati aduersatur; quapropter illā tanquā contrariā depellere ac corrumpere nititur. Nec inconuenit, huiusmodi contraria in eodē

Lib. 2. phys. cap. 1.

subiecto simul inesse, nec opus est vt aquę forma caliditate potentior tangentis manum infrigidet, etiam si ab ea frigiditas tanquam è fonte emanaret, quoniam in extrinsecum nisi mediante instrumento agere non potest, licet intrinsecùs possit. Adiuuat actionem formæ ad celeriorem frigiditatem comparandam vaporum exitus; quibus resolutis, vt Auerroi placuit, aqua ipsa frigida apparet: quo fit vt plurima aqua tardius infrigidetur quam pauca; etenim vapores citius ex pauciori aquæ quantitatę exeunt ac discutiuntur quam ex maiori; cuius oppositum fieret si solum actio formæ in caliditatem concurreret. Atque hæ (ni fallor) mihi videntur causæ cur aqua calfacta energia fiat frigida, & natiuam insitamque qualitatem adipiscatur. nam quæ à philosophis afferuntur, mihi non placēt: quod enim aiunt ab ambiente infrigidari, falsum est, quoniam ambiens natura sua calidus est, quare non potest indere frigiditatem nisi aliunde eam acquisiuerit. Porrò aqua calida in aere æstiuo & meridiano deposita, frigiditatem recipit velut natiuam, multo maiorem, quam ea sit quæ in aere est. Rursus posita in vacuo frigida fiet sine ambientis ope; ergo non ab aere sed ab intrinseco frigiditatem est nacta, etiam si ab ambien-

Lib. 2. de anima com. 115.

Quorundam opinio refellitur.

Aliorum sententia improbatur.

ambiente nos aere frigore præter naturam affecto celerius infrigidetur adiuuante actionem formæ externa frigiditate. Arbitrantur alij ab aqua quantumcunque calefacta & feruente semper aliquot frigiditatis gradus actu seruari, eosque numero plures esse quam calidos, vi quorũ in antiquã remeat naturam, qui si non seruarentur, remeare illa nullo pacto posset, quia frigiditatem frigiditas parit; numero autem plures frigiditatis quã caloris gradus esse oportere contendunt, alias enim aqua semel amissam frigiditatem non recuperabit: nã cum actio omnis, docente Arist. à proportione maioris inæqualitatis efficiatur, necesse est si infrigidatio fieri debet, vt frigiditas calorem superet. Cæterũ quod in aqua feruẽtissima gradus aliquot frigiditatis insint, inficias non imus: nam si ignis hic noster aliquantulum remittitur & nonnihil frigiditatis admittit, multo magis feruens aqua admittet cui cognata frigiditas est, igni autem non est. Verum quòd frigiditas hæc in feruentissima aqua maior sit quam caliditas, aut cum caliditate æqualis, concedi non debet: quoniam si æqualis esset, fieret æquale ad pondus temperamentum si tale in rerum natura consistere potest, si quidem Gale. lib. 1. de temper. cap. 9. non

Conceptis verbis elicitur ex Arist. lib. 7. phys. cap. 5.

aliter symmetron in vniuersa substantia constituit, quam miscentibus nobis aquæ feruenti parē modū glaciei: quod enim ex ambobus est mixtū, (illius sentētia) pari interuallo ab vtroq; extremorū aberit, & eo q vrit, & eo quod frigore stupefacit. Si vero tenēt plures frigiditatis gradus in feruida aqua quā caloris haberi, dicāt mihi, cū actio omnis à prępollētiori eueniat, cur nō infrigidant tangentis manus? aut cur aquæ calorem non remittūt, sic vt magis frigida quā calida appareat. Eadē in aere hæsitatio suboritur cū nimio frigore obsidetur, quali præcipue bruma rigente flatu aquilonio affici solet, nā tūc non dicent plures in eo caloris quā frigiditatis gradus seruari, modice enim calidus natura cū sit vniuersus eius calor dimidiū frigiditatis, qua tūc infestatur, nō æquat, quanto minus totā frigiditatē superabit? Quod si superat, quomodo eo tēpore nos tā vehementer refrigerat vt ferre non queamus eius frigiditatem, & cuncta concrescere habilia congelat ac cogit in glaciem. Sed de his satis.

Actio omnis à prępollentiori euenit.

Vnum tamen hoc in præsentia omittendū non est. Diximus, cuncta elementa suas actu obtinere qualitates, habita cōditione prius dicta; ex hisq; vnā posside re in summo, reliquā citra summū: terra nanque in

summo sicca est, frigida verò non in summo: ignis summe calfacit, non tamen summe exsiccat: in summo frigida existit aqua, humida verò non in summo, queadmodũ aer summam habet humiditaté, caloré verò moderatũ. Num vero qualitas quæ summa non est remissionem habeat per contrariam qualitatem, vel sine hac remissa sit controuersum apud philosophos est. Opinantur aliqui necesse esse totam latitudiné qualitatũ adimpleri debere, vel vna tantũ qualitate vel duabus: vnde colligunt qualitati illi, quæ citra summũ est, misceri qualitaté contrariá ea mensura qua totam latitudinem implere sufficiat; vt exempli gratia, si caliditas in aere est graduum sex, cũ ea consistent frigiditatis gradus duo, vt ex ambabus qualitatibus tota latitudo quæ est octo graduũ impleatur. Verum isti nó animaduertunt ex suo placito sequi nullũ inueniri posse elementum quantumcunq; sincerũ & simplex quod nó tribus cóstet qualitatibus; summa nimirũ & nó summa; & ea quæ huic vt latitudo impleatur permista est: quo absurdius in tractatione hac inueniri potest nihil. Sequitur itidé nullũ dari ne cogitatione quidé simplex elementum, quãdoquidé omnia alienæ qualitatis miscellam habent: & adhæc qualitaté quæ

Confutatur opinio dicentium, qualitati elementi, quæ est citra summũ misceri qualitaté contrariam.

est citra summum definitam non haberi, sed nunc remissam magis esse, nũc minus prout adscititiæ qualitatis maiorem vel minorem mẽsuram admittit. Deducitur etiã elementum non esse vnum, maleque Hippocrat. probare, hominem non ex vno constare elemento quia dolet, quoniam quodcunque elementum acceperis multiplex est; quocirca & repugnantiam contrarietatemq; in se habet. Quare si ex eo solo corpus humanum constaret, dolere posset, quandoquidem aduersas & contrarias obtinet qualitates: hæc namque inconuenientia ex istorum opinione sequuntur: quæ nonnulli animaduertentes, dixerunt, elementa singulas obtinere qualitates in summo; quæ sentẽtia Aristote. & peripateticis omnibus aduersatur, etiam si Gale. eam innuere videatur, dum inquit, ignem calidissimum esse & siccissimum, terram frigidissimam & siccissimam, & aquam frigidissimam & humidissimam, quod libro. 1. de simpl. med. facult. cap. 32. confirmat dicẽs; Aqua supra quam quod refrigerat, omniũ est humidissima, nihil est enim aqua humidius. Verumtamen ex his quæ supra sunt enuntiata, constat aquam non summe humectare, nec elementa ipsa ambas obtinere in summo qualitates sed vnam tantum, alteram

Lib. 1. de elementis & lib. 1. de humana natura.

Elementa ambas qualitates in summo non habent, sed vnam dũ taxat.

alteram citra summum: hancque sincero existenti elemento simplicissimam esse & sine alterius contrariæ qualitatis admistione asserim⁹, ita enim simplicissimo corpori cõueniebat, simplicissimas videlicet qualitates & contrarijs immistas obtinere, cum quod commistas habet non amplius purũ nec simplex maneat, sed adulteratum & cum aliena natura compositum. Nec ad remissionem qualitatis opus est semper contraria qualitate quæ eam refrangat aut remittat, sufficit enim quandoque ipsa corporis simplicissimi natura ad seruandam illam remissam sine contraria qualitate retũdente, qualitasque in illo gradu formæ ipsi conuenit eidemq; satisfacit, quæ si summa esset, non satisfaceret. Rursus, si quod deficit à summa qualitate adimpleri deberet qualitate contraria, necesse esset propriȩ qualitatis plus esse quam contrariæ; aliàs enim magis denominaretur elementum à contraria qualitate quam ab insita & propria. Verbi gratia, aer plus debet habere caloris quam frigiditatis, sic vt obtineat caloris gradus sex aut ad minus quinque, frigiditatis duos aut tres: nam si è conuerso accideret, frigidus aer à prædominio foret, aut si pares caloris gradus & frigoris obtineret, nõ esset cur magis calidus quam fri-

gidus diceretur. Ergo oportet vt calor in eo frigiditatem superet, si calidus nõ frigidus dici debet: sed si hoc daretur nos deberet semper calfacere non refrigerare, vt dictum superius est, quia calor noster temperatus est, & aeris calor, vt isthæc fert opinio, supra temperatum existit. Nec dicendum, ob contrariam admixtam qualitaté nos frigefacere, quia actio perpetuo à valentiori fit, & rationi consonum est sex caloris gradus potentiores esse ad calfaciendum quam duos frigiditatis ad refrigerandum: ergo si refrigerat nos & hoc non per qualitatem frigidã admistam, erit per calidam remissam, & ob id quia calor illius minor est calore nostro. Quocirca si nos sumus calidi vt quatuor, sequitur, aerem adminus calidum esse vt tres, & reliquũ omne quod deest vsq; ad gradus octo vacuũ qualitatis reperiri. Nonnulli de reactione disputantes tenent, remissionem intensæ qualitatis non fieri à qualitate remissiori, sed à contraria remissæ, vt latitudo impleatur cõmixta. Itaq; aiunt, remissè calidũ nõ esse quod intẽse calidũ remittit, sed frigiditaté quæ cũ remisse calido permiscetur: quod dogma ex ijs quæ modo dicta sunt cõfutari non multo negotio potest, quoniam aer qui simplicissimus est ac purus proprio ca-

lore

lore nostrũ suo maiorẽ refrigerat sine frigiditatis ad mistione, quandoquidẽ simplex qualitas est nulli alteri coniũcta: ergo remisse calidũ quatenus tale est & nõ per frigiditatẽ aliquã, quod intẽsius calidũ est remittit nulláq; aliam ob causam nisi quia, autore Galeno, remisse calidũ respectu calidioris velut refrigerans haberi debet. Nec ob hoc euertitur illud Aristotelis & philosophorũ placitũ, ꝙ docet, simile nõ agere in simile, quia remissus & intẽsus calor licet similes sint in qualitate, sunt tamẽ dissimiles in gradu, cũ inter ea tãtũ quæ vtroque modo similia sunt nulla prorsus actio procedat, vt Galeno visum est lib. 2. simp. cap. 24. dicẽti: Quæ similia vndequaq; corpora sunt, à se se mutuo nullam accipiunt mutationem. Quod multo ante Galenum docuit Aristoteles lib. 1. de generatione & corruptione c. 7. inquiens, quod simile est & omni ex parte nullam prorsus habet differentiam, nihil à simili patitur. Verum quia de his plura fortassis, quam præsenti tractationi conueniãt, protulimus, eis finẽ imponamus, & ad reliqua quæ interpretanda supersunt accedamus: interim verò parcant mihi medicinæ studiosi si pro explicãdis rebus controuersis & ad hæc difficillimis in has quæstiones exorbitasse

3. lib. de sim. med. facult. c. 8.

Lib. 1. de ortu & interitu c. 7. & li. 8. ethicorum. ca. 8.

sim visus: quod arbitror facient præsertim si animaduerterint à præsenti instituto omnino alienas non esse.

Quid purgatio, quid medicamentum purgans, ac quot modis hæc dicantur.

CAP. VII.

DE purgatione deinceps verba facturi, principio animaduertendũ, ipsam aliter apud rhetores, & aliter apud medicos vsurpari: nam illi interdum purgationem pro excusatione vel satisfactione accipiunt, nempe (vt Cicero ait) cum factum conceditur sed culpa remouetur: in qua significatione ab eo dictum est, Brutum per literas purgare Cæsarem de interitu Marcelli. Ac rursus: Quod te mihi de Sempronio purgas, accipio excusationem. Et iterum: Seruos ipsos, quod ad me attinet, nec arguo nec purgo: hoc est, nec accuso nec excuso. Medici verò semper purgationis nomen pro noxiorum expulsione sumunt. Et sic Gale. lib. 4. de rat. vict. in morbis acutis com. 20. corpus impurum excrementosumque quod vacuatur, iure optimo

Lib. 1. de inuentione nõ longe à principio.
Lib. 13. epist. ad Atticum, epistola 10.
Lib. 12. epist. famil. epist. 29. in oratione pro Sexto Roscio Amerino.

mo expurgari pronuntiauit. Vnde Plato in Sophista, vel de ente, non longe à principio, purgare nihil aliud esse arbitratur quã quod prauum est eijcere, reliquũ vero seruare. Quocirca purgatio merito vacuatio illa dicetur, per quam quod deterius est deponitur, meliori intus detento: quæ res tanti est ad sanitatem recuperandam senectutemq; retardandam momenti, vt sæpe ea vna vel sola à morbis quã plurimis equidem exitialibus & pestiferis liberemur, ac multum vitæ tempus incolumes nulloq; pressi symptomate degamus. Quapropter non solum à nobis quotidie vsurpatur, verumetiam à ratione carentibus animalibus frequenter suscipitur, quibus instinctum ad eam obeũdam natura indidit. Nam ceruæ (si Ciceroni creditur) paulò ante partũ purgant se quadam herba quæ seselis nominatur: ac canes herba ingesta euomere ac ita se purgare, ab Aristo. scriptũ est. Præterea, vomitione canis purgare aluos ibes Ægyptias curare, lib. 2. de natura deorum idem Cicero literis prodidit. Est enim purgatio, autore Galeno, humorum qui sua qualitate infestant euacuatio: vbi summopere contendunt interpretes vt decernant quid per qualitatem Galenus intellexerit, dicentibus nonnullis non esse intelligẽdas

Purgare qd apud Platonem.

Lib. 2. de nat. deorum.

Lib. 8. de histo. anim. capit. 5.

Lib. 1. aphorism. 2.

primas qualitates, caliditatem scilicet, frigiditatem, siccitatem atque humiditatem, nam his alteratio non euacuatio debetur. Si namque bilis plus iusto calidior est reddita, remedijs refrigerantibus attemperari debet nō purgantibus euacuari, sicuti si pituita nimis est frigidior, debet calfieri & ad commodū temperamentū redigi. Alij asseuerant, per qualitatem Galenum intellexisse speciē humoris quē debemus euacuare, videlicet pituitā, bilē flauā, & atram qui si interpretēt speciē humoris peccātis vt si peccet pituita, pituita purgari debet: si bilis, bilis; si melācholia, melācholia, consentanea dicūt: sin vero simpliciter speciē humoris efferūt sine adiectione alia, falsa & à ratione aliena loquūtur, nesciētes nullū humorē specie sua infestare, omnes nāq; vtiles sunt & proficui, & à natura nobis insunt, dicēte Hippoc. lib. de natura humana, nostri corporis partium ab initio generationem, ex sanguine & pituita, & duplici bile flaua & nigra constare, & postmodum toto vitæ curriculo ex eisdem perseuerantiam habere. Etenim vt. 1. de sanitate tuenda in initio docet Galenus, generationis nostræ primordia duo sunt, sanguis menstruus & semen viri & mulieris, ambo ex quatuor elementis, igne,

Humores quatuor proficui sunt & nobis à natura insunt.

Generationis nostræ primordia quæ.

aqua, terra & aere, & ex humoribus quatuor, sanguine, vtraque bile & pituita conflata: nam menstruus sanguis sincerus nõ est, sed duplicem in se bilem pituitamque habet, & vtrunque semen ex sanguine fit quatuor humores in se complexo, ex quibus cunctæ nostræ corporis partes initio constitutæ sunt, & deinceps omnes ad interitum vsque ex sanguine humores quatuor in se continente nutriuntur, & quãdiu illis datum est augentur, propterque horũ quatuor seruatam quantitatem, qualitatem & debitam mistionem valemus: ob variatum aliquod horũ triũ, vel ob duo aut omnia mutata ægrotamus, magis vel minus pro mutationis multitudine aut magnitudine. Ex quibus liquet peccatum humorum in propria specie non esse sed in humoris putredine, corruptione, pessimis ve alijs qualitatibus naturæ nostræ infestis de quibus postea verba faciemus.

Dubitatio.

Dubitari iure optimo potest, num purgatio sit etiam humorum sua quantitate infestantiũ euacuatio. Verũ tamẽ huic dubitationi satisfacit Galenus li. 1. apho. com. 2. nã explicans sententiã illã: In perturbationibus ventris & vomitibus spontinis si talia purgentur qualia purgari conuenit, confert & leuiter ferunt; sin minus, contra,

Dubitationi satisfacit Galenus.

duplici modo probat non de quantitate eorum quæ euacuantur, sed de qualitate tantum sermonem Hippocrati esse; primò ex ipsius aphorismi serie, nam cum ait talia & qualia, perspicue indicat se de qualitate solum verba facere, quia voces hæ qualitatum tantum sunt relatiuæ. Si namque quātitatem significare voluisset, haud dubiè dixisset, si tantum quantum purgari oportet, purgetur: et rursus in aliis quæ à medico fiunt euacuationibus, si tanta fiat quanta fieri debet. Secundo id ex verbo purgationis demonstrat, nam ait, non simpliciter Hippocratem dixisse, si qualia oportet euacuari, sed si qualia oportet purgari: nā purgatio humorum est, qui sua qualitate molestant, euacuatio. Ex quibus Galeni verbis non obscure colligitur, purgationē humoribus qualitate peccantibus competere, non peccātibus quantitate. Iuxta quā significationem, purgationem definiuit ipse tum eo loci tum etiam lib. 2. apho. com. 17. quādo hunc in modum scribit: Quod autem euacuationem simpliciter Hippocrates dicere consueuerit, quando humores omnes æqualiter euacuantur, purgationem autem quando praua affecti qualitate, meminisse oportet. Cæterum licet hic cum Galeno disceptare aduersumq; cum

Purgatio quid secundū Galenum.

suis

suis placitis probare, purgationem humoribus etiam quantitate peccantibus deberi, esseque succorum qui sua qualitate aut quantitate, aut eorum qui vtroq; modo fatigant, vacuationē. Nam quis dubitat cacochimiæ purgationem deberi, & cacochimiam fieri non solum corruptis alijs à sanguine succis, verùm eisdem sine sanguinis excessu citra corruptionē aut prauam aliā qualitatem redundantibus? dicente eodē Galeno lib. 13. metho. cap. 6. vbi vel flaua bile vel nigra, vel pituita, vel serosis humoribus refertum corpus iam fuerit, eum habitum cacochimiam, hoc est succorum vitium non plethoram nominari. Et lib. de plenitudine cap. 11. quando lutea sola (inquit) vel flaua dicta bilis citra sanguinis excessum, vt in ictericis superauerit, talis affectus non plenitudo, sed humorum vitiū quod cacochimiam nominant, dici debet. Rursus, homini cui amara bilis in vniuersum corpus sine febre redundat, exhibito medicamento bilem trahente, naturalis corporis habitus eiusmodi potione ipsi restituitur etiam si nōdum extrinsecus quid quam admoueatur: quo argumento vim purgantium medicamentorum probat Galenus, aitque illo multos semidepravatos eorum qui facultatem eam negabant ad

Cacochimiæ purgatio debetur.

Quid sit cacochimia.

Lib. de purgātium med. facul cap. 2.

meliora reuocasse: ergo bili sola quantitate peccante purgatio adhibenda est eidéque debetur. Quod patet, quia supponit Galenus hominem ea obsessum non febricitare: quibus verbis innuit manifeste bilem putrefactam nondum esse: si namque corrumperetur aut quoquomodo putrefieret, statim febrem committeret, iuxta ipsius doctrinam lib. 2. de differ. febriũ, cap. 5. Nec hoc aduersatur Hippocrati dicenti deiectiones nõ esse multitudine æstimandas, nam his verbis non vult quantitatis nullam prorsus considerationem esse habendam, sed de bonitate euacuationis ex quantitate non esse iudicandum: quia vt in eius aphorismi enarratione testatur Galenus, quantitatis nullum habemus indicium, & ob eã causam subdit, nobis dedisse Hippocratem de eadem quantitate iudicandi viam ex conferentia & ex facilitate tolerantiæ: si enim euacuatio confert & eam facile ægrotus fert, satis copiosam fuisse euacuationem coniectamur, quod absolute ex excretorum deiecta copia dicere non possumus: quoniam quę in vno immodica excretio habetur, in alio vix mediocris esse censetur vt sunt varij hominũ habitus atque naturæ: verum de ijs infra libro secundo, latius disceptabitur, quare

Apho. 23. sect. 1.

ad

ad institutum reuertamur. Si namque teste Galeno purgatio cacochimiæ debetur, & cacochimia, eodem tradente, est cum quiuis alius à sanguine humor sine sanguinis augmento quantitatem amplã adipiscitur, sequitur, humoribus sua quantitate sine sanguinis excessu infestantibus, purgationem conuenire. Vrgent certe (meo iudicio) hæc, atque summopere premunt: quare nunc explicãdum à nobis est, quid Galenum mouit vt diceret, purgationem humorũ esse non quantitate, sed qualitate molestantium euacuationem: quod assequi difficile non erit si eorum, quæ alibi ipse docuit, in memoriam reuocauerimus; etenim eadem est ratio purgationis & sanguinis misionis, sed hanc non simpliciter indicat humorum multitudo, igitur nec purgationem exuberantium humorum quantitas indicabit. Si namq; plenitudo non est de scopis detractionis sanguinis, nec quantitas quidem exuberantiũ à sanguine humorũ, de scopis erit purgationis, nam vtriusque ratio est eadẽ. Antecedens ex Galeno constat lib. 4. de ratione victus in morbis acutis com. 19. vbi de eis agens quæ ad sanguinẽ mittendum requirũtur, post multa alia sic scribit: Cæterũ cũ omnia hæc recte dicta sint, quosdã

Lib. 13. meth. cap. 6.

Lib. de plenitudine cap. 11. & 13. meth. cap. 6.

Menodotus empiricus in sola plethorica vocata syndrome sanguinem mittebat.

tamen nō recte visos fuisse est putādū, quo è numero est Menodotus empiricus, in sola plethorica appellata syndrome, sanguinis missionem obseruari asseuerans. Nunc autem & ea non existente venam secamus cum dolor vehemens hominem apprehenderit vel pars aliqua fracta fuerit, vel os ex loco pulsum sit, vel alius quispiam articulus confractus reductusque sit; nec etiam plethorica facta syndrome sanguinē semper mittimus, sed & frictione & balneis multis & abstinentia quæ tribus vel quatuor diebus fiat, ad id quod naturale est reuocamus. Ex qua verborum serie clarè intelligitur verum esse id quod probare intēdebamus, nempe plethoram non absolute venæ sectionem indicare, nam si plenitudine præsente non semper sanguis detrahitur & ipsa non existente plerumque vena secatur, illa inter scopos mittēdi sanguinem recenseri non debet: sed hunc, vt Galenus docet, mittendū esse indicant morbi magnitudo vnà cum virium robore. Non quidem quod virium robur sanguinis detractionem indicet, nam hęc à morbi tantum magnitudine indicatur, verumtamen ea exerceri non debet virium robore renuente aut non satis permittente. Ad eundem modum purgationem magnitudo morbi

Lib. 4. meth. cap. 6.

indicabit, nam cum ea quemadmodum & sanguinis missio, autore Galeno, sint magna remedia, non nisi à magno aliquo morbo indicantur, quo absente vel saltem non imminente, fieri non debent etiam si plenitudo aut quantitas adsit cacochimiæ; præsertim cum hæc quemadmodum ac simplex plethora alijs præsidijs corrigi cômode possit, frictione nimirum, balneis ac cibi abstinentia vel eiusdem parcitate & alijs huiusmodi, quibus quemadmodum sæpe plethora absque venæ sectione in naturalẽ habitum reuocatur, ita & cacochimia simplex sine purgatione in eundem reuocari potest. Quod Galenus manifeste voluit libro.4.metho.cap.6. dum ait purgationem in sola vitiosi succi abundantia non conuenienter suscipi, sed hanc propter abundantiam alterius cuiusquam à sanguine succi & propter vim morbi esse adhibendam. Quibus verbis innuit clarissime quantitatem cacochimiæ ad purgationem obeundam non sufficere, nisi vnà etiam vis adsit morbi, nam vitiosi humoris quantitas si est absque corruptione vel praua aliqua qualitate, alijs quæ dicta sunt præsidijs corrigi non multo negotio potest, & ad hæc epicerasticis, hoc est attemperantibus edulijs vt Galenus docuit lib.2. de simpl. med. facult.

Lib.2.aphor. com.29.

Venæ sectio & purgatio sũt magna remedia.

Purgatio ob quid adhibenda est.

Epicerastica, hoc est attẽperãtia quando conueniant.

cap. 13. & 14. hæc enim mitigare ac demulcere cacochimiam queunt, dummodo viciosi succi sint quantitate pauci; nã si multi nimis existant, attemperantia vnà cum illis corrumpuntur & cacochimiam adaugent, quo casu purgatio excusari non debet: quemadmodum nec in ea plenitudine sanguinis misſio excusatur, quæ adeo est immodica vt sic obstruat venarum & arteriarum ora quòd refrigerationem prohibeat, & tunicas earum distendat; ac ruborem tumoremque magnum inducat, & carnis vel cutis transpirationem moretur, vt hinc itidem via pateat per quam propositam dubitationem effugere valeamus, videlicet si dixerimus cacochimiæ quantitatem si multa non est nec plurimum naturæ limites excedit non indicare purgationem, sed alijs remedijs quæ dicta sunt posse demoliri, de qua Galenum locis citatis loquutum fuisse est arbitrandũ. Verum quæ multum exuperat ac nimiũ est immodica, cum grauem aliquem morbum secũ conuictum habeat, aut illũ de proximo minetur, purgatione haud dubie egere censendum est, illamq; tũc exerceri propter humores qui sua quantitate infestant, quemadmodum & plethora quæ extra modum & plus æquo est adaucta, quia

Quæ cacochimia purgationem indicet & quæ plethora sanguinis exigat misſionem.

venas

venas rumpere aliaque symptomata indu
cere est parata sine cunctatione sanguinis
detractione tolli debet eo q̄ cætera præsi-
dia languida sunt vt tantā humorū molē
amouere queāt; sunt enim ambo hęc mag
na remedia, quapropter morbis magnis ad
hiberi debent; quippe isti sunt qui magna
exposcunt pręsidia. De sanguinis missione
id Hippocrates pronūtiauit lib. 4. de victu
acutorū sententia. 19. dicēs: In acutis mor-
bis sanguinē detrahes si morbus vehemēs
videatur. De purgatione Galenus pronun
tiat lib. 4. metho. cap. 6. quo loco postquā
Hippocratis sententiam ex libro de vlceri
bus retulit, sic ait: His verbis clare voluit vl
ceribus omnibus & vulneribus quoties
pręualida sunt, purgationē esse vtilē. Et de
inceps subscribit: Cū triplici genere mor-
bus quisq; sit grauis, aut propter præcellē-
tiā partis aut propter affectus magnitudinē
aut propter ipsius cacoetheian, horū om-
niū meminit Hipp, vbi de purgatione egit.
Sed de his satis: quare reliqua ꝑsequamur.
Qualitates primę si in solidis tātū partibus
excessum habuerint, sola alteratione depel
luntur: sin vero in corporis humoribus cō
tineantur, non hac solū, sed purgatione re
mouentur. Quocirca feruor bilis refrigerā
tibus medicamētis coercetur cōpescitur.

que & purgatione similiter, quæ inquam vniuersam bilis, quæ supra modum incaluit substantiam euacuet; qua de causa dixit Galenus purgationem ex accidenti refrigerare. Pari modo si medicamentum quod pituitam expurgat contingat frigidum esse purgatio ex accidenti dicetur calfacere, siquidem frigidissimo humore euacuato, corpus ipsum calidius quam antea redditur: sin vero calidum sit vt agaricum, primario & ex accidenti calfaciet. Pari modo violæ, tamarindi, succus rosarum, & reliqua frigida purgantia medicamenta quæ bilem expurgant, duplici modo refrigerāt: de per se, quia potestate frigida sunt: secundario & ex accidenti, quia calidum humorem extrahunt. Atque de purgationis definitione eiusq; significatis hæc dicta sufficiant. Superest vt de eius acceptionibus nonnihil dicamus, nam purgationis vox interdum tam late patet, vt teste Galeno, Hippoc. purgationes appellare consueuerit non solum a medicamentis, sed etiam à natura factas excretiones: quinimo & Thucidides euacuationes in morbis impetu naturę per symptomata ratione morbi euenientes, purgationes & expurgationes nūcupauit. Proprius tamen purgatio de ea tantum euacuatione dicitur, quæ per aluum aut

Lib. 10. meth. capit. eodem in principio.

Lib. 6. epid. part. 4. com. 12.

aut per vomitum fit, modo ea sponte & à natura, modo ab arte & medicamenti ope (quæ propriè medicatio dicta est) peragatur. Sponte euacuari à Galeno dicuntur, quæ sine medicamine excernuntur. Et libro sexto, aphor. com. 14. spontaneum appellat non quod sine causa fit, sed quod sine causa ex nobis efficitur. De his euacuationibus quæ sponte eueniunt, loquitur Hippoc. aphor. 2. sect. primæ. cum inquit: In perturbationibus ventris & vomitibus spontinis si talia purgentur qualia purgari oportet, confert & leuiter ferunt: sin minus, contra. Ex quibus verbis clare intelligitur purgationem ad vtranq; sponte factam euacuationem referri, tam ad eã quæ per aluum quam quæ per vomitum contingit. Sed quod de eisdem à medicamento euenientibus purgatio dicatur, perspicue colligere licet ex Galeno lib. 13. metho. ca. 7. quo loco inter auxilia vacuantia recenset purgationem, atque hanc fieri tũ per ea medicamenta quæ subter expellũt, tum per ea quæ supra, siue ea vomitoria dicere mauis. Porrò purgatio omnis quæ ab arte fit, duplex existit, vniuersalis & particularis: vniuersalis dicitur non quæ omnes humores vti venæ sectio euacuat, sed quæ ex vniuerso corpore, aut certe eius maxima

Lib. 4. aphor. com. 2.

Purgatio duplex.

Quæ vniuersalis purgatio dicatur

ma ex parte superuacua deducit. Hæc, quẽadmodum dictum iam est, duplici modo fieri solet, vomitione & alui deiectione, quibus tertius adijci potest qui per sublutionẽ seu clysteris iniectionẽ efficitur. Particularis appellatur quæ partẽ quampiã à proprijs vitijs expurgat: hac vẽtriculus vomitu deiectioneq; inanitur, nõ quidẽ vniuersali illa vacuatione qua totũ purgatur corpus, nam hæc in priori genere cõtinetur, sed particulari per quã ventriculus solus expurgatur: quæ, vt docet Gale. lib. 7. meth. cap. 11. medicamentis perficitur quę modice purgant, sic vt eorum vis supra vẽtriculi & intestinorum loca non ascendat, aut si etiam amplius nitaris, loca tantum quæ in mesenterio sunt contingant. Intestina sublutione tantum purgantur, non equidem forti sed leni atque molli quæ alui feces & humores tunicis illorum adhærentes eluit atque detergit. In hoc genere cõtinetur arenularum aut puris è renibus aut è vesica emictio, vteri per ceruicem expurgatio, excrementorum cerebrum aut eius membranas obsidentium per palatũ, aures, & nares expulsio; humorũ in pulmone aut thorace contentorum excreatio, & quęcunq; rupta cute è quauis particula fit eruptio: & vt summatim dicã, pars quæcũ

Quæ dicatur particularis.

que per eũ locum potiſsimũ eſt expurgã-
da per quẽ facilius, breuius, expeditius at-
que directius tutiuſq; poteſt euacuari, dũ
modo in toto corpore aut in parte vitioſo
rũ redundantia plurima nõ adſit, nã tunc
prius per alui deiectionẽ eſt faciẽda purga
tio quã pars peculiaribus ductibus inania-
tur. Porrò ſunt nonnulla quæ tantũ per cõ
munes ductus expurgantur, cuiuſmodi
lien exiſtit: quippe cum (ſi Galeno credi-
tur) quæ per renes agatur nulla huic viſ-
ceri vacuando via pateat. Quod ſi lib. 2. de
arte curatiua ad Glauconem cap. 2. ſcrip-
ſit ſplenem & renes per vrinas expurgari,
dicendum contextum illum eſſe deprauа
tum, legendumq;, inteſtina autẽ per infe
riores excretiones expurgantur, quem-
admodum & ſplen, renes autem per vri-
nas. Nec inficias imus lienem per ventricu
lũ interdũ poſſe expurgari, vt pote cũ quo
cõmunicat ratione pori ad fundũ ipſius
ſuccũ melãcholicũ deferẽtis: quapropter mi
rãdũ nõ eſt ſi ab Auic. 1.4. tract. 2. c. 63. vo
mitus in quartana febre toties cõmẽdetur.
Quæ in cauitate veſicæ cõtinẽtur, per ſuũ
ipſius collũ ſolũmodo vacuãtur. Aliqui
Galenũ reprehendunt quod dixerit veſi-
cam quoq; expurgari per inteſtina ſi mul
to humore ſit referta, cũ experimento &
eiuſdem

Lib. 13. meth. cap. 17.

Lib. 7. meth. cap. 13.

Lib. 5. de vsu part. cap. 13.

eiusdem Galeni testimonio sit comprobatum quod semel in vesicæ cauitatem decidit non posse amplius in vreteras remeare, ne si flatus quidem sit & vesica vehementer comprimatur. Verum Galeni mens lōge aliena est ab opinione istorum, qui vult per aluum expurgari ea quæ iuxta vesicam & in tunicis ipsius imbibita continentur aut vesicæ ipsius corpus imbuerunt. Ac de his intelligi Galenus debet, nō de alijs quę in vesicæ cauitatem ingressa sunt, quoniā ista non queunt iterum in vias vreteras retrocedere, quemadmodū ipse docuit lib. 5. de vsu part. cap. 13. quare non impetu sermonis. 7. meth. citato ille in vesicam delapsus est, vt præ dicti fuere arbitrati, sed cōsulto potius & ex præmeditato. Atque hæc de purgatione & eius acceptionibus abunde sint dicta: quapropter tractationis sequela suadet vt ad purgantia medicamenta studium conuertamus. Porrò hæc (si Galeno creditur) idcirco nuncupantur quod sanguinem ab alijs humoribus pituita videlicet, vtraque bile & serosis humoribus expurgent purumque constituant: quæ sane, vt idem docet Galenus, duo significāt vnum commune omniū quæ quouis modo animalis excrementa expurgant, alterū vero quod per excellentiam de ijs tantū-modo

Lib. de purg. med. facul. cap. 4.

Lib. 4. de sim pl. med. facul ta. cap. 20.

modo dicitur quæ aut per vomitum aut per ventris deiectionem purgent. Vocant autem ea medicamenta quæ naribus, capitis purgandi gratia infunduntur, errhina: at quæ in ore colluuntur aut dentibus manduntur omnia vna nomenclatura comprehendentes apophlegmatizonda nuncupãt. Eiusdem cum istis sunt generis quæ vuluę admota expurgant: rursus quæ crassos lentosque humores extenuãdo è pectore pulmoneque efficiendis excrementis auxiliantur, bechica dicũtur: sicuti quæ vrinas mouent vretica. Verùm de his in præsentia scribere non instituimus, sed de eis tantum purgantibus quæ trahendi vim posſident, aut vnum quempiam succum aut duos aut etiam plures, de quorum facultate iam iam agendum, cum tamen alia quorum nuper mentionem fecimus, non ob trahendi facultatem expurgent, sed vel quia humores crassos extenuent, vel vias aperiant, vel facultatem excretricem ad expellendum stimulent.

Particularis purgationis nomenclatura aliquæ.

Purgantibus medicamentis facultatem in esse peculiares sibi humores attrahendi, non vt antiquiores Galeno medici opinabantur æqualiter omnes euacuandi aut quemcunque attigerint immutandi, ac in suam naturam vertendi.

C A P. VIII.

ADmirabiles sunt rerum nõnullarum proprietates, & mira in rebus quibusdam effecta; quæ (vt Valeriola etiam animaduertit) perspicere quidem & admirari possumus, exactè autem intelligere & plene animo complecti non valemus, vt pote in abditis abstrusisque maxime naturæ recessibus existentia, huiusmodi sunt, attractio ferri à magnete, surculorum à succino motus & recursus humorum periodicas febres committentium, acus nauigatoriæ extremi apiculi magnete temperati incredibili distantia ad septentrionem traductio atque conuersio, miraculum sane antiquis incognitum: Calthæ florum sub solis ortum pensio, sub meridiem integra expansio, moxque eorundem sensim in occa-

In com. in li: Gal. de const. art. medicæ.

Miræ in rebus proprietates.

occasum vergente sole contractio, vnde solisequium planta nomen sortita est. Rursus remoræ piscis exiguę ac paruę molis vis, onustam nauem sistere ac remorari potens. Consensus item atque natiua quarundam inter se rerum odia; vt brassicæ & rutæ in plantarum genere inimicitia tanta, vt iuxta seri non patiantur: quæ itidem inter adiantum & aquam reperitur, nam etsi fontes & riuos illud amet, aquam tamen nunquam admittit, perinde vt dipsacon. Contra tamen vitis & oleæ atque populi amica consensio. Consensu item naturæ quopiam contingit vt oscitante alio & nos quoque pariter oscitemus. An non & hoc admirationē maximam præsefert, torpedinem à longinquo in piscatoris manum stuporem inferre? lupum si prius hominem aspexerit, raucum illum efficere? leonem animalium ferocissimum, galli cantu aut rotę cursus strepitu, vel ignis aspectu, si Plinio creditur, ita terreri, vt pauore prorsus concussus aufugiat? Pullus item miluum vel longe conspectum horret, agnus lupum, mus felem, lepus canem; perdix accipitrē: sunt enim antipatiæ quædā in rebus à quibus dissensus oriuntur, vt actiones quæ alioquin recte fierent aut omnino

Li. 8. cap. 16

non fiant aut remissè & ægrè fieri quasi à contrario lacessitæ cernantur. Sic ferri à magnete attractus adamantis obiectu fieri prohibetur, aut certe hebetescit: venenum quod ex foliorum albi veratri succo, arte quadam conficitur, quo venatores sagittas intingunt, malorum cotoneorum vicinia ita infirmatur atque exoluitur vt pene vim omnem amittat. Cucumeres (referente Matthiolo) aquam ita diligunt, vt si vas ea plenum, dum plantis inhærent, illis subijciatur, admodum longiores effecti mire in illam descendant: contrà, oleum suppositum sic refugiunt, vt in hamos recuruent, quãdo quidem in vniuersum oleũ omnib⁹ quæ feruntur plantis inimicum est; quo fit vt planta quælibet quæ fuerit eo peruncta (si eidem Matthiolo creditur) facile per arescat. Ob id enim admirandum non est si arbores quæ oleum ferunt ac resinam mittunt, cæterarum insitiones respuant, quemadmodum eas admittunt aliæ quæ nec oleum nec resinam fundunt: siquidẽ sæpe conspecta est quercus pyra ferre, platanus poma, myrtus punica mala, oxyacantha mespila. At nunquam visæ sunt pinus, larix, picea, abies, olea, insitionis adminiculo alios ferre fructus quam proprios. Caprificorum grossi domesticis ficis appensi

In com. in prefationem lib. 1. Dioscoridis.

non

non solum eorum fructus decidere prohibent, sed etiam caducos ad maturitatem vsque remorantur. Vnde autem hæ proprietates & tanti in rerum natura assensus atque dissensus, percipere certe difficile ad modum est. Sed nec minorem difficultatem obtinet intelligere cur purgantia medicamenta certos quosdam humores deducant, vt cuicus & agaricus pituitam, scamonium & rhabarbarum bilem flauã vel pallidam, lapis cyaneus & séna atram: quorum euentuum aliqui medici causam reddere nescientes, purgantium medicamentorum facultatem è medio tollere nõ sunt veriti, asserentes medicamina quibus purgandi vis inest, omnes humores, quemadmodum venæ sectio, promiscuè & sine delectu euacuare, in hoc tantum euariantia quod illud cuius vis celeriter euanescit aquosa deijcere, cui amplius durat, flauam bilem educere, & quæcunque ambobus robustiora fuerint, atram bilem purgare asserebant. Talia enim opinabantur medici nonnulli qui post Hippocratis æuum viguerunt, aduersus quos Galenus peculiari libro multa conscripsit aperte demonstrãs vim eam, quæ in medicamentis purgantibus sita est, partem esse facultatis propria ac familiaria attrahentis, quemadmodum

Lib. de purgã. med. facult.

& illa per quam bilis & vrina in sua receptacula deriuantur, & concoctum alimentum in singulas corporis partes subit, compluraque alia quæ non modo dum sana sunt animalia à natura, sed etiam per morbos, & dum ad sanitatem reuocantur, tum à medicis tum præcipue ab ipsa natura absoluuntur. Quod autem huiusmodi sit facultas ea, qua medicamenta proprios humores prolectant, multis experimentis probat Galenus; nam morbo regio laborantibus dato medicamento quod bilem expurgare possit, protinus ipsi subleuantur, & pallor de cute cuiusque eijcitur: si vero eisdem medicamentũ aliud ex ijs quę nigram bilem vel pituitam educere valet, præbuerimus, nihil proficiemus. Pari etiam modo si ascitẽ patienti, brassicam marinam aut medicamentum aliud quod aquas detrahendi facultatem habet, exhibuerimus, aquã aqualiculo comprehensam à medicamẽto euacuatã mõstrare poterimus: verũm si quod nigram aut flauam bilem educit, dederimus, ventris tumorem nequaquam minuemus: & si eidem sanguinem miserimus, hominem in extremam perniciem adigemus. Ex quibus liquet non parum interesse alicui purgans, medica-

men-

mentum exhibere, aut eidē sanguinis missionem administrare, nam hæc indifferenter humores omnes ex venis euacuat, vnde recte phlebotomia ab Auicenna definitur, euacuatio vniuersalis, quæ multitudinem euacuat: at purgatio illum tantum educit quem nitimur euacuare. Quod vt refert Galenus, probe intellexit homo quidam minime stultus, qui, cum pustulæ ipsi toto è corpore subito erupissent vicerosæ & malè coloratæ, medicū adiuit existimans se quam primum ab illo purgatum iri; at eo sanguinis missionem protinus iubente, Ne desipias, inquit, verisimile siquidem est vnà cum prauis bona quoque effluxura. Atque hinc est vt Galeno videatur imperitum quemquam hisce cauillatoribus meliorem esse: nam si nulla alia in re præstet, communes saltem animi notiones admittit, quas sophistæ longa consuetudine deprauati negant. Sed ad rem iterum. Dicitur etiam venæ sectio vniuersalis euacuatio ex parte loci quia corpus vniuersum euacuat, vt Galenus testatur libro. 4. aphor. cōmen. 2. & libro secundo, de ratione victus in morbis acutis com. 10. & non solum ex venis vniuersis, verum etiam ex ipsius corporis habitu & ex locis, quæ extra venas

Non parum interest alicui sanguinē mittere, aut eidem medicamentū purgans exhibere.

4.1.cap.20.

Lib. de purg. med. facul. cap. 5.

sanguinis missio dicitur etiam vniuersalis euacuatio quia ex toto corpore euacuat.

Sanguinis missio in scabie & apparẽtibus variolis cohærentis causæ ratione non conuenit.

Lib. 4. apho. com. 2. & lib. 4. met. cap. 5. & 6.

sunt. Quapropter illa in scabie & apparenti bus variolis ratione cohærentis causæ abdi catur, vt Conciliator dif. 180. optime est opinatus; verum in hoc à purgatione non differt, quia purgatio quæ non leui medicamento fit, docente Galeno, ex toto cor pore humores euacuat. Atque ita quidem, ni fallor, manifestis experimentis euidens manet purgantia medicamenta facultatem habere proprios & familiares succos attrahendi: alioqui si illa humores non trahunt cur in articulorum doloribus hermodactilos exhibemus? & cur opportuna inde sequuta euacuatione leuari doloribus ęgros cernimus? non alia certe ratione quã quod qui in articulis & locis proximis insidebat humor, vi pharmaci sit eductus, alioqui enim non cessaret dolor qui tandiu perstat quandiu in loco affecto noxius consistit humor, tum vero sedatur cum ab illo remouetur & foras educitur, quod epoto ex hermodactilis medicamento plerumque euenire cernimus. Ex quibus satis superq; probatum manet trahi à medicamentis hu mores, quod prædicti medici negabant. Id vero quod inquiunt purgationem huius vel illius humoris medicamentorum forti tudini aut imbecillitati esse attribuendam, refellere difficile non est: nam si vt ipsi opi

Alia opinio refellitur.

nantu.

nantur eueniret, sequi necesse esset à medi
camentis atrambilem expurgantibus plura
semper educi, pauciora vero detrahi ab eua
cuantibus aquam & bilem, nam atram bi-
lem euacuantia quoniam reliquis fortiora
constituuntur, quamplurimum euacua-
bunt, & primum aquam, deinde bilem, po
stea pituitam, demum atram bilem. Debi-
lia vero medicamenta aquam tantummo-
do subtrahere poterunt, sed his contrariũ
fieri apparet cum aquosa & biliosa plurima
medicaminibus ad id facientibus purgati
homines emittant: at à nigram bilem deij-
cientibus simul omnia pauca sunt eaq; sæ-
pe sola; Igitur non fortitudini & imbecilli-
tati medicamentorum, purgationes referri
debent: præsertim cum sæpe contingat, me
dicamenta melanagoga cholagogis esse de
biliora, vt senna & epithymum quæ rhabar
baro & scamonio multo languidiora & mi
tiora habentur: & elaterium quod aquas
educit omni alio atram bilem vel pituitam
expurgante fortius existit. Sed nec ob hu-
morum tenuitatem aut crassitudinem, hi
aut illi humores euacuantur, verũ ob pro-
prias medicamẽtorum vires: quia si ob prio
res causas educerentur, sequi par esset te-
nuem succum & natura fluere magis aptũ
crasso atq; viscoso prius expurgari debere,

 & sic

& sic in purgationibus perpetuo eueniret, quod insuper purgationibus fieri obseruamus, quo dato, medicamenta hydragoga exiguam humoris portionem educerét, & melanagoga multã, eo quod ante aquosos & serosos humores nullum alium succum euacuari esset necesse: ante melancholiam veró opus esset euacuari aquosum humorem, bilemque ac pituitam. Verum tamen contrarium in ipsis artis operibus experimur, nam ab euacuantibus atram bilem modicũ & crassum expurgari videmus: ab euacuantibus aquas, multum & tenue, quare non tenuitati aut crassitudini succorum huius vel illius humoris purgatio tribuẽda est, sed medicamentorum propriæ & peculiari facultati, de qua agendum deinceps est, postquam eorum qui de ea male scripserunt opiniones retulero quas prius extergere atque ab animis studiosorũ delere conuenit ne quid veritati obsistant. Nec defuerũt medici qui eò temeritatis deuenerunt vt dicere nó dubitarint, medicaméta purgãtia quemcunq; humorẽ attigerint in suã naturam conuertere ac transmutare, & flauam, nigram ve bilem efficere: id quod bilis flauæ vel nigræ est eductorium: similiter pituitam, aquosam que substantiã quod vel pituitæ vel aquæ

Alterius opinionis confutatio.

edu-

eductiuum nuncupatur. Itaque purgatio nem appellabant commutationem omniũ quæ in venis sunt humorũ non vnius alicuius euacuationẽ: è quorum dogmate illud manifeste sequitur siue quis flauã, siue atrã bilem siue pituitã, siue aquam educens medicamentum sumat, omnes in venis humores euacuari, atqui hac vna in re solum distare purgare aliquẽ tali medicaměto & eidem sanguinẽ mittere, quod aperta vena quale prius inerat euacuatur, à purgante autem medicamento non solũ colore sed etiam natura immutatum educi. Etenim & quæ aquam purgant (istorũ opinione) humida omnia & tenuia reddunt quæ in venis attigerint, etiam si crassissima prius fuissent; & quæ nigram bilẽ euacuant, crassa ac solida quanuis antea tenuissima, versa vice faciunt. Itaque nõ detrahi quidpiam certi ab vllo purgante medicamento asseuerabant, verũ quidquid in venis repertũ fuerit qualecũq; sit, in id mutari in quod virtus medicamẽti ipsum cõuertere suapte natura valet. Quãobrẽ quoties hunc purgare illi sanguinem mittere vellemus, non ad ipsam vacuandorũ naturã, sed ad aliud respiciemus, nempe ad id quod æger magis exoptat: nam sunt plures ad venarum sectionẽ propensi, alij purgãtibus

Nonnulli ad venarum sectionem sunt plus propensi, alij purgationibus apti magis.

tibus

tibus medicamentis apti magis existunt: quemadmodum quidam quiduis potius quam venas incidi sustinerent, alij abscindi membrum aliquod sibi potius quam medicamentum exorbere tolerarent. Aliquibus enim sumpto purgante medicamento ventriculus subuertitur, non paucis id ipsum sine molestia facientibus: hæc ergo respicientes his sanguinem detrahemus, illis medicamentum exhibebimus haudquaquam considerantes, contentos quidem in venis humores, æquabiliter omnes sanguinis missione euacuari; purgando autem, non omnes sed vnum aliquem ac solum illum quem ducere desideramus: vnde & purgari sanguinem ab huiusmodi medicaminibus dicimus, non vacuari, quemadmodum fit adaperta vena. Hæc itaque absurda deducit Galenus ex assertionibus eorum medicorum qui purgatricem facultatem non admittebant. De alijs vero qui purgantibus medicamentis vim nō adimunt, verùm de ea minus bene sunt opinati, deinceps agendum est.

(?)

Refelluntur opiniones illorum qui circa essentiam facultatis delectu purgantium medicamentorum sunt allucinati, perperamque de ea censuerunt.

CAP. IX.

GAlenus illorum sententias abunde cófutauit qui in purgantibus medicamétis nullam facultatem existere arbitrabantur: eorum tamen irreprehésas reliquit qui prædictam facultatem admittebant quidé, prauè tamen de illa sunt opinati: nam cum hi post obitum illius viguerint, nó potuit quæ nondum dicta erant impugnare, aut quæ non fuerant enútiata, coarguere. Quapropter nos in præsentia succincte admodum eorum opiniones referemus, & succinctius, quoad fieri posit, illas in probabimus: quoniam in hoc opere nec contradicere, nec soluere sophismata decreuimus sed instituere ac docere ea quæ ad rectam curandi rationem per medicamentum purgans exiguntur, necessariaque sunt. Et vt ad institutum perueniamus, Auicenna. 2. 1. doct. 2. cap. 15. proprietaté dixit esse formam ipsam substátialem rei, cuius est proprietas: nam de eis loquens quæ ex his proueniunt

Quæ opiniones Gal. confutauerit.

Quid pprietas secundú Auicennam.

ueniunt quæ comeduntur & bibuntur, de re proposita ita disseruit. Sui vero substátia operans est forma sui specifica agens, & est illa qua ipsum est id quod est & non qualitate sui; cumque dico qualitatem, vnam quatuor qualitatum intelligo. Et paucis interpositis eodem ipso capit. subdit; sua quidem operans substantia est illud, quod forma suæ speciei operatur quã acquisiuit post complexionẽ, ad quã, cũ eius simplicia se commiscuerũt & ex eis generata fuit res vna, præparauit se ad recipiendam speciem & formam additam super illud quod habent simplicia. Hæc ergo forma non est qualitates primæ, quas habet materia, nec est complexio quæ generatur ex eis, sed est perfectio quã acquisiuit materia secundum aptitudinẽ quæ fuit ei acquisita ex complexione, sicut in magnete virtus attractiua, & sicut natura cuiuscunque speciei vegetabilium & animalium, scilicet illa quam habent post complexionem propter complexionis præparationem. Denique vero tradere volens quid sit à tota substantia operari, hæc subscribit: Tota autem operatio hæc non prouenit ex eius complexione, imo ex eius forma specifica adueniente post cõplexionem. Vnde propter hoc vocamus huiusmodi

modi operationem à tota substantia, nempe forma specifica & nõ qualitate, scilicet non aliqua qualitatum quatuor, nec eo q̃ est earum commistio. Hæc Auicenna, ex cuius prælonga serie liquido constat illius opinione ea quæ agũt aliquid à proprietate, illa esse quæ à substãtia operatur, esseq; proprietaté formã ipsam specificã: ea vero est forma substantialis quæ rei speciem præbet per quam vnũquodq; est id quod est, vt leo per animam sensitiuam, & planta per formam suam vegetãdi. Quod aperte confirmat cùm inquit: Et sua quidem operans substantia est illud quod per formam suæ speciei operatur, quã acquisiuit post complexionem. Liquet autem hanc esse formam substantialem, hæc enim post temperamentum primorum elementorum & qualitatum ipsorum acquiritur, inducitur namque substantialis forma in materia præcedentibus dispositionibus, quæ ad ipsius formæ introductionem exigunter. Itaq; in purgantibus medicamentis proprietates secundum Auicennæ placitum sunt eorundem formæ substãtiales, veluti in rhabarbaro proprietas attrahés bilem est forma ipsius, & in agarico similiter pituitam attrahens. Quantũ vero hæc opinio à veritate deuiet, hinc fit manifestũ q̃ pro-

Auicennæ opinio refellitur.

proprietas est accidens, est enim qualitas de secunda qualitatis specie, naturalis scilicet potentia qua facile aliquid fit: forma vero specifica est substantia, ergo proprietas forma rei esse non potest. Rursus stat proprietatem amitti non amissa forma ipsa, igitur differunt, nam si alterum deperditur alio manente, vnum esse non queunt. Antecedens notum est, quia Persica planta ex venefica facta fuit non venefica, siquidem in Persia plane lethalis erat, in Ægyptum vero translata, quod inerat noxium amisit, ita referentibus Dioscoride, Galeno, Theophrasto atque Plinio, verùm formam substantialem non amisit, non ergo est proprietas forma ipsa substantialis. Dicunt adhoc arborem formam suam non amisisse, nec ipsius fructum alterius speciei fuisse factũ, non tamen efficere quod solebat, quoniam forma substantialis non agit sine instrumento, hoc autem est proprium plantæ ipsius temperamentum quod terrarũ varietate fuit mutatum & alterum factũ, vnde euenit, vt arbor ipsa non mortifera sit reddita. Verùm iudicio meo respõsio hæc multis modis rimosa est: primò, quia planta proprium temperamentum non amittit: nec enim lactuca quantumcunque in alienas transferatur terras fieri poterit calida,

Dioscor. lib. 1. cap. 146. Galen. lib. 2. de alim. facultat. cap. 36. & lib. 3. de caus. sympt. cap. 2. Theophrast. lib. 4. de histo. plantarũ cap. 2. Plin. libr. 15. cap. 9.

nec

nec eruca vlla satione aut cultura fiet frigida. Secundo, necesse non est amisso proprio temperamento proprietatem etiam amitti: nam cùm biliosus vsu alimẽtorum frigidorũ fit pituitosus, temperamentum mutatum est, non tamen ob id partes proprium & sibi cognatum alimentum attrahere vt antea desinũt. Tertio, quia tractrix facultas non semper vno vtitur temperamento ad attrahẽdum, sed modo hoc modo illo, nam violæ frigidæ & rhabarbarum calidum, ambo bilem flauam educunt. Ex quibus clare deducitur proprietatem non esse formam substantialem rei, vt censuit Auicenna, quandoquidem hac persistente proprietas aboletur, vt in Persica stirpe in Ægyptum translata manifeste cõspicitur, quod non fieret si proprietas & substantialis forma vna eademque res essent. Atque de Auicennæ opinione hactenus. Recentiores vero nostri temporis medici nonnulli qui Auicennam longis temporum spatijs sequuti sunt, nouos excogitarunt modos, diuersaque condierunt dogmata, quiduis potius circa hoc dicentes, ac cogitantes quam id quod de hac re ab Hippocrate & Galeno optime est enuntiatum: nam ex eis quidam medicamenta purgantia antipathia, hoc est insita quadam cõtra-

rietate atque discordia humorem educere, non autem attrahere contẽdunt: & rhabarbarum bilem non attrahere tanquam similem sibi, sed tanquam contrarium expellere. Verum primum huius opinionis autorem non miror, vt pote paradoxa scribentem, cuius munus est admirabilia contraque omnium opinionem fari, quandoquidem id ipsum est paradoxum si Ciceroni creditur, opinio scilicet admirabilis & contra omnium sententiam asserta. Demiror tamen nonnullos medicos quorum diffusa est per orbem merito fama, qui hoc in dogmate illum secuti sunt: nam vt omittam præstantissimorũ virorũ testimonia, Hippoc. Galeni, Auicẽnæ, Mesues & Auerrois, medicamẽta delectu purgãtia humores adse trahere nõ abigere asserentium, experientia ipsa huic rei fidem facit, siquidem dato medicamento purgante mox agitationẽ in humoribus fieri conspicimus, confluxumq; in ventriculũ & intestina attractorũ pharmaci facultate humorũ, quod sine motu locali quo è venis, cerebro, articulis, alijsq; locis attracti humores deducũtur, fieri non posse certissimũ est, mox vero cessante medicamenti opere deficere quoq; cõfluxum huiusmodi & agitationẽ atq; etiã euacuationẽ, cu-

Initio paradoxorum.

Experientia demonstrat humores à medicamentis trahi.

ius certe euẽtus causam nõ in aliud quam in medicamẽti facultatẽ humores ad se attrahentẽ cõgrue reijcere poterimus. Si nãq; accepto purgãte medicamẽto loco & sede sua moueri humores cernimus, nẽpe à venis & distantissimis etiam locis, deduciq; in ventriculum, vbi medicamentũ ipsum existit, cessante verò pharmaci opere suis etiã viribus destituti; motũ humorũ atque euacuationẽ quiescere, optima ratione trahi à medicamentis soluentibus humores dicere poterimus: quo enim tangente afficimur, dicebat Galenus, & quo separato cessat affectus, id eius causam statuere oportet. Esse vero huiusmodi humorum à medicamẽto attractionem non à cõtrario, ex eo fit manifestum: quòd contraria (teste Aristo.) mutuo se expellunt, vnũq; aliud à se fugat, tantum abest vt trahat: si nanque cõtrarietate & antipathia humores educerẽtur, sequi necesse esset ad locum oppositũ ei in quo medicamentum existit illos deduci debere, & sic pharmaco in ventriculo existente humores ad cutem ferrentur, & illo in corporis superficie posito illi in ventrẽ permearẽt: quã absonũ sit & à ratione alienũ, neminẽ fore arbitror qui ambigat: nõ igitur ob antipathiã cõtrarietatẽ ve humores educũtur, sed ꝓpter eam quã infra

Lib. i. de locis affectis cap. 2.

Opinio alia tendemus causam. Alij fatentur quidem à medicamentis humores trahi, huiusmodi tamen attractionem secundum naturam non esse contendũt, quod ab externo mouente medicamento scilicet fiat, idque violento motu; perinde enim humorum tractionem à medicamentis fieri arbitrantur, atque currus ab equis illum trahentibus ac onerum à machinis in altitudinem attollẽtibus, nam equi currui iuncti, vimque illi inferentes currum attrahunt, & nisi loris equi currui iungerentur, currum nunquã traherent, quemadmodum nec machinæ onera nisi funibus eis copularentur. Cum igitur tractus huiusmodi violentus sit & impetu atq; molimine factus, ea quæ hoc modo trahunt similitudine substantiæ trahere non queunt, nunquam enim simile simili vim infert, nec ea, quæ modo isto trahunt cum ijs quæ trahuntur in similitudine substantiæ conueniunt. Quæ enim similitudo inter equos currum attrahentes & attractum currum? aut quæ inter machinam onera subleuantem & quæ attrahuntur onera? nulla sane. Cum igitur quæ delectu purgant medicamenta in hoc censu reponi debere censeant, colligunt, humorum tractionem quæ à medicamentis fit, stirpium ac è terra nascentium attractioni

parem

parem ac similem haudquaquam esse: si quidem tractus, quo in terram sata conue nientem sibi quemque succum ad alimo-niam & sui conseruationem attrahunt ma xime secundum naturam est, fitque proin de blando quodam atque suaui motu nul lam quidem noxam aut agitationem infe-rente: cui simillimus ille est quo animan-tium partes quæque pro sui nutritione cõ ueniens sibi alimentum alliciunt, qui itidẽ sine vllo molestiæ sensu, sine vi vlla vt ex-perimento constat peragitur: at cõtra quę à medicamentis fit humorum tractio nec secundum naturam est, quod ab externo agente nimirum a medicamento fiat, nec blando & suaui, sed violẽto & turbulento motu efficiatur, vt expirientia docet: & Mesues etiam testari apertissime videtur inquiens medicamentum purgãs à nostro calore in energiam reductum motu violẽ to vacuat, nec enim vacuaret nisi naturæ vim inferret. Atque hęc est eximij cuius-dam nostri temporis medici opinio. Quæ certe mihi multis modis displicet, primo, in eo quod dicit tractionem humorũ quę fit à medicamentis purgantibus non esse si milẽ è terra nascentium tractioni, qua con uenientẽ sibi ex terra succũ adciscũt, aduer satur Hippocrati libr. de humana natura

In canonibus vniuersalibus theoricæ.1.titulo de medicamento ũ delectu, indicatione sumpta ab ipsorum facultate.

Prædictæ opinionis confutatio.

tex. 31. & Galeno lib. 2. de elementis ca. 5. vbi non secus in corpore agere medicamẽta purgantia ac stirpes & semina terræ mãdata in terra, perspicuis verbis asseruerunt. In illo tamen quod inquit motum humorum qui à medicamentis purgantibus efficitur violentũ & præter naturã esse, quòd à mouẽte fiat externo, decipitur manifeste quia nõ sufficit ab extrinseco principio fieri ad hoc quod præter naturam & violẽtus motus aliquis dicatur, sed necesse est vt passum motui reluctetur ac renitatur; si nanque passo conferente vim peragitur etiam si ab externo fiat principio naturalis dici debet, quo modo motum aquæ sursum ne detur vacuum naturalem dicimus, quia fit passo conferente vim, in quo numero collocamus motũ alimenti qui à facultate tractrice viuentis corporis efficitur, aliaq; cõplura huiusmodi, hi enim motus omnes etiã si à principio externo fiant, quia mota vim mouenti cõferunt & illi nõ renituntur, nihilominus naturales appellam⁹. Nec ob id tractus humorũ qui à medicamẽtis fit naturalis esse desinit, quod purgantia ipsa motu violento vacuant: nec hoc, vt ille putat, Mesues voluit, sed illud dũtaxat propterea violenter euacuare, quia vim naturæ inferunt eidemq; molesta sunt. Quod

Mesuæ sententia interpretatur.

Hipp.

Hipp.lib.4.de morbis,conceptis verbis est testat⁹,dicēs,medicaméta purgātia turbulētū corporis motū facere etiā si mitiora sint, hoc enim eiusdē Hippocratis sententiā libr. de locis in homine de cuiusq; medicamenti nedum purgantis ratione est vt presentē corporis statū transmoueat, q̄ facere potest de per se, vti ostensum supra capi. 1. est, & item ex accidenti, nimirum quatenus vitiosum humorem commouet & exagitat, cōmotus enim humor vim naturæ infert quàm antea, maiorē donec euacuetur: dicente Galeno, omnem causam motam molestiorem esse se ipsa quiescente. Inducunt itaque medicamentum purgans & humor item purgandus ambo naturæ vim, cæterum sibi ipsis non inducunt. Quomodo autem fieri posit vt duo vni contrarientur & inuicem contraria non sint, cū quecunque sunt similia vni tertio debeāt esse similia inter se, & quæcunque sunt vni tertio contraria, inter se habeantur cōtraria, infra dicetur: nūc verò quod superest prosequēdum. Exemplum de curru equis alligato quod in sui dogmatis cōmprobationē prædict⁹ attulit autor, dispar & absonū est ac suā prodit sententiā, nā si, quemadmodū se ait, vt equi currum trahant [illegible] los currui funibus iungi, al[illegible]

Lib 2. de causi. sympto. cap. 5.

rum nunquam trahent: ad eundem prorsus modum oporteret purgans medicamétum humoribus alligari. At quibus funibus aut loris medicamentum humoribus alligatur? aut quibus vncis aut harpagonibus illos apprehendit vt attrahat? certe nullis: ridiculum sane est hæc cogitare. Præterea male comparat purgans medicamentú aurigæ currum vehenti, quoniam auriga arbitrio vtitur, & sic currum deportat in locum, in qué deuehere destinauerat: at purgans medicamétum arbitrio caret, nec ob id humores trahit vt in communes exitus vias, ventriculum, scilicet atque intestina attractos humores deportet, vt eò delati, facilius atque expeditius excernantur. Certe iste medicamenti finis non est, sed is qué infra trademus. Atque de prædicta opinione satis: quare ad alia transeamus. Multi facultatis quam quærimus rationem reddere nescientes, ad astra confugerunt, dicentes, medicamentorum huiusmodi actioné nec eorum temperamento, nec qualitatibus elementarijs, nec contrarietati alicui, nec similitudini in substantijs deberi, sed secretiori cuidam facultati medicamento cœlitus inditæ. Quippe aiunt, huiusmodi [illegible]rietates cùm mirificæ sint, non elem[illegible] altiori principio esse tribuédas sequun-

sequűtur hi Mesuem, qui initio canonum vniuersalium de hac re in hunc modum decernit: Medicamentum, inquit, est purgatiuum non à temperamento, nec vt contrarium agens in contrariũ quatenus contrarium, nec vt simile trahens & euellens alterum, aut vt contrarium: nec vt leue sursum, graue deorsum agitans purgandam materiam, sed quia talem cœlitus est sortitus facultatem. Et consequenter subscribit. Omnis enim res, vt à philosophis dicitur, facultate duplici est dotata & prædita, vna quidem elementari, qua calfacit, refrigerat, humectat, siccat, non autem purgat: altera verò cœlesti, hacque vel communi vel sibi propria & temperiem illam dirigente, & qua hoc medicamentum est purgatiuum, illud hanc vel illam vacuationem promouet, & aliud aliam atque aliam habet virtutem: quæ omnia potest medicamentum à cœlesti virtute ad temperaturam accedente. Atque hactenus Mesues: qua serie docet, effectiones soluentium medicamentorum, quibus certos attrahere humores & ad se deducere solent, in nullam aliam causam, prętér quam in vnam cœlestem virtutem temperamento superinditam, esse referendas: voluit enim à cœlestibus corporibus in-

fluxus & impresſiones fieri in hæc inferiora, quibus tum alia quæ aſtrologi dicunt, tum medicamentorum delectu purgantium facultates conſtãt, dicente Ariſtotel. lib. 1. meteoro. cap. 2. neceſſe eſſe mundum hunc inferiorem contiguum eſſe ſupernis lationibus, vt inde vis eius omnis regatur. Ab hoc igitur cœleſti influxu ſecretiores & abditas poteſtates atque effectiones rebus ipſis emanare inquiunt, hincque effici vt purgantia medicamenta certos quoſdam & non alios trahant humores: ſcammonium bilem: cnicum pituitam: elleborus niger atram bilem, quia videlicet à cœleſti iſto principio id virium habeãt, quod inquam, principium Chaldæi virium dato rem eſſe dicebant. Attulimus aliorum opiniones circa purgantium medicamentorum facultatem: quæ verò fuerit Hippocratis & Galeni de hac re ſententia, deinceps explicabo ſi prius quid tractio & quot ſint tractionum genera diſſeruero.

(.:.)

Quid

Quid attractio, & quot sint attractionum genera.

CAP. X.

DE attractione deinceps verba facturi, operæ pretiũ est quid tractio & quot tractionum genera habeantur, ac in quo illorum genere tractus humorum qui a medicamẽtis purgantibus fit, reponatur, prius explicare: quia vt in Cratylo suadet Plato, de vocibus in primis sermo habendus est, ne forte ipsis ignoratis, quod.1. elenchor. veretur Aristotel. hallucinatio contingat. Et vt rem ipsam exordiar; tractio seu tractus eidem Aristoteli motus est secundum lationem: & est cùm motus trahentis aut ad se aut ad aliud, celerior est eius motu quod trahitur, nec ab eodem seiungitur. Cùm enim, eiusdem Aristotelis sententia libr.7.physic. cap. 2. id quod primo mouet, & est principium motus, simul cum eo sit, quod mouetur; ita quod trahit omnino potentius esse eo quod trahit oportet: eò nãq; trahere dicitur quòd ad se id ꝙ trahitur ducat, quòdq; celeriùs eo ꝙ trahitur moueatur: celeritas autem motus vim & robur ostendit, quemadmo-

Tractionis definitio ex Aristo.lib.7. physic.ca. 2.

modum tarditas imbecillitatem, vt in senibus & iuuenibus videre non obscure licet, nam hi citato motu ob virium & iuuentutis firmitudinem mouentur; illi, ob virium imbecillitatem & inclinantem iam ętatem, non nisi tarde moueri queunt. Est etiam & alia attractio, in qua attrahens quiescit & attractum mouetur, vt in ea quæ fit ferri à magnete videre est, in qua lapide quiescente, ferrum ad ipsum mouetur. Quid tractio sit explicuimus: superest vt quot modis illa efficiatur explicemus: sanè vt multa alia, ita & hoc optime ab Auicenna traditũ est, nam prima pri. doct. 6. capit. 3. in hunc modum scribit: Attractio pręterea fit aut actione virtutis attractiuę, vt quæ in lapide magnetis est quo ferrum trahitur; aut ex necessaria successione ad id, quod vacuatur, vt attractio aquæ quę per cannam attractoriam fit: aut calorę, vt lucernæ candela oleum attrahit. Quibus verbis perspicue docet attractionũ differentias tres esse, nimirum à facultate attractrice, & à vacuo, & à calore: quas multo ante Auicennam docuit Galenus lib. 6. de vsu partium cap. 15. vbi de aurium cordis vsu loquens sic ait: Ipsum autem cor omnes quascunque vtiq; quis excogitauerit virtutes attractionum habens, citissime suscipit, in sinibus

Quot modis tractio efficiatur.

Tractionum differentiæ tres.

ven-

ventriculorum rapiens & velut absorbens influentes materias. Siue enim sicut fabrorum folles diducti aerem intro attrahunt, id cordi magis quam cuiuis alij inest, siue sicut lucernarum flammæ attrahunt oleũ, nec hac virtute cor est destitutum, quippe quod innatæ caliditatis est principiũ: siue sicut lapis heraclius familiaritate qualitatis attrahit ferrum. Quid vero est familiarius cordi quam spiritus ad refrigerationem? quid quoq; sanguine vtilius & benignius ad nutricationem? Hęc Galenus. Exposuit duas differentias ex istis lib. 3. de natur. facult. cap. 15. dum inquit: Illud minime ignorandum, duo esse tractionum genera; vnum quod successione ad id quod vacuatur contingit, alterum quod qualitatis cõuenientia fit. Quæ deinceps exemplis manifestat dicens: Aliter namque aer in folles, aliter ferrum à magnete attrahitur. Et consequenter discrimen ponit inter hos duos attractionis modos, quoniam successione ad id, quod vacuatur prius id trahitur quod leuius est, conuenientia verò qualitatis nonnunquam (si ita sors tulit) quod grauius. Nec enim hoc in loco voluit cuncta attractionum genera in hęc duo contrahere, & illam quæ à calore fit, in hisce comprehendere: verùm ob id eam omisit quia ad illum locum

Cor innatæ caliditatis est principium.

Discrimen inter duo tractionum genera.

Cap. 3. de facult. natur. tractione quę à calido ne omisit Galenus.

locum parum faciebat ipsius consideratiõ: & quia alibi de ea mentionem fecerat, nẽpe lib. 6. de vsu part. capit. 15. præcitato, & lib. 5. de simpli. med. facult. cap. 17. vbi dicit. Interea quæ essentijs similia sunt, quod calidius est id potentiùs attrahere, vt pote quod similitudini auxiliarium adiunxerit calorem: quippe cum ipsum duabus ex causis attrahat, superabit id quod vna dumtaxat trahit. Nullibi vero clarius mentem suam manifestauit ac lib. 13. meth. capit. 3. dum ait. Quæ attrahunt, ea morboso calore trahunt. Et paulo inferius subscribit: Ergo quod ad partem excalfactam vel trahuntur vicini succi, vt nos censemus, vel confluunt, vt Asclepiades putabat, euidenter cernitur. Et lib. 2. de different. febrium id ipsum confirmat, licet illic non satis explicuerit an calor vere dicatur trahere; nam cùm dixisset se agere velle de causa qua in calore affectam partem excreméta trahuntur, plurimaque exempla ad id probandum attulerit, subdit, ob id hoc esse quia calor ipse vel ad se trahere vel suscipere solet excrementa, non decreuit eo loci an calor vere dicatur trahere, quoniam id non putauit petinere ad illud institutum, cui satis erat nosse ad partes calidas fluxionem deriuari: in corporibus

cap. 15.

Cur. 2. de different. febr. non decreuit Galen. an calor vere dicatur trahere.

ribus plenis largam, in vacuis excrementis parcam, quia plena facile cedunt excrementa trahenti, vacua vero non sic, sed auara potius reddita, quæ sibi ex vsu sunt retinent. Auicenna tamen tractionem quæ à calore fit, ad eam quæ à vacuo prouenit reducendam esse censet: nam prim. prim. doct. 6. capite tertio, postquam tres recensuit attractionis modos, à facultate, vacuo & calore, subdit; Quanuis hæc tertia pars (nimirum quæ à calore efficitur) vt verificatores credunt ad illam reducitur quę ex necessaria successione ad id quod vacuatur fit: imo est eademmet. Ex quibus liquet apud Auicennam duas tantum esse in genere tractionis causas, facultatem & vacuum, caloremque non aliter attrahere quam partis substantiam dissipando, ac illius humores inaniendo, ad quorum euacuationem fluxio succedit ad implendum id quod à calore inanitur ac dissipatur. Cæterum nonnulli ex nostri temporis medicis hac in re ab Auicenna dissentiunt, dicentes, calorem per se attrahere non ex accidenti nec ratione vacui; nam si Thapsiam cuipiam illiniamus videbimus paruo tempore partem huic esse calidiorem atque in tumorem non paruum attolli: nec

Auicenna tractionem à calido ad eam quæ à vacuo fit reducendam esse censet.

Quot sint in genere apud Auicennam tractionis causæ.

Recentiores nonnulli in tractione quæ fit à calido ab Auicenna dissentiunt.

secus

secus si foueam* partem quampiam iuxta ignem aut fortiter fricemus, aut vngamus resina aut pice modice calida, deinde paulo post euellamus vniuersim: aut si etiam vngamus partem quopiam medicamento calido, videbimus enim ex his omnibus ipsam attolli in molem sine periculo vacui. Verùm (vt dictum est) ex his non absolute Galenus colligit, calorem ad se attrahere, sed vnum duorum, vel trahere vel excipere fluxionem: potest enim fieri vt ad partem calfactam humores deferantur, nó quòd calor eos trahat, sed quod excipiat. quippe pars calfacta rarior ac patentior ob calorem redditur, & sic aptior ad quiduis recipiendum efficitur. Obijciunt verò deinceps, frigus materias repercutit, atque ad se fugat de perse: ergo calor easdem de per se attrahit, non ex accidenti aut vacui ratione. Consequentiam bonam esse cuiuis patere potest: nam si frigori à natura inest materias repellere, eius contrario putà calori, easdē ad se allicere similiter à natura inesse debet: nam hęc est contrariorum lex, vt ꝙ vni illorum conuenit, eius contrarium similiter ac eodem modo alteri debeat conuenire. Veruntamē isti in eo quod assumptum est manifeste decipiuntur, quia frigus non repercutit humores de per se, sed tantum

Obiectio

Cōtrariorū lex.

Obiectionis solutio.

tum ex accidenti constringendo nempe, & condensando ac contrahendo partem quam obsedit, ita enim truditur humor ab illa. Quod voluit Galenus libr. 13. meth. cap. 6. dum ait: vacuatur autem quod impletum est, non modo medicamentis iis quæ digerunt, sed etiam quæ adstringunt & refrigerant. Et lib. de inæquali intemperie cap. 6. dicebat: Frigus tum stipãdo tum introrsus pariter trudendo, quædam exprimere quædam quassare, vt liceat iam ex his argumentum ad hominem vocatum colligere in hunc modum: frigus non repellit de per se, sed secundario & altero interueniente; ergo calor de per se nõ attrahit, sed eo modo quo repellit frigus, videlicet ex accidenti ac alterius interuentu. Arguunt deinceps sic, quando ignis in lucerna attrahit per ellychnium oleum aut seuum, si attractio hæc fieret à vacuo, aer proximus facilius succederet quam oleum aut seuum, quia teste Galeno, in successione ad id quod vacuatur quod leuissimum tenuissimumque est prius ei quod vacuatur, succedit, quam id quod grauius est ac crassius: non ergo inferior seui pars ascendit gratia vitandi vacuum, sed à calore attrahitur. Huic argumento responderem ego seuum aut oleum nõ moueri superius

Argumẽtum ad hominẽ.

Obiectio altera.

3. de facul. nat.

Obiecti. respon.

M ad

ad ignem, sed hunc potius ad illa vt pabulum sibi assumat descẽdere; descẽdit enim naturali appetitu ipsa assimilandi & in sui naturã vertendi, quo modo descendit ad stuppã vel sulphur comburendũ, aut per fumum ad alterã lucernam cuius flamma nuper extincta fuit, incendendã. Si nãque vt illi arbitrantur, ignis in lucerna oleum & seuum ad se trahit, cur in foco combustilia quæ circũcirca sunt nõ etiam trahit? Etenim si pix & resina &, paleæ & alia id genus iuxta ignem quãtumcunque magnum apponantur, illa nequaquam trahet; quæ certe trahere deberet, si ipse trahendi facultate polleret, quemadmodum magnes ferrum, qui prope est trahit & succinum festucas: at ignis combustibilia quę sibi pabulum futura sunt etiam si proxime consistant nunquam trahet, sed ipse potius in illa insilit, vt experimento comprobari quotidie non obscure potest: quod non paruo argumento est flammam in lucerna oleum non trahere, sed illam potius ad hoc, vt ab eo pabulum sumat moueri.

Argumenta duo. Primum.

Supersunt hîc duo non mediocris efficaciæ argumenta, nam, teste Galeno, successione ad id quod vacuatur nunquam confluit magis, quam quod vacuatum est, cũ

tamen

tamen ad partem calore obsessam magis succedat quam quod vacuatur, alioquin enim non in tumorem attolleretur, ergo attractio quæ fit à calido, ad eam quæ à vacuo efficitur, reducenda non est. Rursus, succinum calfactum potentius attrahit, vt pote quod similitudini auxiliarium adiunxerit calorem, sed attractio hæc quæ à calore euenit, fit sine periculo vacui, igitur ad illud redigi non debet. Verum hæc (ni fallor) non multo negotio dilui possunt, nam primo dicendum ad partem calfactam confluere excrementa non ob calorem tantum, sed ob multas etiam alias occasiones, videlicet quia rara ac laxa caloris ratione est reddita, aut natura, vel ex præcedenti vel præsenti morbo est imbecillis, atque idcirco ad excrementa suscipienda idonea existit: vel quia dolet, vel infima est, aut sublimis quidem, sed excrementa tenuia vaporumque naturam repræsentantia eo tempore in corpore superfluunt, aque ob id suopte impetu sursum ferũtur, quo modo halitus à terra & ab aqua à solis calore eleuati aeris superiora petũt, nõ quod à sole trahantur, sed quod ipsi sua natura ac insita leuitate in superiorẽ regionem moueãtur. Sic ignis aquam in olla feruente exu-

Argumentũ alterum.

Prioris argumenti respõsio.

dare cogit, quia substantia eius rara aquæ mista ipsam rarefacit & ita attollit, vt ollāre pleat, donec eadē, affusa frigida, aut min' calente, qualis quæ cochleario ex cacabo bullante sublata & in aerem parum diu versata frigescit, aliquantulum refrigeret ac temperet; quod etiam afflatio nostra in aquam præstat. Contingit itidem vt humores ipsi trudantur à partibus alijs in eam quæ calore vexatur, idque propter redundantiam aut prauam aliquam qualitatem. Quare cū affectus caloris in parte simplex nō sit nec vniusmodi, mirandum non est si plus ad eam feratur quam quod à calore dissolutū & dissipatum fuerat. Atque ita primum argumentum dissolutum manet. Soluetur autem & reliquum, si dixerimus calorem interdum seruire tanquam instrumentum ipsi facultati tractrici, vt in attractione alimenti inseruit partibus trahentibus & medicamentis purgantibus in attrahendis & purgandis humoribus: quæ omnia fere calore tanquam instrumento vtuntur. Sic electrum perfricatum trahit celerius vsum calore vt instrumēto; inseruit enim tractrici facultati calor magis quam frigiditas aut qualitates cæteræ, quoniam docente Auicenna, calidum ad attrahendum conducit eo quod plurimum temporis actionis huius

Alterius argumenti solutio.

l.1.doc. 6.capit. 3.

ius facultatis in motu dispensatur: calor autem motum promouet, frigiditas vero de per se mortificat, & immobilitatem facit stuporemque inducit; ac vt summatim dicam de per se omnes impedit actiones. Atque ita (ni fallor) argumentis omnibus satisfactum est: quæ sane cuncta ob id attuli vt intelligant illi Auicennæ detractores nō temere eum vniuersas attractionis differētias in duas tantum contraxisse, præsertim cum in comperto sit ab vna causa de per se vnum prouenire effectum de per se & immediatum, calidique primarium officium esse calfacere, non trahere nisi inaniendo ac euacuando partes: sic vt calidum de per se calfaciat, ad calfactionem autem sequatur inanitio ac dissipatio, & ad hanc successio ad id quod euacuatum est. Sed de his abunde, quare ad reliqua perueniamus.

Ab vna causa de per se vnus de per se prouenit effectus.

Aliqui attractionem à vacuo fieri posse negant, dicentes, vacuum non dari nec in rerum natura consistere, quare concludunt nullius esse actionis causam: nam quod nō est, nec in natura rerum existit, nihil efficere potest. Verum isti hallucinantur quia non intelligunt res moueri aut trahi non quidem à vacuo, sed ne illud detur; succedunt enim ad implendum id quod euacuatur ne vacuum consistat. Abhorret summe

Num attractio à vacuo detur.

Vacuū summopere natura abhorret.

mopere natura vacuum, & conatur perpetuo, vt rerum continuitas seruetur, quemadmodum experimento constat in folle, cuius si cuncta foramina obstruantur, nulla vis naturalis poterit asserem vnum ab alio separare, nisi alicubi ruptura fiat per quam aer subintrare ad locum implendum posſit: quod argumento est non exiguo rem vnamquanque vacuum euitare contendere; nam quod rebus cunctis obest, singulæ abigere procurant, obest etenim rebus omnibus vacuum, quia docente Aristotel. necesse est mundum hunc inferiorem contiguum esse lationibus superioribus vt inde vis eius tota gubernetur; gubernari autem non posset si vacuū consisteret, eo quod illico cœlorum influxus rebus hisce inferioribus inhiberentur; impertirique nullatenus possent: quoniam agens omne naturale, teste Aristote. per corporum contactum mediatum vel immediatum agit. Intelligimus in præsentia per vacuum locum corpore non repletum. Alij res moueri ad vacuum implendum concedunt, putant tamen motum hunc violentum esse, non naturalem, quoniam quando per fistulam suctu attrahitur aqua, qui sugit, faculta-

Li. 1. meteor. cap. 2.

Lib. 1. de ortu & interitu capit. 9.

Agens omne naturale agit per contactum mediatum vel immediatum.

Nonnullorū opinio.

Prima ratio.

cultatem quandam immittit, aut impulsionem, qua ascendere ipsam cogit, eo quod quantum grauitatis habet aqua, quæ ascendit, tantum conatum apponit is, qui ipsam trahit thoracis distensione. Rursus quò substantia, quæ in locum qui vacuatur successura est, densior existit, eò suctus maiori vi effici debet, nam oleum sugendo per cannam difficilius attrahitur quàm aer, & aqua difficilius quàm oleum & puls maiori vi eget ad hoc vt trahatur quàm, aqua. Ex quibus deducitur, rem quæ ratione vacui attrahitur tractioni resistere, & ex consequenti motum eius esse violentum; nam qui naturalis habetur, sine interna resistentia peragitur, re ipsa quæ mouetur conferente vim. Porrò si aqua à natura moueretur per calamum ascendens, non egeret potentia maiori, propria grauitate, sed non ascendit nisi facultas thoracem distendens conatum maiorē aquæ resistentia apposuerit, ergo non à natura mouetur, sed violenter ascendit. Hæc sunt argumenta asserentium motum rerum, qui fit ad vacuum implendum præter naturam esse. Verùm qui talia dicũt animaduertere deberent cùm nos thoracem ad inspirandum distendimus aer

Ratio secunda.

Tertia ratio.

Argumenta diluuntur.

qui subingreditur, ingredi ad implendum vacuum: nam si thorace contracto claudamus nares & os, sic vt nullus aeri pateat aditus, illum distendere non poterimus etiam si ponamus conatus extremos. Et si inspiremus per fistulam aliquam cuius extremitas vna sit in ore, altera existat in aqua, primum quidem aer trahetur, deinde succedet aqua quo tempore maiorem vim thoraci adhibemus, non quod motui reluctetur aqua, sed quod thorax resistat distensioni, qui si non resisteret eâdem velocitate & facilitate ascenderet aqua qua aer ascendere solet, si nãque suctus vehementior vim aut impulsum aliquem inferret aquæ à tergo ipsam debebat impellere, vt fit cùm nos syringã aqua plenam sursum comprimendo euacuamus. Porrò si in aere follem diducamus, facillime diducemus: si vero id ipsum in aqua efficere velimus, difficillime ægreque, non quòd aqua reluctetur attractioni, sed quod follis latera resistant diductioni donec perueniat aqua, quæ pigrius multo atque tardius natura sua quam aer mouetur. Ex quibus clare intelligitur motum aquæ cùm ascendit sursum causa euitandi vacuum naturalem esse non violentum, vt prædicti arbitrabantur. In eo vero quod de Euripo afferunt cuius alterũ

Motus aquæ qui sursum fit causa euitandi vacuũ, naturalis est.

orifi-

orificium est in vase aquæ, alterum extra, in quo postquam ad exterius orificium tra cta est aqua censent reliquam deduci à gra uitate partis descendentis, quæ maior est grauitate partis quæ est ab angulo superio ri Euripi vsque ad aquam, falluntur, quia aqua non ascendit quod trahatur à reliqua descendenti, sed quoniam canalis per quē descendit maior est altero qui est ab angu- lo Euripi vsque ad aquam, quo fit vt aqua fluēte, aer per illum subintrare non possit, cum enim canalis hic minor existit, non as cendit aqua, quoniam si ascendere deberet esset causa vitandi vacuum. Verum huic periculo citius & propensius occurrit aer intrans per canalem minorem, quare non est cur tunc aqua ascendat, quia successio- ne eius quod vacuatur, prius succedunt propinqua quàm quæ longè posita sunt, & mollia quàm dura, & leuia quam grauia & tenuia quam crassa. Sed quod aqua sine impulsu aut violentia aliqua ascendat ad vacuum prohibendum & rerum conti- guitatem seruandam, hoc argumento con uinci potest. Aqua non descendit naturali ter, sed quiescit nullo corpore descensum impediente ne detur vacuum, ergo eadem propter hunc ipsum finem, & vt non amit tatur rerum continuitas naturaliter ascen-

Successio rā eius quod va cuatur, quæ prius succe- dant.

Argumentū efficax.

dit. Assumptū experimēto constat in clepsydra aqua plena cuius superius orificium si obturetur, per inferiora foramina aqua non profluet, sed ibidem detenta manebit. Ad hæc, retracto syringæ fuste aqua attrahitur & in syringem absorbetur nulla vi impellente, sed appetitu tantum naturali vacuum deuitandi. Rursus, ppter hāc causam aer descēdit naturaliter: nam si terra vsq; ad centrum defoderetur, aer ad centrum vsq; descenderet causa prohibendi vacuum: ergo eadem occasione aquam à natura ascendere rationi consonum est.

Clepsydra est vas æneū vel testaceū, cuius superius orificiū strictum est, & in eius parte infima multa insunt foramina quo ad irrigandā ozima & alias id genus herbas hortorū cultores vtūtur.

Tractio à facultate.

Superest vt de ea tractionis differentia quæ ab attractiice fit facultate, verba faciamus, nam hæc in rebus quibusdam adeo conspicua est & manifeste apparet, vt mirer aliquos extitisse, qui eam negare potuerint; ista inquam est, qua magnes ferrum ad se trahit, & non aurum aut gemmas: & electrum paleas, & non papyrum aut pilos: eâdem partes animalium & plantarum alimentum sibi familiare, & medicamenta purgantia humores sibi cognatos, & quædam alexipharmaca & alexiteria hoc illud ve venenum aut stipitem vel alia id genus trahunt. Qui enim sibi non persuadent rebus

bus aliquibus vim quandam inesse, quæ conuenientes sibi qualitates attrahunt, & nihil vsquam trahi ab vllo concedunt, ait Galenus, agricolis in rebus naturalibus rudiores videri. Nam illi in Asia cum triticum ex agro in oppidum carris conportabant vbi suffurari aliquid volebant nec tamen deprehendi, fictilia quædam aqua impleta in medium triticum condebant, id ergo humorem cum in se per fictilia traheret, tum molem sibi tum pondus adijciebat; quod tamen non facile ab intuentibus aduertebatur nisi quis antè admonitus curiosius rem existimaret. Hæc primo de facultate natur. capite decimoquarto, Galenus refert, & consequenter scribit quod & si in sole præcalido vas idem deponere velimus, quam minimum erit quod diebus singulis absumptum cernemus: adeò enim (subdit) triticum quam vehemens solis calor maiorem vicini humoris ad se trahendi vim habet: non tamen hæc tanta est vt ex quacunque distantia etiam admodum magna agere possit, sed ex certa quadam eaque mediocri, vt & aliæ naturales facultates agere solent: qua in re ab his, quæ vacui ratione trahunt differre conspicitur; nam hæc, docente Galeno

Lib. 1. de natur. facu. cap. 14 in fine.

Lib. 3 de natu. facul. cap. 13.

Galeno, etiam eminus trahere aliquid possunt: verumtamen quæ qualitatis conuenientia trahunt, cominus duntaxat, siquidem si symphonem longissimũ in aquam demiseris, poteris per eum facile humorem sursum in os trahere; at non si ferrum à magnete longius seponas aut etiam à fictili frumentum, poterit adhuc fieri tractus. Atque de attractionis speciebus hæc dicta sint. Videri tamen alicui posset à siccitate etiam tractionem effici, dicente Hippoc. 4. de victu acutorum com. 1. causum, id est febrem ardentem fieri, cùm venulæ tempore æstiuo exsiccatæ acres & biliosas quæ tenues sint trahunt ad se humiditates quas ἰχῶρας vocant: sicca porrò & rara trahere cernuntur, vt pannus, & funes & ligna sicca, & ripæ fluuiorum, & parietes compluuio vicini, omnia enim hæc altius humectantur quàm ea parte qua humorem tangunt. Rursus lana contorta humidum ad se corpus allicit, ita vt vasis in quo altera pars immergitur, totam exhauriat aquam. Licium præterea humorem trahit, vt etiam aquæ amphoram exhauriat singulis diebus, & in plantas irrigandas transferat.

Num à siccitate tractio fiat.

Verùm si quis hæc exactius consideret, nihil ijs quæ dicta sunt aduersari reperiet;

nã Hippoc. per exsiccatas venas, inanitas intellexit, sic vt velit venas euacuatas, ichorosas humiditates ad se trahere, cùm enim tunc naturali appetitu impleri desiderent, alliciunt ad se humiditates prædictas vt se impleant & eisdem resarciant quidquid ab ipsis deperditum ac inanitum est, attrahũt acres & biliosas, ob id quia hæ æstiuo tempore redundant in corpore: si namque meliores aliæ & benigniores abundarent, eas ipsas traherent, quibus cùm destituantur, ad acres & biliosas quæ eo tempore superfluunt, conuertuntur: nam docente Galeno, quemadmodum esurientia animalia aut limum aut quid aliud tale propter famem ingerunt, ita quælibet pars proprio sibi nutrimẽto destituta & necessitate coacta propter innatam sibi ipsi appetentiam aliquid attrahit etiam ex ipsis prauis humoribus. Ad aliud verò dicendum, contortã lanam (vt idẽ etiam de licio ac de reliquis intelligas) non attrahere ad se aquam, sed hanc potius per illam ascendere; quoniam aqua vt omne agens naturale, contendit à natura sua contraria sibi assimilare idq; maiori conatu ac appetitu quã in proprio manere loco, vt in igne probari facillimo negotio potest, quem plerumq; ad comburendum stuppam aut sulphur descendere videmus:

Quid Hipp. per exsiccatas venas intelligat.

Priori argumento respõdetur.

Lib. 9. de vsu par. in initio

Alterius argumenti respõsio.

videmus: sic enim aqua ascendit per lanam contortam & per licium ex parte aquæ immersum, idemque facit per terræ glebam, aut calcis; ascendit enim appetitu naturali quo nititur vt aridum subiectum humidum ac sibi simile efficiat, quod assequitur dum sensim per poros spongiæ, aut lanæ, aut calcis ascendens singulas horum partes humectauerit. Sic oleum essentiæ tenuitate maiore quam aqua præditum, velocius multo sursum in papyrum aut etiam in pannum se se spargit, vincit tamen in eis appetitus naturalis assimilandi & vincendi contrarium eum appetitum quo per grauitatem contendunt descendere & in proprio loco manere, quemadmodum in igne descendente dictum paulo ante est. Hoc autem non semper euenit, sed vbi dispositio, & opportunitas vincendi ac commutandi contrarium se obtulerit, & ignis fumo aliquo innititur, & aqua atque oleum nonnullo corpore firmo.

Quod tractionum genus Aphrodisæus cõstituat.

Alexander Aphrodisæus libro secundo, quæstionum naturalium. capite. 23. aliud tractionum genus constituit, quod ad dictorum nullum attinere apparet; & quæ hoc genere trahunt cum mouentur mouent. Huiusmodi esse ait quæ tractoriæ

machinæ vocantur, & equi curruí iuncti, machinæ namque onera in altitudinem attollunt eaque contingunt, pariter & equi currum trahentes, atque is tractionis modus nec ad succeſsionem nec ad conuenientiam nec ad calorem reduci poteſt. Medicus quidam Patauinus qui nuper ſectionem primam primi Auicennæ libri eſt interpretatus, huic obiectioni reſpondet dicens, vi & tactu tractionem non eſſe, ſed ductionem, quam ait Alexandrum impropriè ſub tractionis nomine collocaſſe. Itaque ex huius authoris ſententia, motus qui fit currus ab equis, & onerum à machinis, ductio aut vectio dici debet, minime autem tractus aut tractio. Cui opinioni ego facile aſſentirem, ni Ariſtoteles hiſce ſimiles motus tractiones appellare videretur: nam libro quarto, meteor. capite. 9. inquit, trahi, eſſe ſuperficie continua exiſtente verſus id ipſum porrigi, quod facultatem mouendi obtinet: & exemplum ponit in maſſa triticea & viſco, quæ ob id tractilia nuncupantur, quod illorum ſuperficies in latum porrigi poteſt: quæ tractio nec ſine motu fit nec citra aliqualem violẽtiam. Ad hæc viſcum & triticea farina ductilia potius quã tractilia

Medici cuiuſdam patauini reſponſio.

dici

dici deberent: at hæc tractilia vocat Aristoteles, ergo & Alexandri exempla tractilia dici non minus debent, præsertim cum huiusmodi tractiones sint de genere earum in quibus trahentia cum trahunt mouentur, de quibus. 7. physic. cap. 2. idem Arist. loqui visus est. Dicerem potius ego tractiones currus ab equis, & onerum à machinis artificiales esse & præter naturam, quo fit vt ad medici aut philosophi considerationem non pertineât. Accedit eò huiusmodi tractiones fieri ab animali facultate mouente & non sine attracti violentia maiori vel minori: tractiones verò de quibus in præsentia sermo fit, à naturali proueniũt & res quæ attrahũtur vim attrahenti conferunt.

Alexandro. respõdetur

Quærunt nonnulli à quo attrahitur humor, qui in finem titionis virentis aut humectati peruenit: nam non videtur eius tractionem ad aliquam earũ, quæ dictæ sunt causarum redigi posse. Verumtamen isti falluntur putantes humorem illuc trahi, non enim ad eam partem trahitur, sed pellitur fuga penetrationis dimẽsionis, quod non minus quam vacuum abhorret natura: quia enim humoris illius portio tenuata & in vaporem versa locum occupat maiorem, idcirco vt humori reliquo cedat in extre

Humor qui in finem titionis peruenit non trahitur, sed pellitur.

extremum titionem confluit. Maior tam est de dolore hæsitatio; nam videtur Galen.eum inter tractionis causas recensere lib. de curandi ratione per sanguinis missionem cap. 8. vbi reddens rationem cur citra plenitudinem, initio phlegmones quę aut propter ictum aut dolorem prouenit, competat sanguinis missio, inquit, ob id competere, quoniam dolor sanguinem ad se trahit. Et rursus, lib. 2. de different. febr. cap. 15. ait: Ita igitur dolor attrahit in affectas dolore partes fluxionem. Porrò si pes dolore vehementi à frigida intemperie orto crucietur, etiam si nulla adsit plenitudo, primum quidem rubebit, deinde verò in tumorem attolletur, calida fluxione in illum irruente; sed hæc irruit vel quia truditur ab alijs partibus, vel quia à dolore affecta parte attrahitur non quia truditur, quoniam vbi plenitudo non adest, nec praua aliqua qualitas infestat, non est cur humores trudantur, siquidem hi docente Galeno, lib. 13. metho. cap. 5. ab ijs in alias partes ob redundantiā, vel malā qualitatē expelli solent. Ergo consequitur, fluxionem à dolore attrahi; quod in arthritide quotidie experimur, in cuius principio sæpe frigidus humor ac tenuis articulorum vincula ac membranas tendonesque im-

An dolor tractionis causas cōnerari debeat.

Argumenta.

vbi plenitudo nō adest, nec praua infestat qualitas, non est cur humores trudantur.

Cur humores à valentioribus in imbecilliores partes expellantur.

-lens dolorem infert vehementem: dolor
o deinceps ruborem atque calorem ac
..rsit; non quidem ex morbi essentia, primave origine, sed attracto à vehemẽti dolore sanguine. Veruntamen cuncta hæc non probant, dolorem causam esse tractricem: nec enim id Galenus voluit, sed duntaxat illum fluxiones commouere aut irritare, vt constat. 5. sectione aphor. com. 23. & libro artis medicinalis capite. 95. vbi inquit: omnis præterea dolor fluxiones commouet, quemadmodum libro quinto, therapeut. metho. capite quarto, vitandum ait ne dolor incidat ac rursus profluuium excitet, cum nihil sit quod sanguinis profluuium magis quam dolor proriter & phlegmonas augeat. Omnibus his locis commouere seu irritare fluxiones dolorem asserit, non autem trahere, ita vt verius dicatur humores in dolentes partes decumbere quam ab ipsis trahi; nec proferri debet ex dolore illas imbecillitatem contraxisse, & hac ratione aptas ad suscipiendum reddi; quia stat partem aliquam dolore affici & imbecillam non esse, vt ex Galeno elicitur libro. 11. meth. capite. 20. & libro tertio, de crisibus capit. 10. Sed cur per dolorem in affectam partem humores confluant, docet Galenus

Argumẽtũ diluantur.

Cur in dolentem partem humores cõfluant.

lib-

libro. 13. metho. capite tertio, scribens in hunc modum: Docuimus in opere quod de natura. facultat. edidimus, vnam esse naturæ facultatem quam excretoriam dicimus: ea suo munere tunc fungitur cum triste aliquid sentit, vnũ verò quiddã est ex eis quæ eam contristant, ipsa quæ dolorem excitat causa quæcunque ea sit. Hanc igitur eijcere dum properat, phlegmonen interdum in particula concitat: cùm enim primis suis conatibus nihil profecerit, vehementius aggressa quod infestat expellere, sanguinis aliquid & spiritus ex superpositis partibus in afflictam simul exprimit. Atque hinc fit quod ex dolore particula proportione confluentis in eam humoris in tumorem attollitur. His sane verbis cur perueniant in locum dolentem succi, causam explicuit, nimirum quoniã concussu illo & conatu, quo expultrix facultas ad abigendam à se dolorem efficientem causam vtitur, sanguinis non nihil & spirituum etiam, in dolentem partẽ ex supervicinis sedibus exprimitur, ita vt velit Galenus, dolorem partes quæ circumiacent ad expellendum stimulare, ipsum autem trahere nequaquam: cum enim dolor eodem docete Galeno, nihil aliud sit quã tristis quidã sens' nemo in eo

Lib. 2. de loc. affectis cap. 2.

 simi

similitudinem aut proprietatem aliquam constituere: sed cum partium omnium facultas natura sua ad excernẽdum id quod infestat, insurgat, fit vt hoc motu humor in proximis particulis contentus etiam cõmoueatur & ipsas ad expellendum irritet: vnde euenit vt versus dolentem se se comprimant succumque in illam emittant. Accedit eò easdem partes quæ iuxta dolentem sunt propter innatum quendam consensum cæco impetu aduersus dolorem insurgere sese que versus illum comprimere: qua compressione sanguis & spiritus in illam mittuntur. Veruntamen non videtur hæc sufficiens causa decubitus humorum in dolore obsessam partem, eo quod non solum ex vicinis sedibus decumbunt illi, sed ex eis etiam, quę longe positę sunt, pũcto namque pedis digito fluxus ex superioribus pube partib⁹ promouet, vt pũcto digito man⁹ ex thorace ipso: cui⁹ rei indiciũ est glandularum tumor, quę in quã eis casibus in inguinibus & alis intumescunt & plegmone occupantur, vt pote quemadmodum Galenus ait, defluentem ad vltimos artus sanguinem priores excipientes. Nec valet dicere, compressione inspiri dolori vicinam partẽ & deinde reliquos succo, vel ex longinquissimis partibus success-

Lib. 13 meth. cap. 5.

sione

sione ad id quod vacuatur moueri: nam præterquam quod nulla illic est humorũ euacuatio, successione eius quod vacuatur nunquam succedit magis quam quod vacuatum est; quod hic haud quaquam contingit, cum pars in tumorem haud mediocrẽ attollatur. Rursus, si in superpositis locis humores frigidi consistant, hi per dolorem in afflictam sedem non confluunt, etiam si vis partis illius expultrix in eam illos exprimere conetur: confluunt tamen spiritus & sanguis aliunde, & ex longinquissimis locis venientes, igitur causa quę allata est insufficiens haberi debet. Quare dicendum, sanguinem & spiritum qui ex valde distantibus perueniunt partibus ad dolentem mitti, non autem ab ipsa trahi, si quidem in eam confluunt, aut quia aliũde mittuntur, vel quia ab illa trahuntur; si nõ attrahũtur (quoniã dolor, vt ostẽsum est, nullã trahẽdi vim obtinet) sequitũ ob id cõfluere quia mittũtur; qui enim putãt nullã esse causam quę eos mittat, dicãt mihi à quo mouentur spiritus & sanguis in gaudio ad corporis exteriora? in metu atque mœstitia ad interiora? in verecundia modo ad interiora post modum verò ad exteriora? Dicant rursus à quo retrahitur calor à pastu in ventriculum? quo fit vt

Quid proposito quæstioni dicendũ.

tunc frigeamus, calore naturali corporis superficiem deserente, & ad intima recurrente. Certe qui de his non dubitant, non dubitabunt sanguinem & spiritum in dolentem partem à natura mitti seu à facultate quæ læsum corpus gubernat demandari: quod manifeste sensisse Galen. est visus libro. 5. aphor. com. 53. dicens: hæc enim est quædam ratio communis in ijs quæ natura aliquid violenter excernit, vt sanguinis & spiritus impetus eò feratur: quibus duobus veluti instrumentis natura vtens, ea, quæ infestant per vim expellit. Hac ratione igitur & dolentibus partibus inflāmationes adueniunt, natura excernere atque expellere causam doloris properante, vt vero hoc contingat sanguine ac spiritu locum implente: sunt enim miri quidam consensus inter nostri corporis etiam diuersi generis facultates, quo fit, vt animali virtute extremi digiti pedis noxam aliquam sentiente, illico expultrix naturalis partis eiusdem excitetur ad id, quod molestiam infert expellendum, etiam si ipsa non sit quæ irritationem patiatur: & ea non sufficiente, protinus consurgit totius vniuersalis facultas vt peculiari vi partis, suppetias aduersus morbum deferat. At

Obiectio.

dicent

dicent, sanguine & spiritibus qui ad locum dolore vexatum confluunt, partem ipsam inflammari & tumorem præter naturam pati; hoc autem indicat confluxum huiusmodi à natura non prouenire, quandoquidem ab ea perperam factum est nihil, cum vel Aristotelis testimonio, semper propter finē agat. Verūtamē isti haud quaquā animaduertūt, naturales potētias nō operari quantum expedit, sed quantū possunt. Nec enim vētriculi facultas quantū animali conuenit mutat cibum, cum vero non amplius conuenit, cessat ab operatione, sed quantū potest mutat; alioquin nihil noceret tenue alimentum offerre calido ventriculo: Sic facultas illa, quæ sanguinem & spiritum parti dolenti demandat, non demandat quantum eius interest necessarium ve eidem est, sed quantum demandare potest.

Li. 2. physic. c. 8.

Obiectio soluitur.

Hanc de calore & dolore tractationē latius quam decreueram sum prosequutus, vt curiosis satisfacerem, non quod putem ad artis opera multum conferre: nam num attrahant calor & dolor, vel materiæ potius mittantur, parui medico refert, modo sciat in partes calefactas & dolentes defluere materias, & tumores excitare preter naturam: calor autem à quauis

 causa

causa vna ex quinque à Galeno traditis vel pluribus excitatus vt in partem excalfactam fluxio decumbat occasio est, pariter atque dolor, & ob id sanguinem ex vena maleoli missuri pedem aquæ calenti imponunt, vt tracto sanguine vas sit perspicuum magis & tensum, vt percussionem scalpelli tutius ac certius excipiat. Eadem de causa manum dextram fricant etiam cum linteis calidis, & aquæ calidæ immittunt, venam iecorariam (quæ à parte exteriori carpi recta ad minimum digitum exporrigitur) secturi, & vinculum præterea adhibent, tum vt dolore sanguis vulnusculum versus feratur, tum vt venam vno loco contineat ne laxior per longum id interuallum in dextrum aut sinistrum aberret, ac scalpellum subterfugiat. Qua itidem de causa eidem pollicem eregione medici admouent. Sed de his sufficienter est dictũ; quare huic capiti finem imponamus & ad reliqua, quæ dicenda supersunt accedamus.

Lib. de causis morborũ cap. 2. & 1. de differ. feb. cap. 4.

Purgantia medicamenta totius substãtiæ similitudine seu qualitatis conuenientia familiares sibi attrahere succos: ac in quo hæc consistat similitudo.

Cap.

CAP. XI.

Aristotelis illud est, in qualibet disputatione pri⁹ inquirẽdũ esse, nũ id sit de quo futura est disputatio, mox quid sit illud, esse inuestigãdũ. Quod nos in præsentia sequentes, cum purgatricem facultatẽ medicamentis nonnullis inesse demõstrauerimus, tractationis sequela suadẽte superest, vt quid ea sit, ac in quo consistat demõstremus. Antea tamen quam illud faceremus, voluimus prauas de hac re medicorũ opiniones confutare, quas docente Gale. prius extergere, atque ex animis discentium delere oportebat, ne quid veritati obsisterent; Nam, vt Hippo. inquit, sic etiam ait Plato, Non solum impura corpora quanto plus nutrias, tanto magis lædas, verum etiam impuris animis si nutrientes sermones offeras non modo nihil prosis, verum etiam magnopere obfueris. Cur verò medicamenta peculiares humores alliciant, satis superque docuit Hippo. cuius verba si iuniores medici assequi voluissent, non tot erroribus & paralogismis irretiti fuissent, præsertim si Galen. dictis mentem adhibuissent, qui toties de hac re scripsit vt

Li. 2. poster. cap. 1.

1 simpli. cap. 40.

Apho. 10. lib. 2.

omnem mihi ambiguitatem sustulisse sit visus. Itaque Hippocrates purgātibus medicamētis vim quāpiam tractoriā inesse cēsuit, qua sibi similes familiaresq; humores trahūt. Nā libro primo de natura humana tex. 31. sic inquit. Etenim Pharmacū vbi corp⁹ intrauerit, primū quidē ducit id q̄ ex omnib⁹ in corpore existērib⁹ sibi maxime secūdū naturā familiare fuerit, deinde verò etiā alia trahit ac purgat. Ex cuius verbis liquet, scamoniū bilē, cnicū pituitā epithymū atrā bilē, brasicā marinā aquas & serosos humores, analogia quadā & familiaritate ac substātię similitudine ad se allicere, ac prolectare; q̄ deinceps apposita similitudine cōfirmat, dicēs. Quemadmodū n. stirpes & semina terrę mādata inde eorū vnū quodq; id q̄ suę naturę cōgruū & affine in ipsa reperitur attrahūt (terrę autē inest & acre, & dulce, & amarulētum, & salsum, & cuiusq; alteri⁹ generis). Sed id plurimū ac primum trahūt quod maiorē habet cū natura sua affinitatē: mox verò & alia quoq;, nec secus etiā in corpore agūt medicamēta. Ex qua serie neminē arbitror fore tā rudem, aut latini sermonis tā ignarum, qui non intelligat Hippocratē velle familiaritate quadā trahētis medicamenti humores illi similes ac familiares trahere:

Hippo. sentē tia de purgantium medicamentorū vi.

Purgātia medicamēta eodem modo attrahunt humores sibi familiares quo stirpes alimētum eis cognatū trahūt.

fami-

similiquidem attractione qua terræ nascentia, quod illis familiare est ex terra trahunt, acida acidum, amara amarū, dulcia dulce, salsuginosum salsa quæ sunt. Atq; hinc est (quod etiā Mesues animaduertit) vt vitis, verbi gratia, & arundo Indica dulce, hydro piper acre, lupinus nitrosum, brasica marina salsum, oxalis acidū, cucurbita insipidū colocynthis & cucumer agrestis amarū, ex partibus terræ adustis natū, attrahant. Quod sanè cognoscētes hortulani summo pere præcauēt, ne allia & cæpas, vel nasturcium & porra simul serant; nā cum omnia, hæc eodem vtantur nutrimento, non potest terra cūctis illud suppeditare, inuicem ipsis id sibi rapiētibus. At optima satio est cæpe vna cū lactucis, & portulacæ vnà cū brasicis, & tādem omnium quę diuersi generis alimento fruuntur. Verum hæc iam agriculturam attingunt, quare ad institutum reuertamur. Quod autē quæ Hippocratis extitit, eadem etiam fuerit Galeni de soluentium medicamētorum ratione mens, legenti librum aduersus Iulianum, & primum de naturalibus facultatibus volumen, librūque de purgantium medicamentorum facultate, & secundū de elementis constare nō obscure poterit, quib' in locis plurib' experimētis euiden-

Lib. 1. de re medica hoc est in canonibus vniuersalibus. theoremate 4.

Li. aduersus Iulianū capi. 8.

1. de facultat. natura c. 13.

lib. 2. de elementis cap. 5.

euidentibusque rationibus, hoc ipsum probare contendit: nullibi verò perspicuius & patentius id fecit, quam lib. 3. de simpli. medi. facul. in cuius capite 25. ita scribit, similitudinem inesse quandam vtrisque substantijs, & eius videlicet quod purgat, & eius quod purgatur necesse est. Et consequenter subdit, Porrò cũ quod purgatur pituita est quod trahit pituitosum sit oportet. Ex quibus clare intelligitur attractiones substantiarum fieri similitudine, in purgationibusque attractionem esse eorum succorum qui purgantibus medicamentis similes sunt; quam similitudinem qui in sensibilibus qualitatibus quæsiuerunt mirum non est si in salebras inciderint, nec eam reperire potuerint. Quo factum arbitror vt tractionem humorum, quæ à purgantibus euenit medicamentis, non fieri ob similitudinem affirmarent: tali profecto modo ac si quis nos videre neget, propterea quod causam cur videamus ignoret. Consistit sanè similitudo prædicta, non in calore, aut frigore, aut in aliqua ex primis qualitatibus, siquidem agaricum calidum & siccum pituitam frigidam & humidam attrahit: non in colore, quia violæ ceruleæ, & rosæ rubeæ, ac thamarindi subnigri, bilem flauam & pallidam purgant: nõ in sapore,

Gal. de sol. ẽtuum medicamentorum facultate, op. tiuo.

quia

quia manna dulcis, similiter & siliquæ Ægyptiæ (casiam fistulam hodie vocant) interaneus liquor amaram bilem, & præsertim eam, quę in atrā degenerauit si Actuario creditur expurgant. Non in odore, quia aloe Mesues testimonio bono prædicta odore bilem fœtentem educit: non in modo substantiæ, quia agaricum tenue & friabile, pituitam crassam & viscidam expurgat, & senna leuissima atram bilē terrestrē & grauem allicit, & rhabarbarum graue flauam bilem leuem euocat. Consistit igitur huiusmodi similitudo in modo mixtionis primorum elementorum, dicente Galeno libro. 4. de simpli. medicamen. faculta. capit. 15. ex quatuor elementis omnia generari, atque ex horum imparitate rerum proprietates consurgere. Quam Galeni sententiam sequi visus est Auerroes lib. 5. collectaneorum cap. 21. proprietates proportiones quasdam esse asseuerans, nā de tractione loquens, quæ ā magnete fit, sic ait. Hoc accidit propter proportionem ac conuenientiam, quæ est inter ipsum & ferrum, & hæc proportio & conuenientia non est nisi in mensuris mixtionis elemētorū. Hæc Auerroes. Quibus verbis idem quod Gal. manifeste sentire videtur, fieri, nempe, proprietatem ob similitudinem in modo

Actuarius li. de compositione medicamentorum titulo de potionibus medicamentariis aduersus affectus qui febres comitantur.

In quo consistat similitudo quam purgantia medicamenta cum humoribus, qui purgantur, obtinent.

Auerroes Galeno consentit de proprietate soluentium medicamentorum.

modo mixtionis. Quod satis exponi non potest, nec. n. hic mistionis mod⁹ excess⁹ est, aut defect⁹ elemẽtorũ, sed mod⁹ cõcur s⁹ substãtiarũ ipsorũ ad mistionẽ. Quemad modũ. n. ex eisdẽ literis (quę dictionis sunt elemẽta) diuersimodè positis, ac collocatis diuersæ cõsurgũt dictiones ac voces, vt ex R. O. M. A. fit Roma, Amor, mora, maro, Ramo, omar, armo, orma; al ęq; multę: & sicut ex eisdẽ specie & numero metallis, putà ęre, stagno, argẽto, & auro, toties diuersi sonitus cãpanę consurgũt, quoties metalla ista liquãt; sic de elemẽtis cẽsendũ est, ex vario nimirũ illorũ in mistione cõcursu, varias huiusmodi ꝓprietates ꝓficisci. Et cũ, teste Galeno innumerę esse possint elemẽtorũ alterationes, atq; mixturæ, innumeræ etiã particulariũ corporũ poterũt oriri ꝓprietates. Quid igitur mirandũ est, naturã mistionem tantũ euariare posse, vt ex eius varietate diuersæ proprietates consurgant, si id ipsum ars sæpe efficere valet? Quę naturã, vt Arist. ait, imitatur quidẽ, nũquã tamẽ assequitur, multo minus vincit, præsertim cũ ex decẽ, aut paulo pluribus mẽbris quę in facie vtriusq; nostro reperiũtur, tãtã parẽte illa ac diuina rerũ artifice natura dissimilitudinẽ efficere cõspiciam⁹, vt nullas duas in tot millib⁹ hominũ indiscretas effigies

Apposita simi litudo.

Similitudo alia.

Lib. de constitutio. artis medicæ cap. 8.

Lib. 2. physicorum cap. 2.

reperi

reperire possim⁹; q̄ pro re mirabili scribit Plini⁹ li. 7. naturalis historię. c. 1. Qui igitur hoc viderit ac diligētia cōsiderauerit, non admirabit̄ ex vario elemētorū in mistione cōcursū, diuersoq; positu, varias profiue re atq; emanere proprietates; licet nō igno rē alias nō ab impari hac elemētorū mistu ra, sed à rei ipsi⁹ forma essentiaq; cōfluere. In quorū cēsu nō esse purgatrices proprie tates cōstituēdas, ex eo fit manifestum, q̄ quę à forma specifica emanāt proprieta tes, soli illi speciei cōueniūt: at purgatrices nō vni soli sed plurib⁹ insunt. Nā facultas bilis purgatrix, nō tātū cōpetit scamonio; sed aloe etiā, atq; rhabarbaro alijsq; pleris q;: & purgatrix pituitæ nō in agarico solo, sed etiā in cnico & turpeto, multisq; alijs re perit: quo circa dicēdū has nō aliūde quā ex modo mistionis elemētorū cōfluere. Hinc nō difficile erit Galenū intelligere, hāc proprietatē interdū qualitatis, aliquā do vero toti⁹ substātię similitudinē appel lāte; nā vtroq; modo dici potest, qualitatis inquā, quia re vera qualitas est de secūda specie qualitatis, naturalis videlicet potētia: substātię verò, quia fit & emanat ex cōcur su substantiarum elementorum, verum li cet in hoc consistat dicta facultas, & non in vllis sensuum manifestis qualitatibus, (qua

Purgatrices facultates in quo proprietatum censu non reponantur.

Galeni locū interpretatur.

(quapropter illam non sensu, sed solo experimento, cognoscendam esse censet Galen. lib. de attenuante victu, cap. 4. & 2. de ratione victus, in morbis acutis com. 11.) nihilominus tamen interdum, imò sæpe trahens & attractum in dictis qualitatibus conueniunt, non quod in eis consistat facultas tractrix, sed quod ipsam frequenter illæ sequantur, in eisdemque trahens & attractum conueniant similiaque sint, quod summopere declarat amborum conueniẽtiam, & similitudinem; sic aloe & rhabarbarum, flaua & amara, similem attrahunt bilem, & elleborus albus, cnicus & agaricũ alba pituitam prolectant, niger elleborus mirobalani nigri nigram bilem educunt, electrum paleis colore simile est, quemadmodum magnes cum ferro, colore atque in substantiæ modo conuenit. Veruntamẽ aduersus hanc sentẽtiam alioquin veriss. mam multa obtrudunt argumenta. Primum, si tractiones ob substantiarum in modo mistionis similitudinem efficiuntur, non est cur trahens potius trahat quã trahatur, & quod trahitur potius trahatur quam trahat, cum in vtrisque eadem similitudo reperiatur. Itaque cum tam sit agaricum pituitæ simile, quã illi hæc, nulla ratio est, cur agaricum potius trahat pituitã,

Sæpe trahẽs & attractum in manifestis conueniunt qualitatibus.

[illegible]

Galeni [illegible]

Primæ obiectioni respondet Galen.

quam

quam pituita agaricum. Verũ tamen huic argumento respondet Gal. lib. 3. de simp. medi. facu. cap. 25. dicens, Verum esse purgantia medicamenta esse quidem trahendis humoribus familiaria; verum quæ trahunt, quodam modo esse efficaciora valentioraque sicut magnes lapis ferro, quippe qui ad ferri naturam accedat, inque ferri metallis reperiatur, eique magnopere specie persimilis sit: verum fortior est quodá modo vt trahere sit aptior quam attrahi. Cæterum subdit deinceps Gal. Quin nec cnicum quoque à pituitæ natura alienum esse diffidendum est, vti colore suo præse fert, sed tamen calore ipso quam pituita valentior est, vt attrahere quam attrahi magis par sit. Quibus verbis duo videtur astruere, primum similitudinem ad attractioné quæ est inter cnicum & pituitam consiste re in colore, alterum causam potentiæ valentioris cnici, ob quam pituitam attrahit & non ab ipsa attrahitur, existere in calore: quare non est cur in his disquirendis ad occultam proprietatem confugiamus; cum omnia ad qualitates manifestas referãtur. Verum primo parum ante responsum est, cum dicebamus facultatem, qua magnes attrahit ferrum, & purgantia medicamenta humores sibi peculiares, consistere in si

Dubium ex Galeni serie oritur.

Dubij ex Galeni serie orti solutio.

O militu-

militudine modi mistionis primorum elementorum, eam tamen sæpe sequi sensibilium qualitatum similitudinem, essque trahens & attractum non solum in modo concursus substantiarum elementorum in mistione similia, sed plerunque etiam in manifestis, & sensibilibus qualitatibus vti supra ostensum est. Secundo dicendum, causam potentiæ valentioris ob quā medicamenta humores trahunt, & non ab eis trahuntur, non esse calorem sed dictam proprietatem similitudinis, adiuuari tamē hanc à calore: primum peruium est & cuique notum, nam si ob calorem medicamenta humores traherent, sequeretur quæ calida tantum sunt hac pollere facultate, quod sanè aperte falsum est, nam zinziber, piper, sinapi, & alia huiusmodi deuorata, vel quouis alio modo sumpta corpus calfacere & supra modum inflāmare sunt apta, non tamen quidpiam purgare valent, nullam certe aliam ob causam nisi quia hac destituūtur proprietate. Rursus si inter ea quæ essentijs similia sunt quod potentius est trahit reliquum, & hæc potentia vt nonnulli censent, consisteret in calore, sequi par esset bilem, violas & thamarindos attrahere, nam hæc frigida sunt, bilis vero calida: sed contrarium

Causa potentiæ valentioris, ob quam medicamenta humores trahūt calor non est calor tamen adiuuatur.

Illius quod dictum est confirmatio.

verum est, violas nempe & thamarindos bilem trahere, non bilis illa. Igitur proprietas peculiarem humorem expurgandi, non in calore continetur, sed ex intimis principijs, emanat ac defluit. Cur vero tractrix facultas calore iuuetur, capit. præcedenti tradita causa est, ea videlicet quoniam plurimum tempus actionis huius facultatis in motu dispensatur, & calor natura sua motum promouet, frigiditas verò de per se mortificat & immobilitatem efficit: atque hæc causa est, cur succinus calefactus (fricatur enim vt calefiat) paleas potentius attrahit; & violæ si calidæ essent maiori purgandi vi pollerent, pariter & oxi phœnices. Vtūtur enim facultates cunctæ calore tanquam instrumēto ad agendum, dicente Galeno calorem auctum ad omnē operationē efficacissimū esse, nisi ad tantā vehementiam crescat, vt eliquandi vim assequatur, nam tunc primum redditur omnino inutilis. Cui Auicenna subscribit. p. 1. D. 6. cap. 3. Caliditatem omnibus virtutibus inseruire, dicens. Verum tractrici magis quam reliquis calor opitulatur, ob eam quā modo reddidimus causam. Quare mirandum non est, medicamentum quod purgandi obtinet vim, si vnà etiam calidum existat, magis ac vigorosius

Cur tractrix facultas calore iuuetur.

Lib. 3. de caus. simpt. c. 3.

educere purgatrice facultate vsa calore tanquam aptiori instrumento; atque ita (vt arbitror) prædictæ obiectioni satis factum est. Verum tamen Auicenna aduersus Galenum argumentatur dicens, quod si tractio fieret propter conuenientiam in substantia inter medicinam trahentem & humorem attractum, ferrum attraheret ferrũ cum ipsum quantitate superaret, & aurum attraheret aurum, cum ipsum mole sua excederet; quod aperte falsum est. Verum hoc argumentum non latuit Galenum, siquidem lib. 3. de simp. med. facul. cap. 25 illud proposuit & soluit; nam cum dixisset, cum quod purgatur pituita est, quod trahit pituitosum sit oportet, subdit, pituitosum autem esse oportere quod trahit, diximus, non autem plane pituitam, etenim similitudinem inesse substantijs diximus non identitatem, contrarium enim cernimus, nam nec ferrum attrahit ferrum, nec caro carnem, sed lapis sideritis ferrum & caro sanguinem; differunt enim mea quidem sententia, idem & simile, quippe pituitæ pituita eadem est, & cnicus cnico, similis autẽ pituitæ cnicus, nõ tamen idẽ, neque enim quæcunque aut biliosa aut pituitosa dicimus perinde tanquam bilem aut pituitam continerẽt, sic nuncupamus.

Auicenna 4. pri. cap. 4.

Obiectio altera ex Auicenna aduersus Galenum.

Auicennæ argumentũ nõ latuit Galenum.

Huius

huiusmodi enim opinionis absurditatem deteximus, tum in naturalium facultatum commentarijs, tum multis alibi locis, hæc Gal. Ex quibus clare intelligitur similitudinem tractionis esse causam, non identitatem; nam electrum non trahit electrum, nec rhabarbarum alterum rhabarbarum, sed electrum paleas, & rhabarbarum bilē.

Alteris obiectionis solutio.

Obijciunt aliqui nullam maiorem inueniri similitudinem quam inter res eiusdem speciei, cum similes esse contingunt, quo fit vt ouum ouo simile dicamus; vnde prouerbium de valde similibus, non tam ouū ouo simile, de rebus indiscretæ similitudinis prolatum existit. Quod etiam est à Cicerone lib. 2. Academicarum quæstionum vsurpatum, vti à Plauto in Amphitrione, hoc non tam lac lacti simile, item, non tā aqua similis aquæ prout & illud à Cicerone, citato loco enuntiatum; quam apes apum similes, & oua ouorum. Igitur ad eū dem modum, nihil erit tam simile ferro, quàm aliud ferrum, nec magneti quā alius magnes. Quo circa si attractio ferri à magnete, & humorum à purgantibus medicamētis ad similitudinem referri deberet, magnes attraheret alterum magnetem, & ferrum aliud ferrum, sed hoc non apparet, igiī prædicta attractio similitudini tribuē

Obiectio alia.

da non est. Verumtamen obiectio hæc facile diluetur si perpenderimus quid similitudo & quotuplex ea sit, & de qua Gal. intellexerit, cum dixit purgantia medicamenta peculiares sibi humores, ac magnes ferrum ob similitudinē trahere; & vt rem ipsam paucis contrahamus similitudo expressio quædam est eiusdem in altero atque in se ipso. Simile namque à Platone in Parmenide definitur, cui idem quiddam accidit cum altero. Talis profectò reperta fuit similitudo inter eximios illos forma pueros, alterum in Asia genitum, alterum trans Alpes, quos referente Plinio, vt geminos, Marco Antonio Toranius vendidit; tanta inter eos vnitas erat. postquam deinde sermone puerorū detecta fraude à furente increpitus Antonio est, inter alia magnitudinē pretij conquerente (nam ducentis mercatus erat sextertijs) respondit versutus ingenij mango, ob id ipsum se tāti vēdidisse quoniam nō esset mira similitudo in vllis eodem vtero editis, diuersarum quidē gentiū natales tā concordi figura reperiri, super omnem esse taxationē. Porrò similitudo hęc duplex existit, vna indiuidui vnius speciei ad alterū eiusdē speciei indiuiduum, eo cum ferrū ferro, rhabarbarū rhabarbaro simile dicimus, & vni homi-

Obiectio diluitur.

Similitudo quid.

Lib. 7. Naturalis historiæ c. 12.

Similitudo duplex.

nem alij homini. De qua similitudine loquitur Gal.in fine operis de placitis Hippocratis & Platonis;& lib.1.de antidotis c.11.cũ ait, gemellos atq; cõsimiles inter se fratres nulla diuersitate præditos videri ijs quibus sunt insueti;à familiaribus verò & contubernalibus vel admodũ facile internosci. Altera similitudo est, quæ inter species diuersas reperitur, qualis est quę inter magnetem & ferrum, & scamoniũ & bilẽ consideratur;de qua loquitur Gal.in præfato proposito, nam de magnete loquẽs inquit cũ ferro magnopere specie persimilẽ esse;qua dictione clare innuit ꝗ similitudine quę est inter species diuersas se verba facere, siquidẽ altera quæ inter eiusdẽ speciei indiuidua habetur tractionis causa nõ est, sed ea tantũ quæ in specie diuersis inuenitur:& hæc similitudo (quemadmodũ dictũ iã est)non cõsistit in colore, nec in sapore,nec in substãtię modo, aut in vllis apparẽtibus qualitatibus, nã recens caseus mollis,albus,viscidus,lẽtus, glutinosus instar pituitæ est,multãque cum eo humore in hisce qualitatibus obtinet similitudinem; at caseum pituitam trahere dicet nemo:sed neque maceratum, infusum ve liquore aliquo rhabarbarum, propterea bili simile esse dicendum est, quoniam

Gal. de qua similitudine sit intelligendus.

fluidum & liquidum, vt illa existit, nam (vt omittam quod solidum aut in catapotia redactum bilem detrahit) formam eam ab arte, non à natura est adeptum, sitque accidentaria & artificialis forma illi superindita, non autem à natura tributa, accidétariæ autem & artificio inditæ formæ (vel Arist. testimonio) cuius sunt essentiam nõ præbent nec illis actio vlla quæ secundum naturam sit adscribi merito potest. Igitur non ita rhabarbarum bilem expurgat, sed sympathia quadam, & tacito naturarum consensu, qui ex modo mistionis emanat, ob quem itidem consensum & naturarũ sympathiam, magnes ferrũ attrahit, & cũcta purgantia medicamenta humores sibi peculiares. Quia igitur consensio ista nullis sensibus peruia est, idcirco cæca proprietas fuit nuncupata, hoc discrimine euarians, quod intrahente est veluti agens, in tracto verò veluti patiens, quapropter ferrum magnetem non trahit etiam si illum quantitate multũ excedat, eo quod huius munus est trahere, ferri verò pathos trahi ac duci. Verumtamen aduersus hæc est altera obiectio meo iudicio non exigua. Si attractio fit ob similitudinẽ in modo mistionis, & scamonium simile est rhabarbaro, vnum trahet alterum, videlicet quod validus

Lib. 2. physicorum cap. 1.

Cur ferrum magnetẽ non trahit.

Obiectio alia, non exigua.

validius est reliquum. Esse autẽ hæc duo medicamenta inuicem similia ex eo liquet quia similia sunt in modo mistionis vni tertio, nempe bili, erunt ergo similia inter se. Huic argumento respondent nõnulli inconueniens non esse concedere rhabarbari infusionem aut quouis modo eius substantiam liquatam in vasis contentam scamonium in ventriculo de potentia in actum reductum non minus quam bilem attrahere ob similitudinem in modo mistionis, quam habet cum ipso; quod si extra corpus illud non trahit, ob id esse dicũt quia in potentia & non in actu obtinet facultatem illam trahendi, nam nec bilem exterius positam trahet; est enim huiusmodi tractrix facultas in rebus quibusdã energia, vt in magnete, & charabe: in alijs potestate continetur, vt in purgantibus medicamentis, quibus proprietas peculiares humores expurgandi non energia & re ipsa, sed potestate dumtaxat inest. Etenim si scamonio quantumcumque in attrahẽdo potentissimo medicamento, sinceræ bilis portio propius assistat, non hanc, quemadmodum magnes ferrum, alliciet, sed dumtaxat cum à nostro calore excitatum prorumpit in actum, & ad agendum impellitur. Dum enim (vt Fernelius ait) ventricu

Quomodo nonnulli dictæ obiectioni, respõdet.

Tractrix facultas quædã actu, quçdam potestate.

Li.3. methodi medendi cap.6.

li calore medicamentum teritur, calfit omnique ratione exagitatur tacita eius facultas quasi solutis vinculis exurgens se promit, profertque vires nouas. Ceterũ licet hæc recte dicta sint, censerem ego scamonium quantumcunque in actum redactũ rhabarbari infusionem nunquam trahere; nam licet in illo sit tractrix facultas, eaque valida, in rhabarbaro tamẽ non est dispositio patiens vt trahatur, eo quod trahere nõ trahi sit aptũ; Nullã enim causam sine corporis aptitudine quidquam efficere posse pri. de different. febri. cap. 6. enunciatum à Galeno est, quod multo ante docuit Aristot. lib. 3. de anima capi. 2. dum ait, Actus agentium in eo quod patitur atque disponitur existere. Vnde Auicenna p. 4. trac. 4. cap. 1. inquit, Agens solum cum peruenit & in patiente non est præparatio, non accidunt actio & passio. Itaq; parũ refert scamoniũ potentissimũ haben ad attrahẽdũ, si in eo quod trahere debet nõ est dispositio aliqua, vt cedat actioni. In huiusmodi enim tractionibus quæ à proprietate fiunt in trahentibus cunctam causam esse agentem; in attractis verò, seu in eis quæ trahuntur cunctam esse patientem, ex eo constat quod si prope ferri libram, magnetis granum apponatur, illud non trahet, nulla

Quomodo dictæ obiectioni sit respondendum.

Vel secundũ alios codices lib. 2. tex. 29.

In attractionibus quæ à proprietate eueniunt in trahentibus causa omnis est agens, in attractis cuncta est patiẽs.

certe

certe alia de causa, nisi quia omni trahēdi facultate destituitur, cum trahi, non trahere aptitudinem habeat. Ex quibus liquet propositum argumentum inefficax esse; licet enim duo sint vni tertio similia necesse non est vt inuicem similia habeantur, ea videlicet similitudine, quæ ad attractionē exigitur; exigitur namque ad attractionē vt vnum sit veluti agens & mouens, aliud veluti patiens & motum ac trahenti cedēs quale certe rhabarbarum non est, vt potē totum agendi virtute (quamquā non adeo valida ac scamonium) præditum; atque id circo perpetuo trahere, nunquā trahi est aptum. Calumniabitur me forte aliquis quod tractionem quæ fit ferri à magnete, & humorum à purgantibus medicamētis, actionem vocauerim; dicēs actionem omnem, docente Aristo. à contrario in contrarium effici, cum tamen hæc inter similia eueniat, quæ enim similia vndequaq; corpora sunt à se se mutuo nullam accipere mutationem, arbitratur Galenus libro secundo, de simpli. med. facult. capite. 24. Verum qui hæc obijcit animaduertat velim, duplex esse actionum genus, quoddam perfectiuarum, vt vocant, qualis dicta actio existit. aliud corruptiuarum, quæ inter contraria aguntur. Quemadmodum

In postprædicamentis cap. de actione & passione; & 1. de ortu ac interitu cap. 7.

dum quæ perfectius vocatur inter ea quæ similia habentur, consistunt. Sed ad propositum regredientes, dicemus, quæcunque vni tertio similia sunt tantum abesse vt necesse semper sit illa inter se esse similia, quod alia ratione sæpe contingat sibi inuicem esse contraria, vt ellebori natura & hominis corpus coturnicibus ambo similia sunt, si quidem coturnices elleboro aluntur, & nos coturnicibus, veruntamen elleborus nobis inimicatur, venenumque existit. Rursus humanum stercus gallinis alimento est & gallinæ nobis, sed tamẽ expultrix facultas stercus secreuit & tanquã à natura nostra alienum excreuit; sic medicamenta purgantia humores trahunt & hos nostri corporis partes ad sui nutritionem alliciunt; non tamen purgantia medicamenta partes trahunt sed illa potius abominantur, ac respuunt. Obijciet hic iterũ aliquis, prædictam proprietatem similitudinem, aut vt dixit Auerroes proportionẽ esse non posse, quia similitudo seu proportio relatio quædam est; at proprietas hæc relatio esse non potest, igitur nec similitudo. Proprietatem autem hanc relationem non esse, ex eo probari nõ obscure potest quod relatio teste Aristo. non est de numero eorũ, quæ aliquid agunt; at proprietas

Obiectio.

Lib 5. collectaneorum, cap. 21.

Lib. 5. metha. cap. 15.

tas agit, nam trahere agere est; igitur fateri oportet proprietatem non esse relationem aut relationẽ quidpiam agere. Huic obiectioni dicendum, in omni attractione quę fit à facultate attractice multa considerari, nempe formam substantialem trahentis, & huius formæ facultatem & instrumentum, quo facultas ad propriam obeundam operationem vtitur, & causa sine qua non & finis seu causa finalis; quemadmodum in planta forma substantialis est anima vegetatiua, facultas est vis attractiua familiaris sibi nutrimenti; & non hæc solum verũ etiam retentrix, alteratrix, expultrix & ad hæc generatrix, auctrix, & nutrix, instrumẽtum quo istæ vtuntur facultates ad sua obeunda munia est proprium plantæ temperamentum, causa sine qua non alimenti attractio fit, est similitudo quam planta ipsa cum isto obtinet alimento, & non cum illo; causa finalis est sui conseruatio. Itaq; attractionis alimenti quod à planta allicitur anima vegetatiua præcipua causa est; post eam verò tractrix facultas; Verum hęc non vt præcipua, sed tanquam huius animæ virtus. Temperamentum est instrumentum quo ista facultas vtitur ad functionem suam moliendam. Similitudo, est causa sine qua non fit attractio, & mediante

Obiectionis solutio.

diante qua attrahitur hoc, & non illud alimentum. Finis est nutritio & sui custodia sic quod rhabarbarum bilem attrahat à forma specifica & virtute sua habet, est enim specifica forma substantia; virtus, seu facultas, qualitas, de secunda qualitatis specie naturalis nimirum potentia : quòd autem attrahat bilem & non alium humorem, habet à similitudine, qua bili assimilatur, & non alteri humori, temperamentum, formæ & facultatis instrumentum existit. Est etiam finalis causa, id nempe gratia cuius attractiones inter similia tota substantia efficiuntur, nempe conseruatio sui; appetit enim vnum quodque se ipsum cõseruare & tueri, quod recte fit simili attracto quia similia similibus conseruantur, à contrarijs verò demoliuntur, ac destruuntur. Sic in expulsione dissimilitudo est causa sine qua non expulsio fit. Causa enim excernēs post substantialem formam virtus expultrix est, quæ temperamento tanquam instrumento ad excernendum id quod infestat vtitur, excernit etenim hoc & non illud, quia hoc ei aduersum & dissimile est, & non illud. Ad eundem modum contrarium venenum antipathia & insita cõtrarietate (quæ relatio quædam est) agit tanquam causa sine qua non. Finis verò est

contra

contrarij assimilatio, aut à se saltim fuga, sui verò conseruatio & in specie sua permansio.

Confutatur opinio dicentium purgātia medicamenta non attrahere putrentes humores: ostenditurque causa cur ipsa non semper vnum sed quādoq; plures succos alliciant: ac insuper de hypercatharsi, hoc est à medicamento purgante afferri euacratione.

(?)

CAP. XII.

CONTENDVNT nonnulli, similitudinem (cuius occasione dixit Galenus fieri humorum attractionem) non sufficere ad purgationem: nam esto, quod inter rhabarbarum & bilem naturalem similitudo insit, non videtur eadem intercedere inter illud & bilem putrefactam, eo quod quæ talis est putredinis occasione speciē suā mutauit. Torsit sane multos hoc argumentū cuius ratione

Obiectio.

ratione dixerunt quidam ex eis qui simili-tudinem tuentur, medicamenta quæ attrahunt humores naturales & integros, non habere vim attrahendi humores putrefactos. Quod si interim illis obijciatur: dato medicamento cholagogo sæpe biliosam febrem cessare quæ haud quaquam cessasset si non educeretur bilis putrefacta actu febrem committens. Respondent, tali medicamento euacuari bilem, quę licet putrida non sit, in promptu tamen est vt putrefiat & febrem foueat atque conseruet, qua euacuata naturam, aliam putredine iam cōtaminatam & reuera febrem efficientem excernere ac extirpare. Veruntamen isti in primis saltem Mesuæ aduersantur, qui de ijs loquens, non semel tantum sed bis atque sæpe purgantia medicamenta putridos & præter naturam se habentes humores trahere, eosdemque educere, scriptum reliquit: siquidem agaricum (ait) pituitam crassam, lentam, putrem purgare, integrę & eius quæ secundū naturam se habet nulla prorsus facta mentione: ac bryoniæ succum à pituita etiam putri cerebrum, neruos, partesque respiratorias purgare dixit. Senna itidem eiusdem testimonio bilem vstam à cerebro, sensoriis, pulmone, corde hepate, liene expurgat: & vt ad composita

per-

Quid obiectioni nonulli respondeant.

Prædictæ opinionis confutatio.

Recensentur medicamenta aliqua putridos humores educentia.

perueniamus, electarium hamec vocatum pituitam salsam purgare inquit. Rursus catapotia stomachica alia, corruptos humores à cerebro & ventriculo purgare docuit manifestè, & ex rhabarbaro nuncupata humores crassos, lentos, multum putres vacuare asseruit. Itidem ex agarico thoracem à pituita crassa & putri; ac ex lapide armeno bilem vstam purgare, dictum ab eo nó obscure est. Actuarius similiter siliquæ Ægyptiæ concretum liquorem, torridam bilem citra molestiam expurgare, centauriumque minus, pariter & colocynthim mucosum humorem deijcere literis mandauit. An nonne isti, salsa nimirum pituita, putris, mucilaginosa, humores corrupti, & ad hæc bilis torrida, vsta, præter naturam sunt humores? sunt sane, id enim non arbitror negabunt: eos tamen purgantia medicamenta elicere ac prolectare Mesues & Actuarius (vt alios omittam) scriptis suis prodidere. In eo vero quod dicunt putridum humorem non retinere formam suá apertè decipiuntur: animaduertere enim debuissent, bilem putrefactam (vt idem de cæteris humoribus intelligamus) quo tempore in alium humorem non migrat, formam bilis referuare: quoniam aqua cum putrefactione formam aquæ seruat: & vi-

Lib. de med. comp. titulo de potionibus medicamentarijs ad uersus affect. qui febres comitantur.

num acidum quod in acetum nondum conuersum est, vinum esse censuit Galenus comen. 17. sect. 2. aphor. si quidem quod tale est, in pristinum naturæ statum restitui non multo negotio potest. Quando verò humor per putrefactionem eò corruptionis deuenit vt in aliam humoris naturam iam degenerauerit, fatemur quidem tunc à medicamento naturalem humorem euacuante trahi non posse, trahetur tamen ab alio quod humori illi familiare existit, cuius est speciem sortitus. Exempli gratia, bilis flaua cum ob putredinem aut vstionem vehementem in melancholiam est transmutata, non trahetur à rhabarbaro nec ab scamonio quidem, sed à lapide cianeo aut à senna vel ab ephythimo. Nec tamen cum in humore incipit putrefactio, protinus humoris forma corrumpitur, sed cùm humor ipse plurimum à putredine occupatus est. Quod Galenus libro secundo de different. febrium capite. 12. his significare verbis voluit. Sanguis cum supra modum assatur, mutatur penitus; pars enim tenuissima simul ac pinguis in bilem, crassior autem in atram vertitur bilem: innuens clarissimè quod cum non supra modum assatur nec putrescit,

Quæstio explicatur & argumentis respondetur.

cit, propriam formam reseruat ac sustinet, qua seruata, similitudinem, cuius ratione attractio fit, vnà etiam seruari ac sustineri, rationi consonum est: quæ inquam, similitudo & si maior sit inter bilem integram, & rhabarbarũ quàm inter hoc & bilẽ putrefactã, potius tamẽ hæc quam illa euacuatur: quia putrefacta etsi minus à medicamẽto attrahatur, magis tamen à natura expellitur & deturbatur, integra & naturalis plus ab ea retinetur atq; seruatur. Nec tamẽ absurdũ quidpiam admitti putẽ si cõcedatur, quandoq; medicamẽtum cũ humore putrefacto familiaritatem obtinere, si quidem videmus aliqua fœtentia alimenta animalibus quibusdam esse familiaria, vt stercus humanum canibus, & putrescentes carnes gallinis, alia que huiusmodi alijs: cum tamen alimenta, docente Galeno libro. 8. de comp. medic. secundum locos capite septimo, secundum totam suam substantiam proprietatem ac familiaritatem habeant ad ea quæ aluntur: quo minus mirandum est agaricum, putrem pituitam extrahere; & stomachica catapotia corruptos humores educere atque purgare.

Medicamentum quandoque cum humore putrido similitudinem obtinere, præter rationem non est.

Dubitabit hîc merito aliquis nũ medicamẽta soluẽtia proprietatẽ habeãt plures hu

mores educendi: nam si dicta proprietas, analogia est vnius ad alterum, non videtur plus quam humorem vnum allicere ipsa valere. Verumtamen si consideremus similitudinem tractionis esse causam, nihil inconuenire inueniemus quodpiam medicamentum cum humoribus multis similitudinem posse obtinere. Et vt à vecum exemplo non recedamus, quemadmodú vox vna cum alijs multis vocibus consonantiam habet, vt cœlum simili modo sonat ac telum, bellum, duellum, sacellum: ad eundem sanè modum nihil inconuenit vnum mistum cum plerisque alijs in modo mistionis habere similitudinem, & vnum medicamentum cum pluribus humoribus: quod alienum non est à Galeni mente lib. 3. de simp. med. facult. cap. 24. dicentis, prorsus medicamentum purgans cú vno saltem humorum qui in corpore sunt nostro similitudinem quandam obtinere: quod idem est ac si dixisset, ad minus purgans medicamentum cum vno humore eorum qui in corpore sunt habere familiaritatem; innuens clarissime cum pluribus alijs eandem sortiri similitudinem posse. Apertius hoc significauit lib. 5. eiusdé tractationis cap. 20. scribens in hunc modú: Quæcunque siquidé purgare animaduertimus,

Nihil inconuenit medicamentú quodpiam cú humoribus multis similitudinem habere.

timus, ea trahendi vim possident, alia vnũ quempiam succum, alia duos aut etiam plures: & id illis inter se commune est. Sic namque rhabarbarum (si Mesuæ creditur) bilem & pituitam vacuat: & agaricum pituitam crassam, lentam, putrem, & bilem flauam & atram purgat: & centaurium ac præsertim minus pituitam crudam & bilẽ flauam & materias alias extrahit. Peplium, Actuarij testimonio post bilem flauam, atram quoque ac pituitam detrahit: & veratrum nigrum atram bilem, flauamque à toto trahit corpore: polypodium bilem & præsertim atram & pituitam educit: tithymalus pituitam & bilem allicit. Si namque similitudo proportio quædam est atque relatio, possibile esse censet Auerroes in re vna plures reperiri proprietates, & hoc rebus pluribus comparando. Quod itidem purgantium pharmacorum permistio planè demonstrat, siquidem quando in purgationibus medicamenta diuersos humores extrahentia permiscemus, non illis dosibus exhibemus, in quibus si sola darentur, exhiberi deberent, sed tantum de vno quoque detrahimus quantum ex alijs est additum: quod sanè ostendit, vnũquodque talium non vnum solum humorem, sed duos etiam & quandoque tres purgan

Lib. de com. medicamento de simplicibus medicamentis purgantibus.

Libro. 5. coll. lect. cap. 21.

di facultatem obtinere: quod vnico exem plo à Fernelio allato constare non obscure poterit. Compertum sit in Dione purgandæ flauæ bili iustam congruentemq; quátitatem esse rhabarbari drachmas tres: atræ bili, fennę drachmas sex: pituitę, agarici drachmas tres; consiliumque sit, triplex humorum genus expurgare, in idque medicamentum componere & accommodare; aptum id efficaxque comparabitur, si cuiusq; triens conferatur, sic vt rhabarbari drachma vna, agarici altera, sēnæ drachmæ duæ permisceantur confundáturq; : quod hac ratione compositum foret, nullā purgandi vim obtineret, nisi quadam purgādi facultate simplicia illa se mutuo fouerent: nec enim drachma vna rhabarbari per se quidquābilis purgare potis esset, nec drachma vna agarici quidquam pituitæ; nec sennæ drachmę duæ, melancholię quidpiam; sed nec permista illa quidem nisi mutuas operas conferrent: simile hîc accidens atq; cum multi nixu communi graue quoddā onus attollunt, quorum singuli per se illud attollere nequeunt, omnes simul queunt. Sed de his satis. Quare superst vt de hypercatharsi, ideST super purgatione verba faciamus, in qua non solum familiares, verū qui alieni omnino sunt, à purgante medi

Li.3.metho. medendi, c.5.

medicamento succi euacuātur, vt sit nimirum superpurgatio (quemadmodum ipsa indicat vox) euacuatio ea quæ purgationi succedit: purgatio verò, proprij humoris quātitate debita est euacuatio. Itaq; vacuatio quæ à purgante medicamento fit (authore Mesue) plus quā oportet superfluit aut ratione eius qui medicamentū ebibit, aut ipsius medicamenti ratione, aut rerum vtrique superuenientium: ratione pharmacum sumentis, quod is vel excrementis ad fluendū paratissimis redundet, vel venarum facultate retentrice sit imbecilla, vel orificijs earum amplioribus, vel ex ijs est quibus purgatio est interdicta. Quando enim excrementa ad fluendum parata superfluunt, immodica fit purgatio, quod in tali materia exigua à medicamento purgāte cōmotione facta, tota deinceps humorum deturbatur moles: quemadmodum domo ruiná minante euenit, à qua si vnus extrahatur lapis, reliqui postea corruunt. Idem etiam in restagnāte aqua videre est, à cuius pariete eam detinente si quispiam cespes eximatur, vniuersa illico per scissuram affatim confluit. A pharmacia arcendi sunt trauli, & ad diarrhœam aut dysenteriam, vel intestinorum læuitatem procliues; & hi sunt quibus purgatio

Superpurgatio, quid.

Libr. 1. de re medica theoremate. 3. titulo. 3.

Superpurgationis causæ quæ se tenēt ex parte eius qui medicamentum sumit.

Similitudo.

Similitudo alia.

interdicitur, quoniam leui occasione in immodicum, & quod coerceri nequit, alui profluuium deueniunt. Ad eundem fane modum, si imminenti per alui deiectionem crisi, rudis quispiā medicus det pharmacum, procul dubio pro purgatione superpurgationem molietur, & ægrum in maximum vitæ adducet discrimē. Atq; hę sunt hypercatharseos causæ quæ se tenēt ex parte medicamentum sumentis. Sunt verò & aliæ ratione medicamenti, nimirū quoniam id aut qualitatem habet alienam & deleteriam venenosamque, aut largius sumptum est, aut portione sui, ventriculi & intestinorum villis adhæret, aut venarum ora mordet, pungit, aperit, aut cor intemperantius efficit. Ratione denique illorum quæ vtrique superueniunt, australis est constitutio, quæ, docente Galeno lib. 3. aphor. com. 5. si vincat, aperit, rarefacit, humoresque ad fluēdum idoneos reddit: aquilonia itidem si præpolleat, succos comprimendo & exprimendo, fluxiones etiam excitat. Quapropter per hos flatus qui prompte fluxionibus tentantur, purgādi non veniunt. Potus quoq; largior aquę frigidæ, ac errores alij quidem in sumendis, admouēdis, educēdis, faciēdis, hypercatharsim ꝓmouent. Pari modo medicamētū ex diuer

Hypercatharseos causæ à natura medicamēti & ab alijs rebus desumptæ.

ex diuersis simplicibus, & quorũ actiones in diuersa incidunt tempora, concinnatũ, super purgationem efficere solet, eo quod vno actionem suam peracto, aliud denuo euacuationem incipit, quam natura sustinere nequit. Hypercatharseos causis cognitis, difficile nõ erit cur ab exhibito pharmaco nulla aut exigua admodũ sequatur purgatio, occasiones reddere. Sanè id euenit aut quia non alteratur medicamentum nec in actum à natura deducitur, aut quoniam plurimum alteratur atque à calore nostro deuincitur: vel quod distribuitur deduciturque in corpus. Nõ alteratur quidem ex eo quod ventriculus sit imbecillius aut nimis frigidus, idque absolutè, aut assumpti pharmaci respectu: quo fit vt nonnulli minori aut debiliori assumpto medicamento purgentur copiosius, maiori autem aut fortiori purgari nequeant: cuius rei indicium est quod multi ebibito pharmaco non purgentur donec aliqualis eius portio vomitu reijciatur, aut mica panis infusa in vino generoso ingesta ventriculus concalescat, aut multo transacto tempore, medicamentum ipsum tandem à calore nostro actuetur: quæ causa est cur aliqui non nisi ad vesperam purgẽtur, alij sequente nocte, aut postridie pur-

Cur ab exhibito medicamẽto nulla omnino aut exigua sequatur purgatio.

 gari

gari incipiant. Alterari plurimum euenit ob ventriculi robur aut pharmaci exiguitatem ac tenuitatem, aut ob eiusdem clementiam, præsertim si ipso tali existente, prandium diutius quam deceat prorogetur. Distrahi in corpus contingit propter immodicum febris calorem, & venarum reliquorumque meatuum tum occultorum, tum sensui manifestorum amplitudinem. Fit etiam vt retardetur purgatio vel pigrè & lentè peragatur, quoniam virtus alienorum propulsoria, imbecilla est, aut attractis in ventrem excrementis non irritatur, eo quod pituitosa sunt aut mordacitatis expertia: quo fit vt iniecto clysteri, aut glande immissa, excitata facultas euacuationem inchoet: atque ob hæc quidem euenit vt successu interdum careat purgatio, aut tardè & ægrè promoueatur. Cur verò assumpto medicamento purgante, effrenis superueniat euacuatio, exactissime docuit Galenus libro tertio, de simpli. medi. facult. capite.28. scribens in hunc modum. Cæterum causæ quam ob rem omnino & qui alieni sunt à purgante medicamento succi vnà excernantur, in hisce tribus consistunt, vasculorum scilicet imbecillitate, osculorum laxitate, & purgantis mordi-

Hypercatharseos causæ ex Galeno.

mordicatione: cum enim vascula non amplius in se se continere succos possunt, & oscula eorum reclusa fuerint, nec irritare medicamentum desinat, posfitque non amplius familiarem trahere succum, necesse omnino est, reliquos quoque quo diximus ordine excerni: satis enim erat vnica mordicatio, quæ organa ad excretionem excitare posset, quanto ergo magis id fiet vbi & apertio & imbecillitas vasorũ coierit? fit autem, vt supra diximus, apertio ob medicamenti potentiam, ob quam videlicet mordicatio item prouenit: vasorum autem imbecillitas tum ob ingentem defatigationem, (quam scilicet dum à purgante medicamento mordicarentur ac veluti emulgerentur, fieri contingit) tum ob intemperantiam quæ in super purgationibus occupat: quemcunque enim humorem penitus euacuaueris, intemperantia consequatur necesse est: itaque quòd à purgante & alieni quoque vacuentur succi, eas habeto causas: quòd verò ordine quodam vacuentur, educendorum humorum tum tenuitas, tum crassitudo in causa est: & ad hæc pro vt magis & minus animantium constitutioni succus quilibet familiaris est. Igitur vacuationis humorũ qui in superpurgationibus

euacua

euacuantur reddita causa est: cur verò quidam prius, alij posterius educantur, in crassitudinem & tenuitatem Galenus reijcit: nam qui tenuissimi sunt, prius: qui verò sunt crassissimi, postremo loco: medij, tépore medio euacuantur. Pari modo succus naturæ familiarissimus, ab ipsa fortiter retinetur, nec vsque ad vltimum eum euacuari sinit. Ex quibus clarè intelligitur, bilem in superpurgationibus primam subsequi, quia omnium humorum tenuissimus existit. Hinc est quod dicat Auerroes libr. 7. collect. capi. 9. nunquam dari medicinam laxatiuam ad euacuandum humoré, quin cholera prius purgetur propter sui leuitatem & tenuitatem; quod in superpurgationibus intelligi debet, & non alio modo nam in legitimis purgationibus, primus euacuatur humor qui medicamento familiaris est, quisquis fuerit, etiã si sit crassissimus & maximè terreus, mox bilis sequitur, deinde humor qui bile crassior est; post crassissimus: postremo sanguis, qui & si quoad substantię modum pituita & atra bile prius euacuari deberet, eo quòd illis tenuior habetur, quia tamen tãquam filius dilectus à natura fortiter retinetur, ideo vltimo loco euacuatur. Medicamentum igitur omne (inquit Mesues) humorem sibi

Galeni series explicatur.

Libr. 1. de re medica Theor. 1. can. 2.

sibi familiarem primum educit, deinde illum qui ad sequendum magis est habilis, postea alium sequi paratiorem; postremo sanguinem, quem ceu thesaurum quendã natura quandiu potest, retinet, trahique prohibet: tandem verò victa, trahentibus permittit expellendum. Atque hæc manifeste nos docet Galenus libro. 3. de simpl. med. facult. cap. 27. scribens in hunc modum: Etenim si quod pituitam ducat medicamẽtum exhibeas, prima quidem in superpurgationibus flaua, mox atra, tertio loco sanguis eijcitur: at si quod flauam bilem detrahat, pituita consequetur, tertia atra, quartus demum reddetur sanguis. Quin & si atram bilem purgare sit natum eam quidem primam euacuabit, post quã flauam, deinde pituitam, omniumque postremus sequetur sanguis tanquam ex inanimis iam vasculis effluens, vt quæ summa iam debilitas occupet, quæque ad extremam osculorum apertionem peruenerint. Ex quibus manifestum est, postremũ in superpurgationibus vacuari humorem qui idem & familiarissimus & mitissimus est; aliorum autem vnumquenque prout aut crassus est aut tenuis. Hæc Galenus. Est enim sanguis omnium humorum mitissimus simul ac familiarissimus, & ad na

turæ

turæ opera accommodus valdè, vt qui caloris nostri fomes sit, & alimoniæ nostræ aptissima conueniensque materia existat, mitissimasque habeat qualitates quibus naturæ maximè sit gratus, calorem nempe temperatum ac humiditatem parem, dulcedinemque insignem & permeabilem in omnes vias & ductus etiam angustissimos, substantiamque facile naturæ obsequentem obtinens. Vnde merito ab Isaac medico Israelita, naturæ amicus, ac suæ actioni obediens, eiusdemque dilectus filius est appellatus: quare nihil mirum si ad extremum vsque vitæ limitem ab ipsa vehementer contineatur.

Lib. feb. par. 4. c. 8. & lib. 1. elemét. post medium.

Sed ad institutum reuersi, dicimus, vnúquodque medicamentum vim habere proprium humorem attrahendi, nec ab eo prius tenuia, deinde crassiora trahi quàm familiarem sibi humorem trahat: nā medicamentum melanagogum, prius atram bilem humorem, nempe crassum & terreum educit, quàm bilem flauam ac pituitam: & phlegmagogum in primis pituitam lentam ac viscidam extrahit, mox bilem flauam & atram euacuat: qui enim humores omnes (inquit Galenus) ex æquo trahi, & primo liquidiora, tum alia excerni asseuerant, propriam causam

Lib. de purg. med. facul. c. 4.

causam produnt si attrahétem facultatem rebus inesse fatentur, quamquam hanc nonnulli impudenter negare non vereantur, qui si quando dicere cogantur quo pacto bilis & vrina in sua receptacula veniant, aut quo modo concoctum alimentum corpus subeat, vel ferrum ad magnetem accedat, vel alia huiusmodi, nihil habent quod respondeant, aut monstra loquuntur, & hisce quæ sensus dictant contraria statuũt. Est igitur facultas aliqua eorũ quę sibi sunt familiaria tractrix, qua magnes ad se ferrũ attrahit, & succinũ paleas & fellis folliculum bilem, & renes serosos humores; & nostri corporis partes conueniẽs sibi alimentũ, & expurgãtia medicamẽta humores proprios, licet ex his primò liquidiores, mox crassiores trahant, quemadmodũ Galenus docet lib. de purg. med. facul. cap. 3. dum ait. Trahunt namque medicamenta omnia in primis quidem sibi obnoxia liquidiora, deinde crassiora etiã, sic magnes facilius paruas acus trahit quã clauos aut crassa ferri fragmenta. Verum si humorum tenuitas in causa est vt ipsi in superpurgationibus præeant, sequitur manifeste, serosum humorem bile prius euacuari debere, quanto serum bile ipsa tenuius est; quapropter illud minus à

Medicamenta trahunt primò familiaria liquidiora, mox crassiora.

natura

natura retinebitur & per angustos meatus facilius permeabit. Hoc apertis verbis voluit Galenus lib. de purg. med. facult. cap. 3. sic scribens: Patet, medicamentum ante omnia suum quodque humorem elicere quem comitantur aquosa excrementa in matelis supernatantia. Quod si idem, 3. de simp. med. facult. cap. 27. bilem in superpurgationibus primam sequi asseruit, intelligi debet collatione habita non ad humorem serosum, sed ad reliquos humores tres pituitam nempe, atram bilem, & sanguinē: ex quib' hi duo, quia crassiores, sanguis verò quia naturæ magis familiaris, posterius euacuantur. Verum quod dicimus humorem tenuiorem crasso facilius euacuari, veritatem obtinere est arbitrandum in loci distantia paritate seruata, aliter auté nequaquam: nam si pituita aut atrabilis in primis venis aut in prima corporis regione contineantur, bilis autem vel serum in vltimis venis aut in corporis habitu cōsistāt, nulli dubium est hęc melancholia & pituita, posterius à medicamento educi, quia omne agens naturale posterius in longinquum quam in vicinum agit, & prius in propinquum quam in distans, vt omnium philosophorum vnanimis ac concors sententia habetur.

Præfata sententia interpretatur.

Dispu

Disputant nostri temporis medici extet ne medicamentum quod sanguinem è venis primo trahat: nam Mesues nullum tale dari posse scribit, quod, inquam, facultatem habeat primam & per se hæmagogã id est quæ sanguinẽ abigat & vacuet, quia natura illum vsque ad postremum retinet nec trahi permittit nisi coacta vi medicamẽti immoderatiore, omnia nãque quæ summè & effreni virtute purgant medicamenta, sanguinem tandem educere censet, verum non vi propria, sed vel excoriatis venis, vel orificijs earum tam latè apertis vt sanguis effluat, vel sua vi immoderatiore extremam vacuationem moliente, qualia esse ait aloẽ malã, cucumerẽ agrestẽ, centaurium, colocynthim vnicã in planta vna, scamonium è regione Scenitarum, euphorbium, thimeleã seu granum gnidium præsertim paruum; hæc enim etsi sanguinem ducant, hæmagoga tamen non sunt, quod primo loco eum non extrahant, sicut cholagoga bilem, phlegmagoga pituitã, melanagoga atrum humorem præ omnibus eliciunt. Si tamen obijciatur, in sanguine putrido dari medicamenta purgantia vt illum euacuent: respõdet talem iam corruptum existere & sanguinem esse desinere tenui portione in bilem flauam abeũ

Detur ne medicamentum quod primò sanguinem alliciat.

Mesu. lib. 1. de re medica Theor. 1. cap. 2.

L.1.2 de dif.febr.cap.11.

te, crassa in atram, vt Galenus inquit, quã vtranque medicamento purgante vacuari non ambigit. At contra Gale. lib. de purg. med. facult. cap. 4. deprehensum sua tempestate hæmagogum medicamentum, taleque sanè inueniri posse, ingenue testatur, nec inuento quemquam eo vti debere scribit, quia id iugulare nõ purgare homines foret: nã quæ purgant, purgãtia passim idcirco nuncupantur quod sanguinẽ ab ante dictis humoribus purum constituant, atqui neminẽ adeo imprudentẽ medicũ esse arbitratur vt vniuersum sanguinẽ euacuare, reliquos autẽ humores intus omittere velit: quare medicamenta omnia quæ per venas intestinorum & ventris, sanguinem deijciunt (eius sententia) venenis annumerantur. Quibus autem nominibus huiusmodi medicamenta nuncupentur, ait quòd etiam si constanter sciret ipse, literis mandare nollet: illud tamẽ quod in Thracibus Bithiniam incolentibus, ipso adhuc puero contigit sine periculo cuiusdam narrari posse asseuerat, quę hæc sunt quæ sequuntur. Inuenit homo quidam herbam quam si quis assumpsisset, sanguinem primò tum vitam emittebat: multis itaque hoc pacto morientibus, cum facinus hoc diligenti inquisi-

Historia.

tione

tione dignũ arbitrarentur, herbariũ cõprehẽdunt, & ad gẽtis magistratum ducunt. Is cùm non solum hominem necare studeret, sed si quis alius herbam aut didicisset aut docuisset, à nullo se quidem illã didicisse veneficus asseruit, verũ in suburbanũ cũ aliquãdo suillũ iecur deferret, vrgẽte ventre, super herba quadã iecur deposuisse, ꝙ aliquanto post cũ sustulisset, vidisse ex vniuerso iecinore sanguineos riuulos ad herbã confluere; ex hoc coniectura facta corpori sanguinẽ ea detrahi posse, periculo mox in obuio quodã facto, vt verũ cõperit, ꝙ fore sperarat, ad malos vsus deinceps herbã transtulisse: se tñ alicui eã monstrasse negauit. Hęc herbarius ille diu inter quęstiones habitus retulit; populi verò magistratus cum plurimã illis in locis nasci hanc herbã ex rei dictis accepisset, vinctis oculis ad supplicium ipsum duci iussit, ne cui inter eundũ herbam indicaret. Ex his ergo Galenus, multa medicamenta eã vim habentia vt sanguinẽ à principio statim eliciant, inueniri posse asseuerat: nec enim ratio quã Mesues ad id negandũ affert, quidpiã ponderis obtinere videtur; nõ enim ob id quod natura tantam sanguinis curã habeat, sequitur non dari medicamẽtũ sanguinẽ educẽs; equidẽ natura hominis

etiam curam habet ingentem, vt pote cuius gratia cuncta hæc genuit, at ipsa venena plura homini infesta & valde inimica, assidue profert. Rursus, si dantur medicamenta quæ sanguinem per vrinas detrahere valent vt eruum & cantharides: quę eũdem per aluum expurgent, quid non dabuntur? Putat tamen Galenus melius esse ipsa reticere quemadmodum & alia venena tacent quicunque ratione aliqua prædi ti sunt. Cæterum si vera habentur ea quæ Actuarius scriptis mandauit, multa extant medicamenta quæ sanguinem purgant; ex quibus nonnulla venenosam obtinét vim alia tantum à venenis absunt, vt ab alimentorum natura non multo interuallo recedant.

Lib. de medicamentorum compos. titulo de simplicibus medicamentis purgantibus in fine.

Dubitāt aliqui de facultate herbæ illius quæ, referente Galeno sanguinem primo ellicuit: nam cum attractrix facultas in medicamentis non energia sed potestate contineatur, nesciunt quonam pacto sanguinem è su illo iecore attrahere valuerit cum nihil illic esset quod eam in actum redigere potuerit. Verumtamen mihi dicendũ videtur, præfatam facultatem in herba illa aut actu contineri, aut suillum iecur à sue recenter occiso fuisse extractum, atque eo ipso calore, quem ab animali retinue-

nuerat atque seruauerat, in locũ vbi herba erat, à malefico fuisse allatũ, quo calore herbæ facultas in actum deduci & energia fieri non ægre potuit. Verum de his satis: quare ad reliqua transeamus.

Explicatur quidam difficilis Hippocratis locus, non solum ijs, quæ dicta sunt ex Galeno, sed & eidẽ Hippocrati prima facie aduersus.

CAP. XIII.

Hippocrates lib. primo de natura humana tex. 32. sensu tactus probans pituitam natura esse frigidam, in hunc loquitur modum. Indicia sunt hanc esse frigidissimam, si pituitam, bilem & sanguinem voles attingere, pituitam reperies frigidissimam etsi viscosissima sit, & vi potissimũ post atram bilem agatur: quæ autem vi aguntur, calidiora redduntur à vi coacta: quibus verbis clare innuit, pituitam in superpurgationibus post humorem melancholicum in deiectionibus apparere: quod non solum Galeno, sed & Hippocrati ipsi aduersatur, qui in eodem de natura humana volumine tex. 29. scripserat, pituitam in

Pugnantes duo Hippocra. loci.

purgationibus immodicis ante atrā bilē va cuari. Cum medicamentum (ait) aliquis bi lē educens potauerit, primū sane bilē euomet, mox etiā pituitā, deinde pręter bilem, etiā atram bilē cōpulsi euomūt; postremo autem vitā finiētes, purū quoq; sanguinē. Qua serie vult, medicamentū purgans vomitu aut deiectione vbi in ventriculo à naturali calore in actū deductum fuerit, humorē sibi familiarem totius substātię similitudine trahere: quòd si eo prorsus vacuato, vis medicamēti purgatrix nondū tota sit exhausta, trahet deinceps humorē sequi paratiorē: quo itē vacuato, si medicamenti vis illa adhuc aliqua supersit, aliū humorē trahet, ac postremo sanguinē syncerum causis alijs immodicæ purgationis, quę dictæ iá sunt, adiuuantibus, licet enim ipse atra bile & pituita ad sequēdū paratior sit, eo ꝙ humidus & fluxilis magis est, calidusque, & in vasis capacibus continetur, quia tamē hunc sibi familiarē corporis natura quibus potest viribus retinet, tractui medicamēti obsistit, donec ab eo victa trahi sinat: & hac de causa vltimo loco in effrenibus purgationibus euacuatur: ante ipsum verò, primo loco qui medicamēto familiaris est, deinde qui ad sequendum paratior habetur: est enim post humorem serosum

Cur sanguis licet atra bile & pituita ad sequendum paratior sit, in effrenibꝰ purgatioinbus postremo euacuetur.

sum, omniũ paratiſsima flaua bilis ob caliditatẽ, leuitatẽ, tenuitatẽ, raritatẽ, liquiditatẽ, fluxibilitatẽ: & ob id poſt pituitã & bilẽ atrã medicamenti familiaritate vacuatas prima in ſuperpurgationib⁹ ſequitur, dein de pituita, poſt bilis atra. Exiſtit etenim pituita poſt bilẽ flauã ſequi paratior, quia humida & fluida magis quã atra bilis eſt, quę inquã, craſſa ac ſicca habetur: frigiditas verò vtrunque humorem admotum pigrũ reddit: craſsities ac ſiccitas atrę bilis, tarditatẽ auget, dicente Ariſtotele, ſiccum bellè termino proprio terminari, ægrè alieno: & ob id Hipp. textu pręcitato in eius vacuatione, cõpulſi, addidit, inquiens. Deinde præter bilẽ, etiã atram bilẽ compulſi euomunt. Quare mirandũ eſt quomodo paulo inferius contrariũ aſſerat dicens, pituitã vi potiſsimũ poſt atram bilem agi. Nec dici poſſe videtur, Hippocratẽ in pręfata ſententia de pituita non naturali verba facere. nam in illo libro diſſerit de humoribus ex quibus conſtamus: conſtamus enim ex humoribus naturalibus, non autem ex eis qui ſecundum naturam nõ ſunt, vt infra tex. 39. fit manifeſtum, vbi ſic ait. Ita etiã ſi aliquod ex ijs cognatis in homine deficiat, non vtique poterit viuere. Quam ſententiam enarrans Galenus inquit,

Cur pituita poſt bilẽ flauam ſequi paratior ſit.

Lib. 2. de ortu & interitu cap. 2.

Quæ cognata vocet Hippoc.

cognata vocauit sanguinem, pituitam & vtranque bilem, quandoquidem primam conformationem habuit fœtus ex materno sanguine omnium participe: item augmentum alimentumque similiter. Nec rursus dici debet, pituitam sumptis medicamētis melanagogis, post atram bilem euacuari, hocque voluisse Hippocratem: quia in isto casu, melancholiæ euacuationem bilis flauæ euacuatio primo sequitur, hæc enim est quę prima in superpurgationibus apparet, non pituita. Adde, hoc ad Hippocratis mentem enuntiatum non esse, cuius eo loci institutum est demonstrare, pituitam nimis esse frigidam: probatque conspicuè eius frigiditatem hoc argumento. Quæ violenter impelluntur, à violentia coacta calidiora euadunt: pituita tamē vehementissimo motu educta, non calfit, sed frigida ad tactum apparet; ergo ex natura sua omnium quę in corpore continentur, frigidissima est. Minorē sic probat: Atra bilis motu vehementi euacuatur: crassa enim cum sit atque terrea, adeò infarcit membra, quibus condita est, vt difficulter excernatur. Sed pituita motu adhuc vehementiori quam atra bilis educitur, & tamen eo non potuit calida euadere: ergo sua natura frigidissima est. Pituitam

Interpretatio nis cuiusdam confutatio.

Hippocratis argumētum quo probare intendit, pituitam esse frigidissimam.

tam autem vehemētiori motu quam bilē atrá euacuari, sic suadet Hippocrates: Adigitur in purgationibus post atram bilem, ergo vehemētiori, quàm ipsa motu depellitur: vt ex inde constet maximam esse humoris huius frigiditatem, quandoquidem tanta motus vehementia attractus, non potuit calidus effici. Quapropter cū ea quæ nuper dicta est explicatio nec vera sit, nec ad Hippocratis mentem prolata, ideo alia à nobis ex cogitanda est, qua præsens controuersia dirimatur, & Gale. cum Hippocratis, loco cōponatur. Sanè apta excogitabitur si dixerimus, Hippocratem in eo textu. 32. libri de humana natura, de pituita vitrea intellexisse: nam licet verum sit, ipsum in illo opere, de humoribus naturalibus differere, è quibus vnus pituita est; volens tamen huius frigiditatem indicare, eam indicauit pituitæ vitreæ exemplo, quoniā in hac frigiditas cōspicua est, & magis elucet quam in reliquis eius speciebus; vt ex inde intelligatur, naturalis pituita licet nō tanta vt hæc frigiditate polleat, non obscura tamen ipsam pollere, sed tanta, vt frigida à prædominio remaneat: vitrea tamen omnino frigidissima est & crassissima, moraque in nobis lōga crassior & viscidior euadit; quæ ob id Praxagoræ vitrea dicebatur,

Hippocratis contextus 32. libri de humana natura explicatio.

quod vitro fuso colore & consistentia sit similis: nobis autem rectius albuminea vocari potest, quòd oui albumē res sit nobis nota, & eius consistentiam, colorem, facultatem, hæc pituitæ species retineat. Cùm vitrum fusum paucis videre contingat, & mox à frigore coaguletur, & dum fusum est, causticum sit. Hæc igitur pituita (siue vitream, siue albumineam dicere velis) cùm frigidissima & viscidissima sit, ac maxime crassa, tenacissimeque meatibus quibus impacta est, adhæreat, nihil mirum si in superpurgationibus post atram bilem appareat, cum tamen naturalis ac reliquæ omnes pituitæ species semper in extremis purgationibus ante humorem atrabilariū educantur. Sed quòd Hippocr. in præfata sententia non verba faciat de naturali, his argumentis conuinci potest. Primo, quia ait ipsam esse frigidissimam, qua dictione clare ostendit, præter naturam esse nam quæ naturalis est, si Auicennæ creditur, non multa frigiditate est prædita, imo ad corpus relata exiguæ frigiditatis existit, etiam si ad sanguinem & bilem collata frigida quidem sit: si namque frigidissima esset, corpori non esset cognata, quia omne nimium, naturæ inimicum est, Cum verò Hippo. inquit viscidissimá

Quam pituitæ speciē Hippocrates intelligat, cum dixit, vi potissimū post atram bilem vacuari.

1.1. doct. 4. c. 1

haberi,

haberi, vitream plane insinuat, quoniam hæc nota nulli alteri quam vitreæ conuenit, vt ex Galeno liquet lib. 4. de sanit. tuenda capi. 4. vbi de coloribus pituitosos humores indicantibus, albo, plumbeo, liuido, & ex albo & liuido misto sermonem instituens, sic scribit. Ergo huiusmodi colores, crudos dominari succos indicãt: qui cũ de genere sint pituitæ, minus tamẽ humiditatis habẽt quam ea quę publicè vocatur pituita. Plerunque verò huic nec lẽtor inest: nã is si adsit, Praxagoras eiusmodi succum, vitreum appellat, egregie quidem frigidum. Hæc Galenus. Verum quod dicit, reliquas à vitrea species plerunque lentore carere, amicè accipiẽdum est: quoniam pituita naturalis etsi non adeo vt vitrea viscida sit, lentore tamen non caret; nam hoc argumento probat Galenus, ipsam non esse absolutè frigidam & humidam vt sincerum elementum, sed commistam, inquiens, pituitam humidam & frigidã esse dicimus, non ceu contrariorum expertem, sed veluti ab his superatam. Nam si frigida exactè solum esset, glaciei modo concresceret, sicut etiam si humida adamussim existeret, non haberet crassitiem nec viscositatem. Galen. hactenus. Et licet naturalis hæc pituita lentorẽ participet, vis

1. de natura humana. tex. 39.

dicissi-

cidiſsima tamen non eſt, ſed lentore ac craſsitudine mediocri prædita habetur; quoniam docente Galeno lib. de atra bile cap.2.ipſa qualitatis expers iudicatur, quẽ admodum aqua: quæ vero viſcidiſsima exiſtit, vitrea iam eſt, & qualitatẽ participat, cum ſubacida comprehendatur à Galeno lib.2. de differentia febrium capit.6. Omni igitur modo conſtat, viſcidiſsimam pituitam præter naturam eſſe, de eaque Hippocratem fuiſſe loquutum, cùm dixit vi potiſsimum poſt atram bilem educi. Quod itidem confirmant ea quæ à Galeno dicuntur lib.3.de temp.cap. 4. vbi iam dictam citat ſententiam, ſcribens in hunc modum. Et quid miri ſi papaueris ſuccus, mãdragora, vel cicuta, vel ſimilium aliquid quamuis exhibeantur calfacta, paulo poſt euadunt frigida, cùm idem patiantur ptiſana, & lac, & panis, vbi in imbecillum ventrem demiſſa, ab eo non ſuperantur? euomuntur enim non raro abunde frigida: & quod his maius eſt, quodque Hippocr. notauit, pituita ipſa quamuis iam ſuccus ſit, atque ex cibis iam concoctis in ventre frequenter nata, nihilominus frigida tangentibus ſentitur: nec id modo dum in ventre conſiſtit, ſed poſtquam à venis ipſis purgantis cuiuſpiam medicamenti vi eſt detracta:

Galenus.3.de temp.capi 4. his quæ dicta ſunt atteſtatur.

tracta: tametsi enim quam tenacissima natura est ac per vim ducitur, attamen ne ipsa quidem tractus violentia calfieri potest. Talia Galen. qui dum ait, atque ex cibis in ventre iam coctis frequenter nata, clarè ostendit præter naturam esse: quæ enim est naturalis, non in ventre, sed in iecore vnà cum alijs humoribus simultanea generatione prouenit. Rursus lib. 2. de locis affectis cap. 5. testimonio Praxagoræ probans, vitreum hunc humorem frigidissimũ esse, qui hac de causa vitrei nomen illi adhibuit, eadem ferè nos docuit quæ Hippocrates scripsit lib. 1. de natura humana tex. 32. vt ex inde constet, non de naturali pituita, sed de vitreo isto humore, tenacissimo quidem ac frigidissimo, ipsum eo loci fuisse loquutum. Galeni dictio in hunc modum habet. Quod verò hic humor sit frigidissimus, iam à Praxagora dictum est, qui ob hoc vitrei nomen ipsi imposuit: id enim haud obscurè percipitur sensu tactus, tum ipsorum qui illum excernunt, tũ aliorum si quis confestim ipsum tangere voluerit. Sed dignum vtique admiratione est quomodo frigidus excidere possit nec ab excretionis violentia cùm excidit, calidus euadat. Hæc Galenus. Nec mirum videri alicui debet, Hippocratem pro ostendenda

Pituita præter naturam in ventriculo naturalis, in iecore vnà cũ alijs humoribus generatur.

Ex eodē Hippocrate confirmatio.

denda naturalis humoris facultate, exemplo alterius qui in eodem genere præter naturam continetur, sit vsus, quia id ipsum paulo ante fecerat inphlegmate salso, quando simili modo medicamenta attrahere humores dixit ac stirpes & semina terræ mandata, inquiens, terrę inesse acidū & dulce, amarū & salsum. quā sententiā Gal. enarrās, vult huiusmodi gustus qualitates humorū qualitatibus in nobis proportione respondere, dicens. At meminisse oportet etiam de stirpibus ipsum verba facere, nempe quòd & harum vnaquæque sibi naturale & connatum ad se attrahit: continerienim in terra acidum, dulce, amarū, salsum: & omnifarium veluti etiam in homine ait: acidum quidē atram bilē, amarū verò flauam; dulce sanguinem, salsum pituitam. Etenim talis quædam est pituita, quemadmodum alia dulcis, alia acida, & quędā alia nullam insignem obtinens qualitatem. Atque ideo mihi videtur ad orationis finem adiecisse, & omnifarium, vt qui non tantum in pituita, sed in alijs etiam humoribus permultas viderit differentias: sicut enim acida, dulcis, amara salsa, ita etiam acerba, austera, acris & pinguis

guis humorum species est, tum in animalibus tum in stirpibus, & nimirum quæ in terra ipsis respondent. Nec dici debet Hippocratem illic intendere, humores redundantes & qui præter naturam sunt, purgantibus medicamentis demoliri, quia hoc Hippocratis propositum non est, sed potius demonstrare, humanum corpus, ex quatuor humoribus suam obtinere constitutionem: quæ sanè secunda sunt elementa mundi elementis correspondentia: quod inquam tum alijs argumentis, tum hoc præcipuè probat. Exhibitis medicamentis phlegmagogis, cholagogis, melanagogis, euacuatur pituita, bilis & melancholia, quocumque tempore anni, aut ætate aut constitutione exhibeantur: ergo hæc in corpore prius continebantur ac persistebant. Quod si ex Galeni interpretatione pituitæ salsæ mentionem fecit, ob id arbitror est, vt ex inde eliciamus, naturalem in corpore contineri, quandoquidem præternaturam in eo existit ac cótinetur. Atq; ita, ni fallor, ostensum manet id quod probare nitebamur, nimirũ Hippocratem vitream intelligere cum dicit pituitã viscidissimã esse & vi potissimũ post atram

Quod sit Hippocratis in lib de natura humana institutum.

atram bilem educi; naturalis namque ac reliquæ præter naturam pituitæ species, ante bilem atram in superpurgationibus vacuātur; vt hoc capite & præsertim in præcedēti ostensum abunde est.

Medicamenta purgantia non peruadere ad humorem euacuandum, sed hunc potius ad illa: curque ex eis hæc quidem sint vomitoria illa verò aluum subducant: ac de euentu medicamenti quando purgatione frustratur.

CAP. XIIII.

VIderi autem alicui posset, purgans medicamentum ad humorem expurgandum permeare, ductus Aristotelis opinione lib. 1. problematum proble. 42. vbi de re hac ita censet. Medicamēta postquā ventrem adierūt, resolutaque sunt, statim ad venas per easdem ferūtur vias, per quas cibus commeat: mox cum nihilo concoqui potuerunt, sed victrice persistiterunt potentia, relabuntur, & quæ sibi obsistunt secum detrahunt; quæ res purgatio vocitatur. Rursus Auicennæ testimonio, hermodactyli euacuant ab articulis & relinquūt stipticitatem in eis: non autem eam relinquerent nisi eorum substantia ad articulos ipsos

Lib. 2. tract. 1. cap. 4.

ipsos peruenisset. Porrò agaricum cùm medicamentis thorachichis pituitam à pectore educit, & cum capitalibus eandem à capite expurgat; quod indicat, substantiam ipsius ad hasce partes conscendere. Præterea cathartica medicamenta humores sibi proprios expurgant, eos alliciendo & naturam instimulando, & ipsi vim & irritationem inferendo, vt cùm euacuant ab humero, humeri facultatem instimulant & irritant ad excernendum: hæc autem irritatio non ab alio quàm ab ipsissimis prouenit medicamentis. Accedit eò, rhabarbarum & cassiam vrinam tingere, quod manifestè ostendit, eorum substantiam è ventriculo egredi, & ad venas & renes permeare. Cæterum si ex vero proprius non ex vulgarium medicorum opinione rem hanc considerare liceat, dicendum arbitror, pharmaci corpulentiorem substantiam ad humorem expurgandum non irrepere, sed in ventriculo aut intestinis manere, ibidemque persistentem, connatum sibi humorē prolectare; quod multis argumentis probari non obscure potest. Primo, Mesuæ testimonio dicentis: Non putes autem, medicamentum purgans ventriculo receptum ad humorem vacuandum penetrare, sed vi attractrice sibi insita

In canonibus vniuersalibus Theoremate 1. cap. 2.

bi insita, delectu quodam cognatū sibi humorem & familiarem ex venis & corporis meatibus sensum latentibus ad se in ventriculum & intestina rapere, quomodo magnes ferrum, & succinū festucam, & alia quædam alia attrahunt. Hoc autem humore ventriculi & intestinorum natura dum grauatur, eum expellit. Hæc Mesues, in qua sententia existit Auicenna 4. 1. dum ait, pharmacum vomitorium ventriculo hærere, inibique morari, & humorem ad se ex intestinis trahere. Huc accedit quòd medicamenta interdum extrinsecus applicita, nimirum vmbilico, calci, volæ manus, ac naribus admota expurgant, & quod plerunque aluo soluta medicamentum in ventriculo subsistat, aut etiā vomitione reijciatur, quodq; pilulæ duriores posteaquā abūde purgassent visæ sint nondū dissolutæ aliâs vomitione aliâs deiectione reddi. Prȩterea Paul' lib. 7. c. 4. præcipit lathyridis grana integra vorare, si imbecillus est stomachus, eademq; etiā si minime atterant, minimeq; in corpus permeent, valide tñ purgare censet. Hinc Auice. 1. 3. tract. 1. c. 29. in capitis affectionibus iubet vnā magnā pilulā asahaiares deglutire, vt in dissoluta diuti' in vētriculo persistēs validi' atq; potentius noxiū humo-

Auicenna. 4. 1. c. 4. in fine.

humoré ex capite attrahere valeat: si enim medicamétum, vt ait Serapio lib. 7. c. 10. ad humoré longe dissitũ accederet, illi familiaritate iungeretur, nec eum cuius iucũda voluptate perfruitur, detraheret, aut exturbaret: quemadmodũ nec magnes ferro iunctus, id ipsum aliò trahit, sed plane retinet ac seruat, nam etsi verum sit, tenuiores medicaměti partes in vapores solutas è ventriculo prosilire, & per venas, ac alios cæcos occultosq; ductus in omnes corporis partes quoquouersum effundi, ac ad noxiũ vsq; humorem pertingere, quarũ occasione partis natura ad illius excretionem proritatur & stimulatur, vrina tingitur, & medicamenti aliqualis virtus in thoracẽ ac caput defertur, non tñ istæ sunt quæ vere humoré trahũt, sed crassiores ac corpulétiores in větriculo & intestinis relictæ, quarũ vapores in corpus vniuersum diffundũtur, atq; per hos tanquã per manus quasdam crassiores illę cognatos ad sese humores alliciũt: & hoc commune est omnibus medicamentis tam benignis quàm malignis, quàm eis quę ex mediocrium sunt genere. Quare minus recte arbitratur Aristot. purgantia medicamenta in omne corpus peruadere, & noxiũ humoré quasi vinctũ reducere in

Tenuiores medicaměti partes in vapores solutæ è ventriculo prosiliunt.

Crassiores ac corpulentiores medicamenti partes ventriculo hærent, ibidemque attrahunt.

ventrem: nec enim illa progressiuum motum obtinent, nec ea membra trahũt, sed ipsa potius abominantur ac respuunt: nec ab humoribus alliciuntur, sed humores ab eis: nec instinctu pollent relabendi in ventrem, & quæ corpori obsistunt secum trahendi. Fernelius volens Aristotelem defendere, dicit, eius sententiam intelligendam esse de medicamentis benignis; verũtamen, iudicio meo, recipiendum hoc nõ est. Primo, quia eadem quæ modo sunt dicta inconuenientia sequuntur: Secundo, quia huiusmodi interpretationem Aristotelis litera nõ admittit, quæ habet, talia medicamenta nihil concoqui potuisse, sed victrice perstitisse potentia, cum tamen benigna medicamenta coquantur & à natura ipsa vincantur. Nulla igitur ratione Aristotelis dogma tueri potest, & medicamẽtum purgans ad humorem deducendum haudquaquam peruadit, sed in ventre persistens, humorem euacuandum ad se deducit. Venter porrò postquam noxiũ humorem vnà cum medicamento excepit, gemino stimulo acrius lacessitur, cumq; molestiam diutius ferre non possit totis viribus vtrumq; excutit dum à se deponat expellatq; per loca conuenientia. Non enim humorem quem medicamentũ at-

Noxiorũ humorũ expulsio non fit à medicamento sed à natura.

trahit eundem exigit ac foras excludit, sed natura sola: quo fit vt rectè dicat Galenus lib. 1. aphor. comm. 22. purgationem fieri medicamento trahente & natura expellente: quod non tantum de ventris natura debet intelligi, sed de cuiuscumq; partis natura quę vitiosum in se humorem continet, dicente Auerroe lib. 5. collecta. cap. 21. expultricem facultatē partis in qua humor existit, adiuuare operationem medicinę solutiuę: quia cùm medicina incipit attrahere, natura incipit expellere. Cæterū rogabit aliquis, si pharmacum ventriculo hæres, ad sese noxios humores prolectat, cur hi per aluum descendunt, & ad infernas sedes dilabuntur? Nam rationi consonū magis erat vt ipsi ad ventriculum vbi medicamentum existit, ascendant, vt pote ab ipso attracti. Cui obiectioni dicēdum arbitror, humores à medicamento ad intestina trahi, qui inde ad ventriculum vsque vt medicamento ipsi iungerentur, ascenderent, nisi prius natura à multitudine eorū grauata aut acrimonia lacessita, illos deorsum expellere anticiparet. Expellit autem eos inferius ac ad sedem potius quàm ad ventriculum multis de causis, à Mesue etiam & ab Auicenna assignatis. Primò, quia materia ob insitam grauitatem ad inferna ruit.

Purgatio quo modo efficitur.

Obiectio.

Obiectioni respondetur.

Mesues in canon. vniuersa. Theore. 1. ca. 2. Auicenna. 4. 1. c. 4. in fi.

Præterea venarum meatus excrementis expellendis dedicati, plures ad inteſtina quam ad ventriculum feruntur. Tertiò, quia inteſtina vacuandis excrementis deſtinauit natura non ventriculum, excrementa enim ad partes ignobiles & propinquas ſedi, à natura tranſmitti fuit melius, quam ad nobilem particulam & à ſede remotum ventriculum, in quem ſi repant, ea deijci quoque per inteſtina præſtat quàm per gulã euomi, quòd pilorũ inferiorem ventriculi portam, expulſioni, gulam verò attractioni dedicauit natura. Ex quibus apparet, eandem naturam, medicamenti purgantis opus, deiectione potius quàm vomitu moliri. Omnis enĩ partis actio cõtra primũ nature inſtitutum facta, eſt improſpera. Addit Auicenna, medicamẽtũ vẽtris deiectoriũ cito ad inteſtina penetrare: quamdiu enim ventriculo inhæret, trahere non ceſſat: veruntamen ſæpe è ventriculo ipſo, cui ob medicamentoſam qualitatem ingratum & infeſtum eſt, ad inteſtina antea deturbatur, quàm ad ipſum aſcendant allecti vi eius humores. Euenit etiam vt purgantia diutius in eo moram trahant, & propria facultate humores ad ſe ſe alliciant, quorum multitudine aut noxia

qualitate irritatus ventriculus in vomitum prorumpit. Hoc in loco haud abs re erit disputare, cur medicamenta hæc quidem sint vomitoria, illa verò aluũ subducant: nã aliqui illis à sua natura nõ solum peculiarem humorem eligere, verùm etiam ad certum locum deducere, inesse arbitrantur, siquidem authore Plinio lib. 25. capit. 5. nigrum veratrum per inferna purgat, candidum autem vomitione morborum causas extrahit: & cantharides scapulis brachio ve admotæ, vel in quacunq; alia parte corporis etiã extrinseca positæ vel manu apprehẽsę, noxios humores per vrinã expellũt. Vnde Auicenna, pariter & Mesues, vomitorium medicamentũ dicũt ꝙ stomachum, id est os ventris superius, suę substantiæ proprietate debilitans atq; lacessens & in eo immorans, ad ipsum ex hepate ac intestinis & partibus cæteris materias attrahit, à quibus offensus stomachus & ad nauseam euersus, vomitu per os expellit, motu scilicet suæ naturæ contrario. Deiectorium dicunt, quod in ventriculo manens, ab hepate & cæteris partibus humorem sibi familiarem ad intestina potius attrahit ꝓpter cõmoda prius dicta, à quo quidẽ humore irritata intestinorũ naturalis facultas, ipsum vt solet aliã

Fernel. lib. 3. meth. medendi cap. 7.

Auicenna 4. 1 c. 4. Mesues in canonibus vniuersalibus Theoremate 1. c. 2.

excrementa, ad sedem proturdit, sicq; medicamentum vomitorium est tantùm vomitorium, & deiectorium nihil aliud quá deiectorium. Est autem quando deiectorium fit vomitorium, vt etiam aliquando contrà vomitorium fit deiectorium, illudque ob naturam vel medicaméti vel ægri, vel vtriusq; simul: medicamentum enim si vétriculo supernatat aut stomacho molestum est, ipsumq; valenter agitat & subuertit, aut nimis abominabile est, fit pro deiectorio vomitorium. Adhęc cui stomachus, tunc est imbecillus cùm sumitur medicamentum deiectorium, cui ve stercus iá siccius intestinis obstructis pertinacius hęret, aut intestina ipsa arctata & angustiora reddita sunt, aut flatus aliquis medicamentum subleuat, vomitorium euadit. Póstremo, corporis aut animi motus aliquis immoderatior, vel fætor, vel rei abominabilis aspectus, & similia, medicamentum deiectorium reddunt vomitoriũ: vti contrà quod natura sua est vomitorium, euadit deiectorium causa similiter medicamenti vel ægri, vel vtriusq;, sed ratione diuersa: si enim medicamentum ex sua natura prompte ad aluum descendat, aut ei grata quædam sint admixta: si itẽ stomachus tunc est robustus, aut ob inanitionem &

Quibus de causis medicamentũ deiectoriũ fiat vomitorium & è cõuerso.

vehe-

vehementem famem valenter appetit, aut aluus natura est lubrica & facilis: si deniq; iucunda quædam obiecta externa apprehensionem medicamenti prohibeant, id pro vomitorio fiet deiectiorium. Huc accedit, quòd natura in melius omnia prudenter dirigens, rem vomitoriam efficit deiectoriam propter dicta prius commoda. Atq; hactenus Mesues. In cuius prælóga serie illud aduertendú, quod ait ea quæ descensu facilia sunt, aluú subducere, quá uis sponte vomitoria sint; talia auté existût quæ grauia habétur, ita vt clarissime Mesues insinuare videatur, propter grauitaté fieri medicamentum deiectorium. Quod consonum est Auicennæ. 4. 1. cap. 4. dicenti, vomitorium medicamentum efficitur deiectoriú cùm stomachus robustus fuerit, aut à vehementi fame exhibeatur, aut si ille cui exhibitú est laborauerit alui profluuio, aut natura lubricus sit, vel ad vomitum insuetus, aut quòd medicamentú sit grauis substantiæ facile descendens. Verú tamen hoc ipsi Mesue aduersatur: nam primo capite sententiam eorú refutauit, qui cur alia vomitoria sint, alia subductoria, grauitati aut leuitati acceptum referebât, dicens, & nec quia graue aut leue aut agitatiuum superius aut inferius, sed quia ta-

Natura in melius omnia dirigit.

Ioannes Costæus in canones Mesuæ.

le. Aliqui vt Mesuem à contradictione vindicent, dicunt eum illic per cito descendentia, fluxibilia intellexisse, non ea quæ grauia sunt. Verùm vt omittam hoc præter rei de qua agitur naturam dictum esse (cum quę grauia sunt propriè cito descendant, eorumq; naturam esse deorsum & ad infima repere: quo factum est vt merito Auicenna inter causas cur ex vomitorio medicamento deiectorium fiat grauitatem recensuerit) huiusmodi interpretatio non est secundum Mesuæ ipsius mẽtem, cuius institutum erat probare, facultatem vomitorij medicamenti ab eadem vi confluere, à qua ipse purgandi facultatem putat emanare, dicens, medicamento horum vnumquodque inesse, non quidem ob elementarem qualitatem, sed quia illud talem cœlitus virtutẽ sortitum est: prompte tñ ad aluũ descendere, non à cœlesti sed ab elementari vi medicamentum obtinuit, modo id ob grauitatem, modo ob fluxibilitatem eueniat, quod in quam terreum est, facile descendit, quod verò est aqueũ, prompte fluit atq; dilabitur. Dicerem potius ego, Mesuẽ voluisse, medicamentum huius vel illius humoris esse eductoriũ, à cœlesti virtute obtinere, quod tñ per hanc vel per illã regionẽ educat,

Mesuæ sententia explicatur.

cat, id elementis debere: nam quod graue ac terreum aut fluxile & aqueum est, cito ad imam ventriculi sedem & intestina descendit, quo fit vt aluum subducat: quod autem leue aëreumque est ac fluitat, per vomitum noxium humorem extrahit. Quo pacto si prædicta sententia exponatur, nulla erit (ni fallor) in dictis Mesuæ controuersia. Quod verò deinceps ait, vomitorium medicamentũ fieri deiectoriũ propter stomachi robur, cõsiderationem mihi egere videt: nã agaricum cùm adstringẽte vi polleat, & ob id ventriculo robur cõciliare sit aptum, non debebat vomitũ ciere sed potius aluum subducere: siquidem si robur ventriculi in causa est vt ex vomitorio subductorium efficiatur, ea quæ adstringunt & ventriculo robur addunt, subducere deberent. Cæterum dicendũ, agarico diuersas facultates inesse, aëream nempe & flatulentã, ob quam facile in ventriculo supernatat & vomitum cõcitat, & terrenã (extrenuatã tñ) ob quã adstrictoria vi præditum est, qua ventriculum roborat: roboratur namq; hic quãdo adstringitur, vt docet Gal. lib. 7. meth. cap. 11. vincit tamen in eo facultas aerea & flatulenta, qua ratione vomitorium redditur & non alui subductorium, nisi

sale

salegemate & oxymelite aut vino infusio nis zinziberis corrigatur, & aerea flatulentaque illa qualitas amoueatur. Cur verò è contrario deiectorium vomitorium reddatur, satis docuit Auicenna dicens id fieri propter stomachi imbecillitatem, aut ob immodicam excrementorum siccitatẽ, aut quia abominabile sit, aut ex eo quod qui illũ sumpserit, nauseam patiatur. Hæc Auicenna. Sed de his hactenus, quare tempus est vt cum medicamentum purgans si eum quem educere humorem debebat, non educit, quid inde ab ipso medicamẽto fiat, inuestigemus: medicamentũ enim expurgans quandoq; fine suo frustratur, nec euacuat, interdum plus æquo educit, effrenemq; & noxiam efficit euacuationem. Huius euentus supra abunde satis reddita causa est: prioris verò, quòd scilicet suo fine frustretur medicamentum, occasio est vel eiusdem insoluendo imbecilla vis, vel humorum paucitas, vel retentricis potentiæ robur, quæ humores continet nec effluere sinit, vel viarum ductuũque stipatio vel obstructio, aut humorũ ad exitum ineptitudo crassitie nimia, lentore aut visciditate, vel tandem purgantis medicamenti minor iusto exhibita quantitas, tum & aeris immodicus, in frigiditate exces-

Quibus de causis purgãs medicamentum fine suo frustretur.

excessus, & facultatis expultricis sopita in corpore vis; hæc enim in vniuersum frustratæ purgationis causæ censentur: de quibus Mesues exacte disseruit. Illud deinceps perpendendum, purgantium medicamentorum tres omnino differentias haberi, quarum vna est benignorum, quæ minimum ab alimenti natura defecerunt, cuiusmodi sunt pruna, violæ, manna, serum lactis, casiæ medulla, rosæ alexandrinæ saccharo, vel melle conditæ. Alia sunt maligna in quibus vis & substantia inest venenata: quo in numero continentur scamonium, elleborum, colocynthis. Tertia, media inter hæc ambigunt, quare mediocria merito appellantur, quia nec adeo clementia sunt vt priora, nec adeo vt posteriora maligna: huiusmodi sunt rhabarbarũ, agaricum, senna atque aloe. Ex ijs, benignorũ medicamentorum non exigua portio in partium substantiã facessit, in corpore præsertim valido, inediaq; exhausto, malignorum verò portio quælibet vel exigua in putredinem veneno finitimam abit, nec vnquam corporis substantiæ accedit: mediocria verò, vbi purgatione frustrantur, in humorem, quem euacuare debebant, vertuntur. Hanc purgantium triplicitatẽ attulit Galenus, lib. 3. de simpl. med. facul.

Fernelius lib. 3. meth. medendi cap. 4.

cap.

cap.24. scribens in hunc modum: Idcirco purgantiũ medicamentorum vbi forte purgatione frustrantur, quædam extraquàm quod corpori noxam nullam afferunt, etiam alimentum homini præbent: alia verò in corruptionem ac tanquam in venenum vertuntur, prorsus enim medicamentum expurgás vel cum vno saltem humorum, qui in corpore sunt nostro similitudinem quandam obtinet, non autem perpetuo permista est illi vis quædam venenosa, quam ob rem nec perpetuo licet non purget iniuria afficiet, verum concoctionem accipiet, talemque producet humorem qualem trahere natum erat. Hoc verborum discursu planum facit Galenus, soluentium medicamentorum, quædam esse clementia, mitia atque lenia, quæ propriùs cibi medicinales quàm medicamenta dici possunt. Hæc præter quam quòd rite exhibita, parum & sine molestia soluunt, si accidat suo ipsa vacuandi fine frustrari, tantum abest vt noxam aliquam corpori inferant, vt plane à natura alimentorum instar superata, alendo sint: in quorũ albo pruna, mixa, mel aereũ, oxyphenices, siliqua Ægyptia, syrupus ex rosarum diluto confectus constitui merito debent; isthæc enim

Medicamentorum purgãtium triplex differẽtia ex Galeno.

enim ob eam, quam cum corpore nostro familiaritaté obtinent, in alimoniam à natura integre superata ac victa verti nullo negotio possunt. Sunt verò alia noxia ac grauia, peneq; deleteria, quæ si suo purgandi fine frustrentur, grauem & exitialé inferre corpori noxam valent, vt colocynthis, & præsertim vitiosa, quæ inquá sola in sua planta nascitur, veratrū, scamoniū ac turpetū vitiosum, & agaricus niger ac grauis, eiusq; generis alia: hæc enim intra corpus assumpta si non educant, tantum abest vt vinci à natura concoctioné adepta possint, vt deleteria sua vi eam ipsam labefactent & mortem non raro afferant. Istius itaq; generis medicamenta si suo fine frustrentur, nec euacuent, & in corpore moram trahant, iniuria sane, vt Galenus ait, corpus afficient, & grandem afferent noxam: & in his omnes cum Galeno consentiunt. Alia tamen sunt medicamenta quæ non medicinales cibi, sed verè medicamenta tantùm dicuntur, non autem per mistam habent vim venenosam, vt rhabarbarum, senna, agaricus optimus, aloe succotrina, quæ sanè Galenus vult si purgatione frustentur & à natura ipsa vincantur, talem producere humorem qualem trahere nata erant: qua in re ab

In quo Auicenna calumniatur Galenum

Auicenna reprehenditur. 4. 1. cap. 4. dum ait: Illius præterea verbum qui dicit quòd medicina ventris solutiua generat illud quod attrahit, aut quod in primis attrahit id quod est subtile, non est aliquid. Et Galenus quidem (subdit) licet hoc sentiat, penitus tamen dicit quòd medicina ventris solutiua in qua non est venenositas, cum ventrem non soluerit & digeritur, generat humorem quem attrahere solebat. Sed huiusmodi dicta nō sunt conuenientia. Hæc Auicenna in Galenum dicere non fuit veritus: quem etiam ex iunioribus medicis aliqui inconstantiæ & contradictionis vitio notant, cum ipse non satis sui memor, diuersis in locis pugnantia de eadē re scripserit: siquidem lib. 1. de facult. natur. cap. 13. Asclepiadem redarguit quòd dixerit, à pharmacis ipsis purgantibus vacuatorum quodque tale fieri: eius eo loco hæc sunt verba: Iam verò in quo omnes homines consentiunt, ne dum Hippocrates alia medicamentorum purgare flauam bilem, alia nigram, alia pituitā, alia tenue & aquosum excrementum, ne id quidem concedit, imo à pharmacis ipsis vacuatorū quodque tale fieri dicit veluti ab exceptoribus bilis meatibus, bilē. Et paulò inferius subscribit; Itaque cnicum, coccum gnidium,

Iuniorum medicorum aliqui inconstātiæ & contradictionis Galenū notant

&

& hippophaes haudquaquam ex corpore trahere, ſed facere pituitã ait. Quam deinceps Aſclepiadis opinionem longa verborum ſerie conuellit, oſtendens, ſi medicamentum quod aquas vacuat, ſuo fine fruſtretur, neceſſario ſequi vt morbũ augeat ſi talem gignit humorẽ qualem educere naturâ aptum erat. Et paulò pòſt inquit: Videtur vnumquodque medicamentum eam (pituitam ſcilicet) trahere, non autẽ eam quę non eſt creare. Quapropter ſi medicamentum quod pituitam euacuat (vt idem de reliquis medicamentis humores alios euacuantibus intelligatis) attrahere quidem pituitam poteſt, generare nõ exiſtentem, non poteſt, vt ingenuè hoc loco fatetur Galenus, quî fit vt 3. ſimp. citato medicamentum purgãs ſi concoctionem accipiat, talem producere humorem qualem trahere natum erat, protulerit? Rurſus, & ſi admittatur, aloem, rhabarbarum, & ſcamonium, cùm non purgant, in peculiaris ſibi humoris, hoc eſt, in bilis naturam abire, admitti tamen non poſſe videtur, agaricum in pituitam degenerare, nã id ſi fiat, aptitudine quadam ac conuenientia medicamenti ad humorem in quem verti debet, fieri, rationi conſonum eſt, iuxta illud Ariſto. lib. 2. de ortu

Argumẽtum quod decepit multos vt à Galeno diſcederent.

S &

& interitu cap. 4. in habentibus symbolũ facilem esse transitum, qui certe symbolus aut conuenientia inter agaricum & pituitam reperiri nequit, cum sit nimirum hæc grauis, viscida, tenax, frigida & humida: ille vero leuis, friabilis, calidus atque siccus. Quo circa, quamuis concedatur, medicamenta eodem cum humore quem trahunt temperamento cõstantia, alterari, & in peculiaris sibi humoris naturam abire posse: vbi tamen contraria aut dissimili temperatura constant, concedi id minime potest aut debet. Difficultaté porrò non exiguam habere videtur quod Galenus ait, medicamentum purgans con coctionem accipere, siquidem cùm authore Hippoc. lib. de locis in homine, medicamenta ea censenda sint quæ presentem corporis statum transmouent, hoc est alteratione quam inferunt, eum demutant, non videtur commode fieri posse, vt à natura coqui aut vinci possit, cum superari exacte à natura medicamentum delectu humores trahens, sic vt coctionem admittat, haud queat: alioqui profecto alimentum, non medicamentum esset. Eo enim alimentum à medicaméto differre. 1. simpl. in initio Gal. vult, quod alimentum integre à natura vinci, medicamen-

tum

tum non ita potest, quae alterare magis substantiam nostram, quam augere paratum sit: hæc enim medicamenti ratio est, sicuti alimenti contraria: habet enim medicamentum mediam quandam naturã iter alimentum & venenum: nam neque integre à natura nostra superari aut concoqui vt alimentum, nec eam in totum perdere aut euertere ceu venenum potest, sed tantum, vt Hip. dixit, alterare & à suo statu transmouere. Cũ igitur hæc ita se habeant, & integre vinci à natura medicamentum delectu purgans non queat (alioqui enim non iam medicamentũ sed alimentum esset) profecto non se in eum vertet humorem, quem educere natum erat. Addunt, actionem generandorum humorum, naturę ex cibis succos creanti, totam tribuendam esse, dicente Auicen. humorem esse corpus humidum, liquidum, in quod in primis nutriens, hoc est alimentum ipsum conuertitur: at qui medicamenta alimenta nõ sunt: si igitur alimẽta materia fiunt generationis humorum, vel ipsius Gal. testimonio consequitur, ex medicamentis vere non fieri humorum generationem. Atq; hæc sunt argumenta, quæ multos impulerunt, vt hac in re à Gal. discederent, iudicãtes Aui-

Lib. de locis in homine non longe à fine.

1 1. doct. 4. c. 1.

Lib. de humoribus.

cennæ dogma verius esse, & rationi cősentanius. Quibus in præsentia satisfaciendű arbitror, vt intelligant ipsi errore ductos fuisse ac perperã à Gal. desciuisse. Et vt ré ipsam paucis expediam, ad primum respondendum, Galenum sibi ipsi non obuersari nec pugnantia scribere, nam Asclepiadem refutat, eò quòd semper gigni à sumpto medicamento humores euacuandos opinaretur, cùm tamẽ ipse nő semper, sed tantű vbi non soluerint, id fieri existimet. Ad aliud dicendum, agaricum (vt idem de similibus medicamentis intelligatur) non solùm cum pituita consensum obtinere, verum etiam cum bile, nã Mesuæ testimonio hos duos humores educit: quocirca cùm purgatione frustratur, ob mutuum symbolum in bilem verti non multo negotio potest. Mutari etiá & ipse, calidus licet sit, in pituitam potest, vtpote qui vt & cnicus, tota substantia non temperamento sit pituitosus: qua rerum commutatione temperamenti qualitates pereunt, permanẽte ea quę de nouo fit substantia. Obiectioni tertiæ satisfaciemus, si dixerimus, Galenum, improprie sumpsisse coctionis nomen pro alteratione qua transmutatur medicamẽtum in humoris naturam, non pro mutatione

Defenditur Gal. ab Auicẽnę & aliorum calumnijs

Argumentis contra Gal. allatis respődetur.

eius-

eiusdem in propriam aliti substantiam, quia hæc propria & vera coctio est, alimentis tantū conueniens, atq; etiam medicamētis benignis, quæ itidē in ciborum aluo reponuntur; nō tamen conuenit alijs quæ huiusmodi nō sunt: quia cętera quantumcunque à colore alterentur, in nostri corporis substantiam verti nequeunt. Ad aliud dicendum humores naturales ex cibis tantum generari naturæ opera: pręter naturam vero, non tantùm ex cibis, sed etiam ex medicamentis, ac ex alijs rebus, quæ medicamenta non sunt; testa nimirum, cimolia terra, extinctis carbonibus ac huiusmodi talibus, quæ à mulieribus pica seu malatia laborantibus eduntur, à quibus pessimi absurdi que humores generantur actione caloris pręter naturā. Atque ita quidem omnibus argumentis, ni fallor, responsum arbitror: verum quia liber hic primus cōpetentem nactus est magnitudinem, ei finem imponere conueniens est.

IOANNIS BRABI PETRAFITANI DOCTORIS

medici, & rei medicæ in Salmanticensi Academia interpretis.

De curandi ratione per medicamenti purgantis exhibitionem.

LIBER SECVNDVS.

Agitur de humorum vitio, & de ijs, quibus purgatio competit: deque anni & morbi tempore, in quibus ipsa fieri debeat, ac de methodis in ea obseruandis.

PRÆFATIO.

EST enim mihi in præsenti disputatione propositum de ijs methodis disserere, quæ ad purgationem rectè obeundam conducunt: & quanquã libro præcedẽti de varijs medicamentorum tam purgantium quàm aliorũ

 dis-

disceptationibus est pertractatum, quæ ad purgandi methodum non attinere vidẽtur, quia tamẽ ad illã consequendã dirigũtur, idcirco opus hoc omne de purgandi ratione inscriptum est, eò quòd docere Aristotele, par est, vniuersas à fine res appellare. Voluimus prius de purgantibus medicamentis seorsum disputare, quò omnibus antea absolutis, sermo nũc nobis citra omnem eorũ, qui minus bène de eis scripserũt, refutationem, explanaretur. Quòd si in ijs quæ superiori opusculo sunt enunciata, interdum à præiudicatæ opinionis viris discessi, id certè argumentorum vis effecit, cui magis quam autorum quorundam testimonijs addictum me esse debere arbitrabar: nam vt Cicero ait, nõ tam autoritas in disceptando quàm rationis momenta, quærenda sunt. Quin etiam obest plærũque ijs, qui disceptare volunt, autoritas eorum, qui se docere profitentur: desinunt enim suum iudicium adhibere: idque habẽt ratum, quod ab eo quem probant iudicatum vident. Nec verò probare soleo quod de Pythagoricis accepimus

Lib.2. de anima cap. 4. in fine.

Lib.1. de natura Deorũ in initio.

cepimus, quos, ferunt, si quid affirmarent in disputando, cum ex eis quæreretur, quare ita esset, respondere solitos, ipse dixit, ipse autem erat Pythagoras. Tantum opinio præiudicata poterat; vt etiam sine ratione valeret autoritas. Hæc Cicero. Nos verò in ijs, quæ superius sunt enarrata non solum rationem & experimentum, quæ teste Galeno, ad artes inueniendas duo habentur instrumenta: verum etiam antiquorum medicorum & Philosophorum (qui in sua quique facultate velut patres sunt reputati) sententias sequuti sumus: quoniam nihil asseruimus, nihil negauimus, quod ipsorum verbis & autoritate præmunitum & comprobatum non fuerit. Quod similiter in illis, quæ dicenda supersunt, faciendum curabimus, in quibus quomodo purgantium medicamentorum commodis sine ipsorum vitijs potiri valeamus, verba faciemus, siquidem purgatio quam καθαρσιν Græci vocant (quod de sanguinis missione protulit Galenus) ipsa quidem per se auxilij nomẽ possidet: at cũ homini malũ affert, ex cau-

Lib. 1. apho. cõment. 1. & lib. 9. meth. cap. 6.

Lib. 11. meth. cap. 1.

sis sit morbificis: contra cùm prodest, ex sanis; ac propterea cùm proficit, vocatur auxilium: sicut profectò omnis materia quæ quomodolibet corpus alterat, quo tempore iuuat, auxilium dicitur: quo tamen nocet, morbificarum causarum vna existit. Quocirca non temere ab eo dictum est, haud exiguum impendere periculum si sinistrè purgatio succedat: eo quod quæcunque purgant, latentem caloris excitandi potestatē habent, quod ne eueniat, quid ante purgationem, quid in purgatione seu in ipso purgationis die, quid denique purgato corpore agendum sit, vberi sermone promendum à nobis est. Verum vt hæc omnia rectius assequamur, in primis cui humorum vitio competat purgatio, explicabimus pariterq; duplex id esse dicemus, in quātitate vnum quam plenitudinem seu plethoram vocant; in qualitate alterū, quam cacochimiam appellant; de quibus sequenti capite disserendum.

Li. quos purgare oporte & quibus medicamentis, a media.

Quid plenitudo, quid cacochimia, & cui istarum competat purgatio.

CAP. I.

Plenitudo à Galeno definitur, succorũ æqualiter se habentium redundantia Quæ vt rectius intelligantur, animaduertendum in primis, venarum sanguiné nequaquã simplicẽ esse & vnius modi, sed ex pituitæ & vtriusq; bilis ac puri sanguinis permixtione conflatum, quos, inquã, succos omnes ex cunctorum hominũ cõsensione vsuque dicendi, sanguinis appellatione disgnamus: in quorũ miscella hęc seruari proportio debet: in corpore bene temperato & optime sano, minus est bilis flauæ quam melancholiæ, & minus huius quã pituitę, & pituitæ minus quã sanguinis puri, ita vt in prędicta sana corporis cõstitutione, puri sanguinis maior sit copia; post sanguinem vero maior est pituitæ, & post pituitã melãcholia plus exuberat; omniũ vero minima, flaua bilis est. Hæc humorũ proportio & ęquabilitas iusta est & naturę cõueniẽs, atq; is sanguis optim⁹ & benign⁹ iudicat qui ex prędicta quatuor humorũ ęquabilitate cõsurgit. Cũ itaq; succi hi omnes, seruata qualitatis mediocritate, supra

Lib.3. de san. tuen. c. 9. in fine, & 4. metha. cap. 4. & 13. eiusdem tractationis cap. 6.

Quando plenitudo fiat.

ſupra iuſtam & naturæ conuenientem quantitatem accumulantur & increſcunt plenitudo ſeu plethora fit, de qua in præſentia diſputare propoſuimus. Et vt clarior reddatur oratio, prædicta omnia exẽplo deducam. Compertum ſit in optime ſano corpore Theonis iuſtã natureq; congruentem ſanguinis copiam, vnciarum eſſe quadraginta & octo; pituitæ viginti & quatuor: melancholiæ duodecim, & bilis flauæ ſex: quando hi omnes humores æqualiter augentur & naturalem menſuram excedunt, plethora fit. Eſto enim vt in prædicta menſura vnicuique quarta pars augeatur, ſic vt ſanguinis ſint vnciæ ſexaginta: pituitæ triginta, melancholiæ quindecim, & flauæ bilis ſeptem cum vnciæ dimidio, plethorica tunc conſurget diſpoſitio, quæ eſt omniũ humorũ æqualiter ad cuiuſque portionem redundantiũ augmentũ. Nec tamẽ in plenitudine ſemper hoc æquale humorum augmentum ſeruatur, cõtingit enim ſæpe, vnum ex eis magis excedere aut ſimpliciter, vt ſanguis aut ad aliorum portionem, vt alij à ſanguine humores. Et ſic Galenus in lib. de plenitudine cap. II. quatuor plethoræ ſpecies deſcribit, vno quatuor humorum in vna qualibet abundante, atque humorem redun-

In plenitudine non ſemper æqualis humorum auctio ſeruatur.

dundantem à reliquis colore diſtinguit: in plethora nanque aliquando vincit pituita, aliquando bilis flaua, non nunquam verò bilis atra: non quod ſanguinem quātitate excedant, ſed quod omnibus ſimul auctis, pituita (gratia exempli) propriam menſuram ad portionem aliorum magis excedit: vt ſi in habito exēplo, reliqui ſucci adaucti ſint ſupra propriam & naturæ conuenientem mediocritatem per prædictas quartas partes, & pituita reliquorum more deberet augeri per ſuam quartā partem, nempe per vncias ſex, vt dictum eſt, non per ſex ſed per duodecim, vel plus ſit adaucta: quod ſimiliter in aliorum humorum plenitudinibus eſt intelligendum. Atque huiuſcemodi plenitudinē Fernelius lib. 2. pathologiæ cap. 13. impuram nec exquiſitam nominandam cēſet; Galenus verò li. 2. de comp. med. ſecūdum locos cap. 1. non plenitudinem nec ſimpliciter multitudinem, ſed cum appoſitione pituitæ aut bilis flauæ, aut nigræ appellat: vtcunque tamen nominetur, hoc ſumma aduertendum diligentia, quod Galenus libr. de plenitudine capit. 11. non ſemel ſed bis atque iterū ſcriptitauit, ſingulos hos quos enumerauimus humores, iuxta ſanguinē quoque debere augeri: nam ſi lutea ſola

Quatuor plenitudinis ſpecies

Titulo de capitis dolore ex frigore.

vel

vel flaua dicta bilis, aliquando, vt in icteris, superauerit, talis affectus, eius sentẽtia non plenitudo aut plethorica dispositio, sed potius cacochimia, hoc est succorum vitium, nuncupari debet. Quod itidem in atra bile & pituita esse intelligendum putat: cuius rationem esse ait, quia grauitas & tumor præter naturam, plethoræ inseparabilia sunt symptomata, quorũ neutrum sola bilis aut pituita sola prestare possunt: nã proueniet ab his humoribus alius quispiã effectus anteaquam eatenus increuerint vt prædicta cõmittant accidentia: sola etenim cruda pituita poterit in toto corpore abundare & grauitatem & tumorem facere, cæterum multo ante quam hæc faciat, inducet eam hydropis speciẽ quam anasarcã & leucophlegmatiam nominant. Confirmat hoc itidem Galenus infra in eodem capite scribens in hunc modum: Non est igitur quòd tumorum sigillatim species aut cacochimiæ hoc sermone cupias audire, sed potius plenitudinis naturam, quæ fit cum aut cuncti humores pro veteri proportione aucti fuerint, aut vnus ex eis breuem quendã ceperit excessum. Potest ergo sanguis in plethoricis dispositionibus excessum amplissimũ adipisci, nullus aliorũ potest: humorum

Grauitas & tumor præter naturam plenitudinis inseparabilia symptomata.

rum enim prauitas id genus non etiã multitudo nec plethora nuncupatur. Et deinceps prædictis addit, eam ob rem pulsus quoq; in cacochimia proprij adamusim sunt humorum naturæ cuius est cacochimia, in supradictis verò multitudinibus non perinde euidentes seruant differentias, quoniam superfluens humor omnino cum copioso sanguine est. Ex qua serie clarè intelligitur, aliorum à sanguine humorum excessum, plenitudinem efficere posse duabus stantibus conditionibus. Prima, vt sanguis vna etiam cum humore superfluente augeatur: citra enim illius augmentum, nullius humoris exuberantia plenitudinem progignere valet, cum huiusmodi affectus cacochimia, non plethora existat. Secũda est vt talium humorũ excessus, multus non sit: si namq; multus habeatur, etiãsi sanguis increscat, itidẽ cacochimia dici debet, tũ quia à præpotẽtiori est denominatio imponenda, tũ quia alijs humoribus valde superfluentibus, nõ potest sanguis increscere: quoniam illi propter caloris aut frigoris excessum proueniũt, cũ tamẽ sanguis testibus Galeno & Auic. à calore moderato ortũ ducat, solius tamen huius redundãtia, humoribus alijs intra mediocritatẽ manentibus, plenitudinem

Citra sanguinis augmentum, nullius humoris excessus plenitudinem progignere valet.

tudinem parit:etiam si, vt Fernelius ait, ráró tam sincerus sanguis posit cumulari, quin aliorum succorum atque etiam seri permistione sit perfusus. Ex quibus manifeste deducitur, omnem plenitudinem in Galeni doctrina in duplici esse differẽtia: vnã, quæ est succorum omnium æquabilis redundantia ad portionem, & si contingat aliquando in ea vnum aliorum excedere proportionem, vt dictum iam abunde est:altera plenitudo est sincerioris sanguinis summa vbertas & affluentia, cum videlicet purus ille sanguis reliquos in permixtiône succos magnopere vincit, adeoque exuberat vt venas quoquo versum inflet atque distendat, vel facultatem aggrauet, quamquam enim in hac redundantia nó est succorum æquabilitas, quia tamen (vt Fernelius ait) non qualitatis sed quantitatis solius vitium subest, idcirco debet etiá in plethoræ genere contineri. Quas plenitudinis differentias tradit Galenus lib. 2. de comp. med. secundum locos; dum in eum scribit modũ: Fit enim plethora quatuor humoribus ex æquo adauctis, aut etiam sanguine solo, nam cum alius quispiam humor redundauerit, velut est pituita & flaua bilis, itemque nigra, eiusmodi auctionem siue redundantiam, non plenitudiné

Cap. 1. titulo ad capitis dolorem ex frigore.

tudinem, nec simpliciter multitudinem, sed cum appositione pituitæ aut bilis flauæ aut nigræ in corpore factam multitudinem dicunt. Hæc Galenus. Cæterum huiusmodi pituitæ aut vtriusque bilis redundantia iuxta sanguinis augmentum debet intelligi, quemadmodum abunde interpretatum iam est. Nec verò si quis heluo esculentis poculentisque se obruens venas breui supra modum impleat & in extremam exporrigat tensionem, ea ex intẽperantia serosi crudique excrementi copia, plethoræ nomine digna cẽsetur; æque vt nec illa quæ ex sola pituita vel ex solis bilibus sine sanguinis augmento constat: vni igitur humorum omnium æquali ad portionem redundantiæ aut non ad portionem æquali, pariter ac solius sanguinis bene cocti nec sero multo perfusi copiæ, plethoræ nomen conuenit; quæ non nisi multo tempore, nec sine bene temperato corpore gigni potest. Præcipuas tamen & generosas plenitudinis species sub quibus reliquæ omnes comprehenduntur, duas esse, cuncti medici norunt: quarum vnam κατὰ τὸ ἄγγειον id est, quo ad vasa, vel secũdùm vasorum capacitatem, alterã quoad vires seu facultates, appellant. Docuit hæc duo plethoræ genera Galenus lib. de sang. miss.

Cui humorũ redundantiæ plethoræ nomen conueniat.

Plenitudinis species præcipuæ, duæ tantum.

miss. cap. 4. & lib. aduersus Iulianum cap. 6. prope finem, & com. 2. in lib. Hippocratis de humana natura in enarratione primæ sententiæ. 9. item meth. cap. 5. atque in alijs plerisq; locis, de quibus sigillatim modo agendũ. Plenitudo quoad vasa ob id dicitur, quòd amplam vasorum capacitatem prorsus impleat atque distendat, etiam si vires non premat: licet enim hæc immodicè exuperet, fieri tamen potest vt vires non offendat: nam plerunq; (vt in habitu athletico) vires cũ sanguine & carnis mole æqualiter increscunt, E contrario verò in altera quæ ad vires comparatur plenitudine, etiamsi vasa nec tumeant nec copia distendantur, plus tamen sanguinis & aliorum humorum in illis reconditur quam vt à natura (alioqui quauis alia ex causa imbecilla) regi gubernarique possit: nam mediocre alimentum sæpenumero infirmiori naturæ infestum est & graue. Aliqui plenitudinem quoad vires cum cacochymia confundunt, arbitrantes vnam & eandem rem esse: verum istorum errorem libr. 2. prognost. com. 14. confutauimus, siquidem plenitudo hæc à cacochymia tanto interuallo seiuncta est, quanto altera que ad vasa refertur, separatur: de ijsdem namque ambæ

Gal. libro. 9. meth. c. 5. & Fern. lib. 2. patho. capit. 13.

Plenitudo quo ad vires à cacochymia longe diuersa est.

dicuntur, in hoc tantum euariantes, quòd vna quoad vasa; altera virium respectu nuncupatur: quo fit vt vtraque omnium succorum æquabilis sit redundantia ad portionem, aut non ad portionem æquabilis, vel sanguinis solius multitudo. Dissident in eo quod vna vasa distendit, altera vires premit atque grauat; & ob id (si Galeno creditur) vtrique mirifice venæ sectio prodest, non podesset autem si plenitudo quoad vires cacochymia existeret, cùm huic non venæ sectio sed purgatio conueniat: verùm quia de his in commentarijs in Prognost. editis abunde disseruimus, non opus est nunc de eis amplius sermonem protrahere; quo circa satius est vt ad plenitudinis signa & causas perueniamus. Porrò omnis plenitudinis vasorũ communia esse signa, in libro de plenitudine scribit Galenus, venarũ omnium tumor æquabilis, quẽ, cum omnes simul particulę eodem sunt statu, nec pars vlla cæteris est decliuior in quam sanguis decũbat cap. 10. eiusdem libri obseruari iubet, ac præterea cũ eędẽ met partes ęquabili ac moderato sunt calore & sanguis nec frigoris vi in altum refugit, nec immodico calore siue aeris, siue balnei, siue vini, siue exercitationis, siue febris, siue vllius

Lib. de curandi ratione per sang. miss. cap. 5.

Plenitudinis vasorũ quæ sint communia signa

alterius causæ calfacientis concitatus ac turgens, aut quasi colliquatus venas distẽdit in tumorem. Venarum rursus tensio cum quodam sensu doloris ipsarum, plenitudinis est signum, verùm hæc non absolutè plenitudinis sed exuberantis est index. Hæc est tensiua illa lassitudo spontanea in qua corpus & artus omnes ægrius præ pondere mouentur, vixque manus in pugnum adducitur. Et si per eam non tantum vasorum capacitas verum etiam corporis moles plenior euaserit, brachia, manus & tibiæ turgescunt, oculorum venulæ impletæ tument & rubidæ apparẽt: pulsus etiam fortis, validus, magnus & plenus inest, venæ siquidem pleniores anastomosi, id est mutua vasorum confluentia, succorum nonnihil in arterias trãsfundunt, nisi vt cap. 11. libri de plenitudine scribit Galenus, supra modum crassi viscidique humores existant, tunc nanque (vt ipse illo loco docet) non facile in arterias deriuantur, sed raro fieri id plenitudinis genus solet, transfluunt enim prorsus humores nisi crassi ad summum ac lenti fuerint. Plenæ autem arteriæ pulsum edunt qualem diximus, non in carpo solùm verum etiã in tẽporibus in digitis, & in extremis quibusq; partibus molesta pulsatione conspi

ἀναστόμωσις id est mutua vasorum cõfluentia.

conſpicuum. Reſpiratio adeſt nec alta nec omnino libera, ſed difficilior & crebrior, preſertimq; talis in exercitatione deprehẽditur. Euidẽtiũ præterea cauſarũ quæ plenitudinẽ generant obſeruatio, demonſtratiuorũ ſignorũ vim obtinet, cibus plenior valẽtiſq; materię plenitudinis eſt pabulũ, ſicuti omnes cibi euchimi, maximeque vinũ liberaliter & affluenter bibitũ: nã potu quã cibo, vt ait Hipp. impleri, facilius eſt. Vt autem vinũ, ita liquida humidaq; omnia celerius quàm ſolida coquũtur, atque tum in venas tum in omne diſtribuuntur corpus. Rurſus inſuetarum balearum moderatus vſus à cibo, hunc quaſi fuſum liquatumque celeriter allicit diſtribuitque in corpus: conſueta exercitatio neglecta, vita ve deſes & otioſa, nihil è corpore diſſipat, omnia retinet, quemadmodum & cutis denſior. Qua propter hæc à Galeno lib. 1. de diff. febrium capit. 4. plenitudinis cauſa cenſetur ſi id quod tranſpirat acre & mordax non eſt fumo fuligini ve haud abſimile ſed halituoſum & mulcebre ἀτμώδες Græci vocant. Multo manifeſtius cõſueta omnis ſanguinis euacuatio ſuppreſſa, vt è naribus ex hæmorrhoidibus aut ex vtero plenitudinem aggregat & eidẽ materiam ſubminiſtrat: in plenitudine tamẽ

Euidẽtes cauſæ plenitudinem generãtes

Aph. 11. ſect. 2.

Plenitudinis quæ ad vires refertur, ſigna quæ.

quoad vires alia adſunt ſigna, nam corpus artuſque ingraueſcunt, & motus pigrior euadit, ſomnus grauis, profundus & interturbatus, laborans per inſomnia, ſe grauiter premi aut onus geſtare, aut è loco ſe moueri non poſſe putat. Hæc autore Galeno. 9. meth. cap. 5. nec ſic obſtruit venarum ora vt refrigerationē prohibeat, nec tunicas earū diſtendit, nec roborē nec tumorem inducit, multoque minus vel carnis vel cutis trāſpirationem moratur. Cæterum vtriuſque plenitudinis, eius nimirū quæ ad vires refertur, & eius quæ ad vaſa, magnitudinem, è propriorū ſignorū magnitudine definire docet Galenus libr. de curandi ratione per venæ ſectionē cap. 6. dicens: Quanto grauior ſibi homo eſſe videtur, tantum plenitudinē ad vires auctā eſſe manifeſtum eſt: ſicuti quantum tenſionis ſenſus augetur, tantum etiam altera plenitudo, quam à nonnullis κατὰ τὰ ἀγγεῖα, hoc eſt ad vaſa vocari diximus, multiplicata eſt: cùm enim (vt Galenus libr. de plenitudine inſcripto copioſe admodum docet) proprium ſignum plenitudinis quoad vires ſit virium ipſarum grauitas, quanto grauior nunc quàm antea homo eſſe videtur, tanto etiam auctior erit ea quæ ad vires dicitur plenitudo. Sic etiam cum

Vtriuſq; plenitudinis magnitudo vndedeſumatur.

cũ plenitudinis quoad vasa propriũ signum sit tensio, vt ibidem Galenus ostendit, ideoq; iure optimo quantum tensionis sensus est auctus, tantum etiam plenitudinem illam creuisse, indicium est. Hæc vasorum plenitudo tametsi bonis humoribus conferta est, & vires obtinet robustas, graui tamen periculo est obnoxia, propterea quod cùm ad immodicam venerit repletionem (vt. 9. meth. capit. 5. dixit Galenus) tum perrumpere vasa, tum recludere solet, reliquaque omnia alia dicta symptomata inducit, nempe obstructionem, distensionem, tumorem ruborem. Quam itidem sententiam confirmat ipse com. 2. libr. de humana natura in enarratione primæ sententiæ, inquiẽs: Quæ ad vasa dicitur plenitudo, & ora aperit & dirumpit ipsa vasa, & aliquando mortem subitam affert, si forte poros corporis in totũ obturauerit. Cui sentẽtię subscribit Hipp. li. 4. de ratione victus in morbis acutis tex. 23. dũ ait: Vbi derepẽte quis obmutuerit, venarum interceptiones corpori molestiã inferũt. De hac itidẽ Celsus loquitur li. 2. c. 2. quãdo in eũ scribit modũ. Ergo si plenior aliquis & speciosior ac coloratior factus est, suspecta habere bona sua debet, quę quia nec in eodẽ habitu

Plenitudo quo ad vasa graui periculo obnoxia est.

sustinere nec vltra progredi possunt, fere retro quasi ruina quadam resoluũtur: quapropter prudentissime Hippocrates hunc bonum habitum statim soluere consuluit anteaquam prædictorum malorum aliquod circumgerat. In hac humores corrupti non sunt sed post modum corrúpi contingit transpiratione prohibita: quia, docente Galeno, per huiusmodi dispositionem multæ obstructiones efficiuntur ac totum corpus difficulter difflatur. In ea pariter quæ ad vires refertur multitudine, humores initio corrupti non sunt, vt multi medici putarunt, sed post modum corrumpuntur, vt ex Galeno liquet sect. 2. aphor. com. 17. dicente: Nunc verò id tã tum sufficiet adiungere ijs quæ prius à nobis sunt enarrata, quòd incipere quidem potest ea quæ ad vires refertur multitudo absque corruptione, verùm nõ potest diu bona permanere, nam omnino necesse est vt secundum qualitatem transmutetur & processu temporis corrumpatur. Et alibi: Ea igitur (inquit) quæ ad vires comparatur, & succos ad corruptionem ducit, & fluxum mittit in partes corporis infirmiores. Ducit itaque plenitudo quoad vires humores ad corruptionem, non tamen protinus ipsos corrumpit, sed postmodũ.

Aphor. 3. sect. 1.

Li. 1. de diff. fe. cap. 5.

Com. 2. in li. de humana natura in enarratione 2. sententiæ & lib. de sanguinis missione cap. 5.

Ratio verò ob quam in hac plenitudinis specie, licet alimentum per initia purum sit, nequit tamen huiusmodi diutius talẽ permanere, est quia vt. 1. de dif. feb. cap. 5. scriptum reliquit Galenus, à nostri caloris fauore destitutum, nec euincitur nec concoquitur probe, quippe quod vires cõficientes illud debiliores existãt. Quod etiam confirmat lib. 2. eiusdem tractationis cap. 16. dicens; si igitur adeo debiliter vires vt exoluantur nec præterea euincãt ea quæ prius vincebant, tunc sanguinem putrefieri necesse est duplici ratione, & quia humor minime euinctus à calore proprio reliquam habet in putredinem mutationem, & quia simul cum excrementis putrescẽtibus putrescit. Porrò in hac quæ ad vires comparatur multitudine, imbecillitas & robur nõ aliunde quam è proprijs functionibus cognoscere docet Galenus, animalibus quidem eius quæ in neruis & horũ principio est facultatis, ijs verò quæ per pulsus fiunt eius quæ in arterijs & corde consistit, verum per bonam & prorsus abolitam nutritionem tum colorem bonum & vitiosum tertia facultas, nutrix nimirum & naturalis quæ ex iecore proficiscitur demõstratur. Quã itidẽ sententiã docet idẽ lib. 1. de arte curatiua ad Glaucone

Lib. de curandi ratione per sanguinis missionẽ cap 5.

cap.14.prope finem scribens in hunc modum: Vitalis quidem virtus quæ ex corde prodit, ex pulsuũ imbecillitate præcognoscitur: quæ verò ex iecore oritur, naturalis & altrix dicitur, ex sanguineis quidẽ deiectionibus, initio quidẽ aquosis ac tenuibus, post modũ verò amurcæ in modum, crassis. Quæ verò ex cerebro originẽ ducit, animalẽ nõnulli peculiari nomine appellãt, ex motus arbitrarij lãguore persentitur. Plenitudinis ad vasa cõparatæ, indicia sunt vasorũ distẽsio & ruboris plus quã naturæ cõueniat, & multo amplior quã pro cõsuetudine corporis tumor, & venæ eminentiores & magis extensæ: eius vero quæ ad vires refertur, signa habẽtur, totius corporis grauitas, mouendisq; & extendendis membris pigritia. Impuræ plenitudinis speciem, corporis indicat color: flauus aut pallidus, biliosam: subalbidus, pituitosam: niger, melancholicam; omnibus tamẽ semper rubor permisceri debet, quoniam citra sanguinis augmentum nulla plenitudo consistere potest: nec datur: quo circa color ex rubro & pallido constans, plenitudinem biliosam: ex rubro & albo, pituitosam: ex rubro & nigro, eã quæ ex atra bile seu melãcholico humore originẽ ducit demõstrat; siquidẽ, docẽte Galeno, color

Lib.4. de sanit. tuenda cap.4.

ex succis prouenit, non ex solidis animalis partibus, atque ob id humorum prędominantiam ostendit, nisi ambientis nos aeris frigidi violentia aut aliquo animi affectu in corporis profundum (vt in magnis frigoribus, & in metu & incipiente verecundia contingit) confluxerint, aut in cutem vt in ira & gaudio & magnis ęstibus cōfertim irruerint. Quod Galenus his verbis disserte docet, inquiēs humorem redundantem ex colore debemus coniectari, nisi aliqui forte in corporis altum recesserint, color enim similis efflorescit humoribus si non intro redierint. Et alibi, in vehementer cōmatis (inquit) aut iratis, aut in pudore veluti reciprocantibus se humoribus, inspicere colorem non oportet. At si nec ambiētis violētia calidi frigidi ve, nec vllus animi affectus, cuiusmodi iá dictus est subsit, certissima succi animalis cognitio ex colore datur. Hęc Galenus. Verū quod ipse ait, colorē ex succis, nō ex solidis partibus prouenire, non simpliciter sed vt plurimum debet intelligi, quoniam Auicenna. 2. 1. recensens dispositiones aliquas quæ licet morbis adnumerentur, reuera tamen morbi non sunt, ait, affectionem in colore interdum prouenire ex vitiata temperatura, partim cū materia

Lib. 1. aphor. com. 2.

Libr 4. de sanit. tuēda. c. 4.

Doctrina. 1. cap. 6.

ria vt icterus, partim sine materia vt color gypseus ex frigida intemperie cõtractus, pariterque citrinus ex impensè calida. Ac de plenitudine Hactenus.

Quid sit cacochymia

Cacochymia Galeno. 3. de sanitate tuẽda cap. 9. in fine, vitiosi est succi copia; aut vel vt ipse lib. de plenitudine capit. 11. inquit, excessus alteri⁹ à sanguine humoris, ait enim, humorum prauitatem seu cacochymiam nuncupari cum quiuis alius à sanguine humor sine sanguinis augmento excessum amplissimum adipiscitur. Quod lib. 13. meth. capit. 6. interpretatur in hunc modum scribens. Vbi vel flaua bile vel nigra, vel pituita, vel serosis humoribus refertum corpus iam fuerit, eum habitum cacochymiam, quasi succorum vitiũ dicas, non plethoram nominant. Quod itidem lib. de plenitudine cap. 11. his significare verbis voluit, quando lutea sola vel flaua dicta bilis citra sanguinis excessum, vt in ictericis superauerit, talis affectus nõ plenitudo, sed humorum vitium, quod cacochymiam nominant, appellari debet. 4. Item Metho. cap. 4. cacochymiam, succorum vitium dicit esse, quod vitium nõ in qualitate tantum nocentis humoris cõtinetur, sed etiam in eiusdem immodica quantitate & copia consistit: sic vt non so-

lum

lum lutea vocata bile putrescēte (vt idem de pituita & atra bile intelligamus) cacochymia consistat, verum etiã ipsa citra putredinem exuberante (dũmodo vnà sanguis non exuberet) eadem constituatur, vt ex iam dictis locis fit manifestũ: quod etiam.2.prognost. com. 14. efficacissimis rationibus probauimus, vtriq; enim purgatio non venę sectio debetur. Ex quibus liquet, bilem flauam si simul cum sanguine augeatur, pituita & atra bile, serosisq; humoribus intra mediocritatem manentibus, efficere plenitudinem biliosam, sumpto à sanguinis augmento nomine, denominatione verò à bile. Si tamen sola ipsa bilis augeatur, sanguine intra mediocritatis limites manente, cacochymiam constituet, siquidem, docente Galeno, cacochymia est vbi vel flaua bile vel nigra vel pituita, vel serosis humoribus refertum corpus fuerit. Quod si flaua bilis non solũ augeatur, verùm etiam putrescat, grauior cacochymia consurget, quoniam tunc ipsa duplici modo vitiosa est, tum in quantitate tum etiam in putredine, etiamsi solum eius vitiũ in quãtitate citra aliquod aliud fit cacochymia. Cur verò Galenus sententiam secundam primi libri aphorismorũ enarrãs, dixerit, Hippocratẽ de purgatione

De quibus cacochymia dicatur.

Li.13.meth. cap. 6.

verba

verba facientem, non de quantitate eorum quæ excernuntur, sed de qualitate fuisse loquutum (quasi dixerit, humoribus qualitate peccantibus, non quantitate, purgationem deberi) supra lib. priori c. 7. reddita causa est. Diximus itidé. 2. prognost. com. præcitato, morem fuisse Galeno, appellare humores quantitate peccantes, quando sanguis solus aut vna cũ alijs humoribus superabundat: cùm verò sanguis exiguus est, alius verò à sanguine succus plurimus, & si tunc talis quantitate exuberet, quia tamen eius permistione sanguis polluitur atque sordescit, non placet Galeno dicere, humores quantitate peccare, sanguis enim eo casu sordidus cum sit, purgatione corrigitur: quin imo quæ purgant (si eidem Galeno creditur) purgantia passim idcirco appellantur, quod sanguinem ab antedictis humoribus expurgent purumque constituant. Porrò inter plenitudinem & cacochymiã hoc existit discrimen, quòd illa, teste Fernelio, potissimum in venis atque in corporis habitu consedit: at cacochymia in omne corpus dispergi diffundique solet, nã non solum in venis & in corporis habitu consistit, verũ etiã in prima corporis regione circa ventriculũ, mesenteriũ, lienẽ

Lib. de purg. med. facul. cap. 4.

Li. 2. therap. meth. cap. 1.

inte-

intestina, atq; circa id quod proprie pancreas nũcupatur: sæpius tamẽ è liene solet ipsa prodire, hic enim præcipuus locus habetur in quo omnis colligitur cumulaturq; humorũ colluuies. Quod significare voluit Galenus scribẽs in hũc modũ: Quibus corpus floret, ijs, inquit Hippocrates liẽ minuitur: idẽ omnes qui experientiam sequũtur medici, fatẽtur. Præterea, quibus viscus id magnũ & tumẽs augescit, ijs corpus imminuitur & cacochymicũ reddit: quod & ipsum quoq; nõ Hippocrates modo sed & Plato, multiq; alij præterea empirici cõcedũt. Hęc Gale. Quã sententiã docuit Hippocrates li. de aere, aquis & locis; docuit etiã Plato in Timęo, vbi sic ait. quãdo propter corporis morbũ, sordibus iecur abũdat, lienis raritas id purgãs eas cõbibit, cũ mẽbrum hoc concauũ sit & exãgue, vnde purgamentis impletum excrescit tumetque sanie. At rursus cùm mundatum corpus est, restrictum in se ipsum considet. Atque hactenus Plato. Gignitur autem omnis cacochymia autore Galeno libro tertio. de temper. capite. 3. alias ex vitioso cibo, alias ex quapiam alia in ipso corpore corruptela putredine ve. A vitioso cibo cacochymiam oriri, testantur etiam ea. quæ ab eodẽ initio libri

Lib. 2. de natur. facult. c. vltimo in medio

bri de bono & malo succo scribuntur in hunc modū: Annonæ caritas assidua quæ non paucis ab hinc annis multas nationes Romano imperio subditas afflixit, ijs qui non omnino rudes imperitique sunt plane significauit quantam vitiosi corporis succi, Græci κακοχυμίαν vocant, ad gignendos morbos vim habebant. Cui rei argumento fuit apud eundem is infans qui cū priore nutrice mortua alterius praui succi lac suxisset, totū corpus multis vlceribus habuit refertum; vtebatur autem secunda hæc nutrix in agro siluestribus oleribus propter annonæ caritatem quæ veris tempore acciderat, vnde & ipsa huiusmodi vlceribus scatuit, & alij quidam qui in eodē agro simili victu sunt vsi. Pariter etiam libro de bono & malo succo multa alia mala recenset quæ ob ciborum prauitatem in penuria seu melioris alimēti inopia homines infestabant. Et lib. 1. de differ. febr. cap 4. ex eo probat ab esu vitiosorum ciborum pessimos in corpore succos gigni, quoniā qui tales cibos præ fame comedere fuerūt coacti, febribus putridis aut pestilentibus fuere mortui, aut pustulis scabiosis aut leprosis correpti. Quo circa non temere ab eo dictum est, ab omnibus praui succi cibis abstinendum esse, quoniam nobis

Lib. 3. de aliment. facult. cap. 15.

Lib. 2. de facult. alimēt. cap. de cucumeribus.

nobis non aduertentibus illorum vsu succi praui in venis colliguntur, qui exiguam ad putrendum occasionem nacti febres malignas accendunt. Sunt enim huiusmodi praui succi pituita salsa, melancholia & bilis flaua. Putredine etiam gignitur cacochymia, quod in plenitudine euenit, siue ea ad vasa sit siue ad vires, in vtraque enim corrumpi humores contingit & putredinis labe vitiari: In ea quæ ad vasa comparatur, quia non difflantur nec peruentilantur humores: in altera quæ ad vires refertur, quoniam à natura non vincuntur: vnde fit vt ex plethorico cacochymicũ corpus reddatur; sed illi præsertim cacochymiam acerbant, qui ob vitiosam tẽperaturam in alicuius praui succi generationem sunt vel natura vel consuetudine propensi, è quibus nonnulli (vt Galenus ait) amaræ bilis humorem plus cæteris colligunt, alij pituitæ, alij melancholiæ, alij serosorũ humorum. In amaræ bilis aut salsæ pituitę generationem parati sunt calidi & sicci, in quibus omnia vruntur, maximè quæ calida sunt & sicca seu tenuantia & acria. Est autem istis, tradente Galeno, corporis habitus gracilis, hirsutus & nigrior, ac reliquis tribus temperamentis, quæ hoc minus calida sunt, tactu calidior aduertitur;

Lib. de curandi ratione per sanguinis missionẽ cap. 7.

Lib. 8. meth. cap. 2.

V pluri-

plurima his est flaua bilis, vrina quoque ac deiectio bili satura, pulsus magni & veloces, & somni leues & pauci, ac animi impetus vehementes; pituitæ prouentū accumulant frigidi & humidi. Quo modo autē huiusmodi tēperamētū cognosci debeat, idem docet Galenus lib. 2. de temp. capit. 6. scribens in hunc modum: Si humidiores & frigidiores vniuersæ corporis partes sint, thorax quidē angustus & glaber erit, sicuti etiā totum corpus pilis nudū, cutis verò mollis & alba, capilli subrufi potissimum in iuuentute, & in senectute non caluescunt, timidique statim & ignaui & segnes: adde etiam, paruis venis ac minime conspicuis & adiposi fiunt, ijdē neruis musculisque imbecillis, & artubus parum exacte delineatis, & blæsis. Ad atram bilem coaceruādam procliues sunt (eodem Galeno autore) non qui ab initio sicciori frigidiorique sunt naturà, sed illi magis qui ex habitus mutatione, nempe calidi & sicci, in frigidum & siccū sunt deducti, & qui ex sanguine vrendo plurimam genuerūt atrā bilem, hos, inquam, verè melancholicos esse arbitratur, quia, eodē ipso eo loco autore, melācholica tēperamēta ex sanguinis adustione fiūt: qui enim talibus præditi sunt naturis, ex quolibet

Lib. 2. de tēper. in fine.

libet alimento; etiã inculpato, succorũ prauitatem facile congerunt, prompteq; ex leui qualibet causa ægrotant, & præsertim qui à generationis primordijs admodũ tales sunt: de quibus verba faciens Galenus li. 6. de sanitate tuẽda. c. 2. sic ait: Corpora quæ à prima statim genitura pronum ad morbos statũ sortita sunt, ea plane ad senectutẽ nunquam perueniunt, aut si aliquando peruenerunt, vno saltem diutino morbo penitus laborant.

In capitis fine

Nascuntur à cacochymia (sicut idẽ Galeno creditur) plurimi morbi, febres erraticæ & periodicæ, cancri, phagedenæ, herpetes errodẽtes, carbunculi & quæ chironia & telephia vocantur, milleque alia vlcerum genera; & licet illa in omne corpus dispergi diffundique soleat, eius tamen fomes & receptaculum, præsertim prima corporis regio est, quæ è gula in medias iecoris partes dirigitur, ventriculũ continens atq; venas meseraicas, & eas quæ ad portas cõcedunt cauam itidem iecoris, lienem & illis interiectum pancreas: hæc enim regio, testimonio Fernelij, tanquam sentina quædam corporis existit, multa scatens excrementorum colluuie, estque compluribus obiecta humorum vitijs, à qua iecur prætergressi in maiores ve-

Lib. 3. de temper. c. 3.

Lib de vaenã di rat. cap. 2.

nas & in habitum corporis irrumpunt, quod præcipuè in morbo regio, arquato nigro & in leucoplegmatia, scabie & lepra videre est.

Sed cum de plenitudinis & cacochymiæ natura ac caussis satis dictum sit, relinquitur vt quæ de eis dicenda supersunt, exequamur. Supersunt autem dicenda ea quæ ad purgationem recte moliendam conducunt, quorum id omnium est maximum, intelligere, cui humorum vitio ipsa adaptari debeat: quippe hoc principiũ est, ac (vt sic dicam) veluti carcer vnde omnis medendi ratio quæ per purgationem fit, emanat. Sane purgatio plenitudini non competit, quippe hæc venæ sectione, non purgatione demitur: est enim venæ sectio teste Auicenna, euacuatio vniuersalis quę multitudinem euacuat; cum enim multitudo augmentum sit, vel sanguinis solius vel humorum omnium super æquabilitatem eorum in vasis, recte venæ sectione non purgatione euacuatur, quia per illam nullus peculiaris respicitur humor; sed aperta vena omnes promiscuè & sine delectu educuntur. Inediæ quidem vel exercitia multitudinem æquabiliter euacuant, verùm non repente id faciunt, imò adeo sensim & leuiter præstant, vt vrgentium

4.1. cap. 20.

& acutorum morborum, præsentium aut imminentium, promptum ac expeditum remedium esse non queant, nec illorum curationi satisfaciant; at venæ sectio præter quam quod cuncta hæc exactissimè complet, insuper etiam plenitudinem ad mediocritatem reducit, dolores ex tensione sedat, corpus à graui pondere erigit, & quasi recreatum, alacrius ac expeditius ad functiones omnis generis obeundas reddit; eademmet insitum calorem liberalius ventilans, reserans que arctiores vias & spiracula corporis, morbos arcet, in quorum discrimen id adducebatur; & si forte iam hi morbi per incuriam insederint, venæ sectio immodicam plenitudinẽ subtrahens, efficit, vt natura iam dominatrix & expedita à pondere, reliquis humorum vitijs deinceps imperet, idque concoquat quod ad concoquendum est habile, & excernat quod prorsus inutile nunquam posthàc futurum est idoneum. Iam in plethora quæ ad vires refertur, quia imbecillæ vires opprimuntur, ne qua illinc putredo aliaue humorum corruptela emergat, commoda quidem & cõducibilis est modica sanguinis detractio: quocirca educendæ vtriusque plenitudinis vnicum ac proprium remedium statui debet sangui-

Quæ commoda venæ sectio in plenitudine afferat.

Educendæ vtriusque plenitudinis vnicũ ac proprium remedium statuitur venæ sectio.

nis missio: nec enim si ex pluribus medicamẽtis vnum concinnemus quod tribus humoribus expurgãdis sit idoneum, conueniẽter id (vt infra cõstabit) plenitudini medebitur, sed à sola venæ sectione auxiliũ hoc petendũ est, quo nullũ certe accommodatius inueniri potest, & cuius vim nullum purgantis medicamenti genus imitari aut assequi, multoque minus vincere valet. Vnde Auicenna. 1. 4. tract. 2. capite. 45. de curatione febris sanguinis loquens, ait, euacuatio nõ est aliqua sicut phlebotomia. Et Galenus libro. 9. metho. capit. 4. cum dixisset, in synocho non putrida valida existente virtute, & ætate permittente, expedire sanguinem vsque ad animi defectum mittere, subdit, hoc præsidio omisso, ita febricitantes in summum discrimen venire, nisi eos vel virium robur vel largum sanguinis profluuium, vel sudor copiosus ex manifesta pernicie eripiat: vbi inter ea quæ omissæ phlebotomiæ vicem supplẽt non recensuit purgationem, nullam aliã ob causam nisi quia in plenitudine, aut morbis ab ea ortis, non est remedium cõueniens. Quod si libr. 4. de sanitate tuenda capit. eodem, egenti venæ sectionem eamque detrectanti, iubet substituere copio-

Galeni locus explicatur.

piosiorem purgationem, inquiens: Si quis propter ætatem, vel timiditatem permittere se medico ad sanguinem vllo modo detrahendum noluerit, huic deijciendam largius aluum esse. Dicendũ, ipsum eo in loco non de sola plenitudine verba facere, sed de plenitudine cacochymiæ coniũcta: loquitur enim de curatione lassitudinis vlcerosæ, in qua cùm vtroque remedio opus sit, fit vt vno deficiente, alterum liberalius exerceatur. Itaque in plenitudine pura solùm sanguis mitti debet; etenim medicamentum, & præsertim validum, tum calore tum trahendi facultate humores exagitans perturbansque, plethoricum corpus in grauius id discrimen adducit: in impura verò aut cacochymiæ participe vnà cum venæ sectione purgandum etiam est. Sed nec si in plenitudine putrescant humores, protinus sanguinis missio abdicari debet, quasi id humorũ vitiũ cacochymia, nõ amplius plenitudo sit: nã licet sanguinea massa putredine continetur, non ob id plenitudo esse desinit, nisi in tãtã decidat corruptionem, vt naturæ viribus atque beneficio corrigi aut emendari haud possit, sanguisque propriam formam non reseruet: talis nanque non ad plethoræ sed ad caco-
 chy-

chymiæ genus pertinet, vt iam non venæ sectione, sed sola purgatione tollenda sit, quæ peculiare est cacochymię remediũ. Si tamen sanguinea massa leuiter putrescat, & sanguis ipse sub multa quantitate pristinam formam retineat; licet impura, plenitudo tamẽ dici debet, in qua sanguinis missio est adhibenda, & multò magis quàm in sincera & pura: quoniã hæc multitudine illa non hac solùm, sed etiam praua qualitate naturæ infesta est eidemque negotium facessit. Si nanque bonus athletarum habitus, Hippocrate autore, statim soluendus est, multo magis malus ægrotantium solui debet, vtpote qui non mole tãtum, sed & malignitate vires obruat. Itaque, vtraque plenitudo, tam integra, quàm putredinis labe contaminata, sanguinis missione minuenda est: in hoc euariantes, quod de illa tantum euacuari debet quantum exigit dispositio: de hac nõ tantum, sed aliquid est relinquẽdum, aut sensim & partite euacuandum. Etenim, quemadmodum Galenus ait, si nec obstructio subesset, nec putredo, sed sola succorum redundantia, protinus à missione sanguinis pro naturæ suæ ratione se haberet: itaque tantum succorum in omni tum corporis temperamento, tum

Libr. II. metha. cap. 14.

regio-

regione, tum anni tempore, tum statu cœli detrahi par erat, quantum supra naturalem statum fuerat inauctum. Verum quoniam nec obstructio nec putredo curari per sanguinis missionem possunt, vt quæ alia remedia desiderent, reponi sanguinis aliquid ad curationis spatium debebit, quo minus intempestiuè nutrire necessitate vlla cogamur. Ex quibus clare intelligitur; in synocho putrida aliquid sanguinis qui solidis animalis partibus proprium est nutrimentum, esse relinquendum, & non ex toto euacuandum, etiam si Gal. ipse. 9. metho. c. 4. seruum illum synocho putrida laborantem vena incisa, vsque ad animi defectum vacuauerit, nam id effecit quia iuuenis & robustus erat, & protinus cùm humorum putredo inceperat, sanguinis detractionem molitus est: quod certe non fecisset si ille viribus multis non constaret, & putredo diutius prorogata fuisset. Atque hactenus quidē ostēsum est, quo præsidio demenda sit plenitudo; quo verò cacochymia demi debeat ostendendum deinceps est: hoc tamen initio animaduertendum reor, cacochymiæ plures differentias haberi ex loco, & ex sui ipsius natura desumptas: ex loco, inquam, quoniam quædam consistit in pri-

In plenitudine putrida cum vena secatur aliquid sanguinis est relinquendū

Cacochymiæ plures sunt differentiæ

ma corporis regione, quam supra descripsimus: alia in secunda, quæ è medio iecore in tenues partium singularum venas exporrigitur, continens partem iecoris connexam, venam cauam & quid quid eius incidit inter axillas & inguina: alia includitur in tertia quæ musculos complectitur, membranas & ossa, omnem denique corporis molem quæ à minimorum vasorum osculis in partes singulas & in summam extimamque cutem extenditur. Ex parte sui discrimen desumitur, prout illa putredine participat vel ipsius expers existit, & prout tenuior vel crassior atque intemperatior est reddita, vel malignæ qualitatis labe aspergitur. Omnibus istis purgatio vtiliter adhibetur, & præsertim primæ corporis regionis cacochymiæ; sanè hanc purgatione demendam esse, tum vitij tum loci natura indicat, in qua venam secari sine maximo naturæ dispendio nequit: quoniam præterquam quod proficuum sanguinem, qui velut thesaurus naturæ est, citra commodum aliquod euacuat, insuper etiam sorditiem omnem in iecur & incapaciores venas euocat atq; adigit, vnde cacochymia maiorem noxam infert deteriorque redditur affectio: qua de causa

Omni cacochymiæ speciei, purgatio vtiliter adhibetur.

causa illis se exercitare, mouere aut lauare vetat Galenus, qui in primis venis crudorum copiam habent: quoniam, vt ipse ait, id genus motus succos illos in omne corpus trahunt; atque hæc ratio est cur cacochymia in prima corporis regione existente, sanguinem mittere haud expediat. Num verò in ea quæ sanguini citra plenitudinem in vasis permiscetur, venam secare conueniat, maior dubitandi occasio oritur, quandoquidem humorum qui noxam in venis inferunt, aut ex his affatim in partem aliquam corporis irruunt, proprium accomodatumque remedium est phlebotomia, eò quòd illos euacuat, hos verò reuellendo sistit. Verumtamen si Galeni decretum & rationem sequamur, ne in hac quidem cacochymia vena incidi debet: namque Galenus libr. 4. de sanit. tuenda capit. eodem, à sanguinis missione omnino arcendos esse scribit illos, quibus humorum moles plurimum à moderato sanguine recessit, hoc est, cùm vniuersus venarum sanguis ardentissimus atque biliosus, aut crudus ac pituitosus est factus, vel totus in melancolicum humorem degenerauit, nemini profectò istorum secandam esse venam censet: quemadmo-

Lib. 4. de sanitate tuẽda cap. 5.

admodum nec si permistos humores con feramus, quibus bonus sanguis exiguus est, reliqui verò vitiosi succi plurimi: quod & ratio ipsa suadet, nam in venarũ cacochymia, siue vnus siue succi plures vitiose se habeant, id semper annitimur, vt eum tantùm humorem qui naturæ infestus est & viribus negotium facessit educamus, alijs qui nihil vitij habent (si fieri possit) in naturæ vsum asseruatis: quod per venæ sectionem fieri non potest, nam hæc omnes humores indifferẽter euacuat nec putridum magis quam integrum; nec inutilem aut malignum potius quam vtilem aut benignum: non igitur quẽ volumus fine potiemur. Rursus, vitiosorũ humorum in venis existentium constitutionem, phlebotomia nihil plane immutat; sed vena secta, eadem perstat humorum proportio quæ ante eius sectionẽ fuerat: licet enim nonnihil copiæ (quę tunc non erat immodica) adimat, cacochymiã quæ viribus incommodat, non sustulit, idque duntaxat præstat quod vires offendit, vnde natura imbecilior reddita ægrè quod reliquum est vincere poterit. Si nanque deposita oneris quadam portione idem virium robur ægrotus sustineret, conueniẽs vtique & idonea esset venæ incisio, verũ quia

Venæ sectio humores omnes indiscriminatim euacuat.

quia hæc dum corporis pabulum (quo exiguo natura tanquam præsentaneo munimine se se cōseruabat ac tutabatur) subtrahit, illius robur vehementer dissoluit, idcirco in venarum cacochymia vsurpanda non est. Cum igitur cacochymiæ cuiuslibet comes sit virium imbecillitas, sequitur, purgationem quæ benignis medicamentis suscipitur, in ea educenda phlebotomia longe tutiorem & accommodatiorem esse: vtpote quæ vires minus offendat & quem volumus humorem educat. Quam verò in sincera cacochymia noxia sit sanguinis missio, sigillatim ex cuiuslibet cacochymiæ specie discere licet. Etenim quibus efferuescens & biliosus admodum sanguis in venis maioribus colligitur, aut in sanguinea massa sincerus sanguis paucus est, bilis verò plurimum redūdat, totaque etiam corporis moles aut natura aut viuendi consuetudine biliosa deprehenditur, non nisi magno virium detrimento vena secatur, quādoquidem sanguine illo puro ac laudabili qui exiguus erat & quem natura ad partium corporis nutritionem velut thesaurū adseruabat, vnà cum bile euacuato, corpus quod alioqui parum alebatur & inopia alimenti cōtabescebat (biliosis enim magna ex parte

In sincera cacochymia admodum noxia est sanguinis missio.

anne-

annexa est corporis extenuatio) in maximam penuriam adigitur, vt vel in atrophiam vel in marasmum, vel in aliud periculum graue incurrat. Sic in habitu corporis melancholico qui vel naturâ vel externarum causarum vsu assiduo talis euasit, improbatur sanguinis missio & tanquam nocua criminatur, non enim melancholiam potius quam alios humores, nec citra damnum & corporis iacturam illos effundit. Si nanque naturalis est melancholia, detrimentum par & æquale ei existit, quod in habitu pituitoso, vt mox afferemus: sin verò atræ bilis speciem gerat, eædem quæ biliosum habitum noxæ sequentur. Ad eundem modum quotiescunque sanguis admodum pituitosus ac crudus in venis cumulatur, sinceri verò atque puri exiguum, venæ incisio imperanda non est: nam vt ait Galenus: Nemo ausus est sanguinẽ euacuare in affectu qui calfieri desiderat; quoniam corpus alioqui frigidũ, exempto sanguine & spiritu vehementius refrigerat; quod manifestius operabitur quoties in prædicta vitiosi succi redundãtia cumulatiori mensura sanguis detrahitur. Hinc calore per quam refrigerato coctio vitiatur, cruditates emergunt, frigi-

Lib. de rigore, tremore & palpitatio[ne] cap. 5.

frigidioresque morbi vt hydrops, apople xia, respirandi difficultas, conuulsio, tremor & alia huiusmodi mala succrescunt. Ex quibus clarè intelligitur, in simplici cacochymia nec plenitudini mista sanguinem mittendum non esse, nisi forte quorundam symptomatum, vt sitis, vigiliarũ, capitis doloris ratione habita, quæ vi sua & atrocitate, ad eum (in exigua tamẽ quãtitate) detrahendum nos impellunt.

Ostendimus satis superque cuiuslibet cacochymiæ speciei aptum conuenien sque remedium purgationem haberi, veruntamen obijciet aliquis si cacochymiæ purgatio debetur, & cacochymici purgatione non venæ sectione vacuandi sunt, cur Hippoc. vitiosis succis refertos purgandos non esse innuit, dum prauo cibo vsos per medicamenta purgatos celeriter exolui asseruit. Nam si hi ijdem sunt cacochymici (dicente Galeno non aliunde magis quam ex praui succi cibis cacochymiam oriri) rationi consonum est eos purgatione releuari non exolui debere. Cui respondendum, Hippoc. in præfata sententia haud voluisse cacochymicos, seu eos qui prauo vtuntur cibo à purgatione esse arcendos, sed id tantum hoc cautè, id est, nõ affatim nec vniuersim sed pau-

Obiectio

Apho. 36. sectionis. 2.

Lib de bono & malo succo

Obiectioni respondetur

paulatim esse moliendum. Quod fit sensim vitiossum humorem euacuãdo & bonum vicisim pro eo reponendo; quem curandi modum epicrasim vocari Gale. est autor. Si nanque vniuersim ac semel iam dictos homines purgare annitaris, ipsos fatiscere atque extemplò animo linqui comperies: idque tribus de causis: Prima quod in huiusmodi naturis natiuus calor est imbecillus, ac sanguis bonus paucus pariterque pauci spiritus, vnde vires nimis deiectæ existunt, quo fit vt hæ ab euacuãtibus præsidijs facile conuellantur atque fatiscant. Altera, est quia humores vitiati à prauis illis cibis nati cum à medicamento commouentur, vapores putres ad ventriculum & ad principes partes mittunt, quare virium exolutio nascitur. Quod in retentis alui excrementis à quibus vapor putris in cerebrum & cor effertur & in tetris odoribus eadem membra tentantibus sæpe experimur. Tertia porrò caussa est, quia cum eiusmodi vitiosi ſucci transeant per partes sensiles, cum sint acres dolores mordicando efficiunt, vnde ęgri sæpe in animi deliquium incidunt, & sine pulsu redduntur.

Li. 9. metho: capi. 10. in fine.

In tertiana exquisita cum ex simplici cacochymia ortum ducat, cur venam medici secent.

CAP. II.

EX ijs quę capite pręcedenti dicta sunt remanet dubitatio quędam haud exigua, quare in exquisita tertiana medici sanguinem detrahant: nam cum hæc ex simplici nascatur cacochymia, non videtur illi venæ incisio conuenire: ex simplici enim cacochymia ipsam oriri, perspicuum erit causam eius indaganti, excitatur nanque, si Galeno creditur, ex flaua bile putrescente per membra sententia delatabilem autem hanc simplicem esse, tũ natura eius manifestat, cum ex eo constat quod si pura non sit sed alterum humorẽ participet, tertiana ab ea excitata non amplius exquisita erit, sed tantum impuritatis quantum cum humore alio mistionis, obtinebit. Quo circa haud ab re erit in pręsentia disputare num in tertiana exquisita vena secanda sit, ac si secanda est, quo tempore illius sectio moliri debeat. Et vt rem ipsam aggrediar, Galenus lib. 1. de arte curandi ad Glauconem capit. 9. in huius fe-

Lib. 2. de differentijs febr. cap. 3.

Venæ sectionis in curatione tertianæ Galenus non meminit.

bris curatione venæ sectionem silentio prætermisit, cùm tamē eam facere præceperit in curatione quartanæ, dū inquit; Venam verò secare oportet vel interiorē vel mediā sinistri cubiti. Et in curatione quotidianæ ait; Quod si sanguinem mittere oporteat, nec hoc quoque omittendum, sed ab initio statim adhibita earum rerum quas scis distinctione, tātū mittendū quantū presens exigit status. Libro etiā 2. eiusdem operis in erysipelatibus & herpetibus non esse necessariam sanguinis missionē, sed sufficere ventris expurgationē astruxit, dato medicamento quod bilē flauā educat. Si verò passio parua fuerit, nec hoc quidē esse necessariū dicit, sed sufficere clystere acri vti. Et lib. 14. metho. c. 3. in erysipelate, pro sanguinis missione, medicamēto quod bilem trahat esse purgandū censet. Ex quibus elici videtur, in morbis mere biliosis sanguinis missionē nō cōpetere, è quorū numero cū sit tertiana exquisita, arbitrantur nonnulli eā per sanguinis missionē minime esse curandā præsertim cùm non solùm Galenus hanc venæ sectionē omiserit, verum etiam Paulus, Aetius, Trallianus, Haliabas, Isaac, Auerroes, Rasius & Serapio ac reliqui Arabes & Græci de huius febris curatione

Paulus lib 2. c. 21. Aetius li. 2. serm. 1. cap. 80. Trallianus li. 12. c. 6. Haliabas. 3. pract. cap. 12. Isaac. 3. practicæ capi. 2. Auerroes, 7. collect. cap. 31. Rasius lib. 17. continentis. c. 3. Serapio tracta. 3. c. p. 13.

ne agentes illā subticuerint. Vnde Hollerius lib. 2. de febribus. c. de tertiana, omissum hoc remediū à Græcis fuisse, & omittendum quidem scribit si exquisita tertiana est. Donatus ab Altomari. p. 3. de febribus in fine. 3. capitis reddens causam cur Galenus. 1. ad Glauconē pro exquisitę tertianæ curatione venæ sectionē tacuerit, ait quòd cùm sine periculo hæc febris sit, ac cito iudicetur quantum in ipsa est, modo nihil in ea delinquatur, si quis illā solā inspiciens, venā secare nō præceperit, pro eius curatione, haud errabit. Id quod inspiciens Galenus (vt sua fert opinio) propterea in ejus curatione non præcepit, sed ipsius bilis motum spectans, per eandem viam qua vergit & à natura tentatur excerni, vacuari iussit. Verùm cum ipse. 11. meth. capit. 15. saluberrimum esse dixerit in febribus venam incidere, non continuis modò, verùm etiam alijs omnibus quas putrescens humor concitat, dicendum, eum, tertianam febrem sub generali hoc præcepto comprehēdisse: alioqui nō verè dixisset in alijs omnibus quas putrescens humor concitat. Secanda igitur vena est iuxta Galeni doctrinam eius qui tertiana febre laborat, præsertimquè id faciendum si

reliqua adsint quæ ad sanguinis missionẽ requiruntur, quæque ipse. 1. de arte curatiua ad Glauconem capit. 13. de febrium continuarum quæ carent accidentibus verba faciens recenset, dum ait; sanguinẽ verò mittere oportet & ob morbi magnitudinẽ, & quibus rubor multo plus quã naturæ conueniat, & maior quàm pro cõsuetudine totius corporis tumor, & venæ eminentiores atque extensæ, his omnibus est auferendus, nisi vires aut ætas aut aliquid eorum quæ supra commemorauimus, prohibuerit. Itaque in tertiana febre sanguinem detrahere expedit si vires validæ adsunt, & ætas permittit. præcipue verò id faciendum quando sanguinis adest redundantia, quam rubor faciei, venarũ eminentia ac tumor, & habitus corporis amplior quàm antea, indicant: leuata nanque (vt Galenus ait) eo tempore natura, exonerataque eo quo veluti sarcina premebatur, haud ægre quod reliquum est vincet. Quod etiam faciendũ est vbi sanguis biliosus existit aut bilis flaua sanguini permiscetur, nam sanguis bilis consortio vitiatur, quod ne fiat, aut ille in bilem facessat, venam incidere conueniens quidem est. Adducũtur & aliæ causæ ex Actuario lib. 3. sui methodi capi. 19. Prima quia

Lib. 11. meth. cap. 15.

Cur in febre tertiana sanguinem mittere oporteat, rationes ex Actuario.

cùm

cùm sanguis post spiritum primum feruorem excipiat & totum corpus afficiat, si eius quidpiam effluxerit, multum caloris vnà detrahet. Altera, quod quamquam à flaua bile febris oriatur, attamen hic propte succenditur, eique materiam subministrat. Tertia quoniam cùm per vniuersum per meet corpus, vniuersum quoq; calfacit, quare si quid eius euacuetur, multa quoque febris portio vnà difflabitur: nã si ex latentibus & materiæ expertibus perspirationibus, febrientes opem sentire, est persuasum, febremque, ad stricta & densata cute, vehementius accēdi constat, an non quæso multo melius ægri degent, si humoris qui eam in vniuersum corpus defert, sensibilis fiat euacuatio? Humor autem qui febrem in corpus vniuersum deducit, sanguis est, dicēte Auicenna, febrē esse calorem extraneum, accensum in corde, procedentem ab eo mediantibus spiritu & sanguine, per arterias & venas in totum corpus. Quæ sanè cuncta plane demonstrant, non malè nec contra antiquorum placita facere, qui in tertiana exquisita moderatè sanguinem detrahunt. Donatus ab Altomari cap. precitato tenet quod si multa bilis copia ex qua exquisita tertiana accenditur, continea tur coaceruata in-

1.4. tract. 1 c. 1.

tra vasa à quibus accessionis tempore excernatur ad sentientes corporis partes illũ qui non inspiciens bilẽ solã putrescentẽ quæ accessionis causa est, sed eius copiam in venis ac iecore genitã nondũ tamẽ putrefactã venam secare iusserit, nec rationi nec Galeni sententiæ repugnare. Ex quibus clarè intelligitur, in tertiana exquisita nõ solũ apparente intra vasa plenitudine, verũ etiã nulla tali existẽte, esse sanguinẽ mittendũ, dũmodo vires id ferre valeãt & ætas nõ dissuadeat: Nam si citra plenitudinẽ omnẽ, testimonio Galeni, initio phlegmones quę aut propter ictũ vel dolorem, vel partium imbecillitatẽ prouenit, venæ sectio mirifice confert, quanto magis in febre cõferent per quã corpus vniuersum refrigeratur & sanguinis inflammatio inhibetur? Quocirca in tertiana exquisita sanguinem euacuare, haud præter rationẽ est, dummodo vires & ætas permittant & nullus atrophiæ extet vitiũ: verũtamẽ cum multa in vasis & in iecore bilis habetur, & nec febris nec plenitudo aliqua infestat, (nam hoc decernere debebat Donatus) purgatione sola præscindenda est, hæc enim (vt supra fuit dictum) propriũ & conueniens est cacochymiæ remediũ: Si verò plenitudini alicui implicetur, aut

Lib. de curandi ratione per sanguinis missionẽ cap. 14.

citra

citra plenitudinem febris nonnulla accendatur, non solum purgatio sed etiam sanguinis missio conuenit: quo tempore venam secamus, non ob cacochymiam (hęc nanque purgationem solam efflagitat) sed ob plenitudinem, vel propter febrem solam; nam plenitudo optime sanguinis missione demitur, febris verò sola etiam sine plenitudine ob id sanguinis missioné exposcit, quia hæc auxilium refrigerans est, & febrium omnium qua febres sunt (si Galeno creditur) proprium remedium refrigeratio est, siue ea talis actu sit siue potestate, siue ex accidéti: Vnum verò ex eis quæ ex accidenti refrigerant sanguinis missio existit, vt ibidem Galenus scribit. Accedit eò, sanguinem, calidus cum sit, citissime febrilem calorem concipere, & in vniuersum corpus deferre, idq; magnopere inflammare; quapropter in puris tertianis sanguinem detrahimus, non bilis quæ febrem committit, aut quæ commissura est, ratione, sed propter sanguinis inflammationem atque feruorem qui aut adest aut timetur: secta enim vena non tanta sanguinis superest copia, quæ calorem præter naturam possit concipere & in corpus vniuersum deferre. Adde, sæpe sanguiné ipsum tertianæ febris antece-

Lib. 10. meth. cap. 10.

Sanguis febrilem calorem citissime cócipit.

dentem causam esse dum bilis generationi materiam suppeditat. Non disputamus hîc de bile quę actu febrem cõmittit, hęc nanque tertio quoque die in singulis accessionibus à natura expurgatur, sed de ea quæ commissura est, quæque tertianæ febris antecedens causa censetur, nęc nanq; interdum ex sanguine generatur; cuius rei argumentum est, quòd nonnunquam sola venæ incisione tertiana febris prorsus cessat ac funditus extirpatur. Quod (iudicio meo) Fernelij opinionem maxime cõuellit, tenentis, intermittentium febrium materiam, non è venis in corporis habitũ propelli, sed in prima corporis regione cõtineri, in qua omnis cõfluit cumulaturq; humorum colluuies. Etenim si istic, vt Fernelius arbitratur, tertianæ febris existeret materia, noxium valde esset in febre hac venam secare, cacochymia per venæ incisionem in iecur & vasa maiora euocata, sed videmus sæpe sola sanguinis missione tertianam amoueri, ergo causa non cõsistebat in prima regione corporis, sed in venis delitescebat. Atque hactenus quidẽ priorem huius secundi capitis partem explicuimus: superest igitur vt id quod secũdo loco propositum a nobis est explicemus. Etenim in exquisita tertiana quando

Quid Fernelij opinionẽ maxime refellat.

In tertiana exquisita quo tempore vna secunda fit.

do competit venæ sectio, quo tempore sanguis mitti debeat, num ante periodum tertium vel post illum, dubium est etiam apud Auicennam, nam. 1.4. tract. 2. capit. 29. vbi de huius febris curatione agit, aliter in codicibus antiquis, & aliter in recentioribus & emendatioribus legitur; in veteribus nanque affirmatiue sic: Et quando est possibile vt phlebotomes vsq; ad tres periodos, fac; in nouis vero negatiue, in hunc modum; Et quando est possibile vt non phlebotomes vsque ad tres periodos, fac. Huic posteriori lectioni & sequentia Auicennæ verba, & ratio ipsa, & recentiores practici suffragantur: sequentia nanque verba hunc in modum se habent: Et similiter quando times quod sit ægritudo furiosa, & facis illud, erit illud quod accidit de errore: quod idem est ac si diceret, non facias phlebotomiam in pura tertiana ante tres periodos; & similiter, si possibile est, non facias illam quando times quòd ægritudo sit furiosa, nam si tūc facis, erit error, eò quòd perducetur æger ad cholericorū ebullitionem, & affectio concitatior reddetur, præterquam quod in ægritudine furiosa iuxta Hippocratis sententiam purgatio administrari debet non venæ sectio. Ratio similiter adstipulatur,

Gordonius trac. de vrinis cap. 19. Valescus Taran tensis cap de tertiana vera

Sanguine inter initia tertianæ exquisitę misso, quę mala sequantur.

latur, quoniam initio educto per phlebotomiam sanguine, bilis syncerior manes, nec à sanguine coercita, efferuescit nimisq; cõcitatur; & vel duplicé efficiet tertianá, cũ antea simplicé efficiebat, vel forte effrænis reddita in aliquod princeps membrũ decumbens, mali alicuius grauis occasio erit: nam cũ initio, vt plurimũ, syncera sit nec sanguini cõmixta, nõ poterit ita apte per sanguinis misioné educi, vt deinceps cùm sanguini commiscetur: quo fit vt principio per factam venæ sectioné sanguis purus & omni culpa vacans effluat, bile ipsa, prædictorum malorũ effectrice intra corpus manente atque relicta. Vnde Gordonius tract. de vrinis cap. 19. primũ quod in curatione tertianæ obseruandum esse censet, est, vt nunquam fiat phlebotomia nisi post tres vel quatuor accesiones, & nisi postquam vrina est mutata ad aliquam spissitudinem, & signa coctionis apparuerint, virtusque fortis existat. Quam sententiam sequitur & citat Valescus Tarantensis in suo philonio cap. de tertiana vera. At dicunt aliqui melius esse protinus sanguinem mittere quàm tribus transactis accessionibus illum detrahere, quoniam tunc in exquisita tertiana morbi status instat, vel iam adest, in quo non solum

Obiectio

à ve-

à venæ sectione sed etiam à purgatione abstinendũ est, dicente Hippocrate apho. 29. secundæ sectionis, cũ morbi inchoant si quid mouendum videtur, moue, cum verò consistunt ac vigẽt, melius est quiescere. Quam sententiam enarrans Galenus inquit: circa initia illorum morborum in quibus speratur ægrotus conualiturus, tentanda maiora sunt remedia, de quibus Hippoc. dixit: Si quid videtur mouendũ moue: sunt autem hæc præcipue quidem venæ sectio, nonnunquam verò & purgatio, quorum neutrum oportet morbo iam consistente adhibere. Quibus respondendum, hæc non esse intelligenda in febribvs intermittentibus, sed in continuis; nam cum in intermittentibus in die intermissionis atque quietis purgatio & venæ sectio exerceantur, nullum ex eis timebitur incõmodum, nec aliquod naturæ negotiũ inferetur. Adde in id genus morbis, vt ex Galeno liquet, statum non attendi penes dies intermissionis sed penes dies accessionis & in accessione quiescendũ & nihil mouendũ esse. Docet Auicẽna. 1. 4. tract. 2. c. 39. cũ inquit: Et oportet vt non moueas in die paroxysmi aliquid nisi propter necessitatem, quod intelligendum est, non solum in eo paroxys-

Obiectio diluitur.

Lib. 1. de crisibus capi. 3. & 4.

roxyſmo, qui ſtatus eſt, non eſſe mouendum aliquid, ſed nec in alijs qui ſunt temporum reliquorum quomodo & illud ab eodem Auicenna dictum eſt in eadem. 1. 4. tract. 2. cap. 7. Et non moueas in die paroxyſmi aliquid quantum poſsibile eſt tibi, nec cures febrem. Oſtenſum igitur hactenus eſt, ſecurius multo, imo ad Auicennæ mentem, in veris tertianis poſt tres circuitus nos venæ ſectionem facere, quàm ipſis non expectatis eam exercere. Accedit eò lectionem poſteriorem quæ in nouis codicibus cum negatione reperitur; correctionem eſſe Andreæ Belluneſis qui locum illum eum in modum caſtigauit, quem docti plerique ſequuti ſunt. Nicolus etiam exponit textum, dicens, quòd vbi habet litera, vt phlebotomes vſque ad tres periodos, dicere debet, vt euacues materiam peccantem minoratiuè vel lenitiuè itaque vult quòd in principio debemus ventrem lenire, humorem minorando ſuperabundantem, & non phlebotomare. Gentilis itidem qui textum affirmatiue legebat, Auicennam videtur excuſare dicẽs eũ loqui de tertiana, in qua ab initio phlebotomia indicatur, vel quoniã bilis à principio eſt ſanguini commixta, vel ſanguis eſt multũ biliosus, quæ diſpoſitiones (vt

Nicolus ſermone. 2. tracta. 2. ſum. 4. diſtinctio. 3. cap. 6.

ipſe

ipse ait) non admodum distant quin permutentur in actuationem & bilis dominum ex sanguine: vnde inquit in his casibus non competere phlebotomiã in processu, quæ inquam, competebat in principio. Sauanarola similiter (qui etiã vt reor Auicennæ textum affirmatiuè habebat) in canonica de febribus capit. de tertiana pura inquit, quòd licet directiùs magisq; in principio sanguinis missio competere videatur, stare tamen interdum in processu posse magis competere, vt cum in processu bilis commiscetur sanguini quæ in principio non erat commixta. Ex quibus ego colligo, quòd cum in principio venæ multo sanguine turgent aut sanguis biliosus est, vel bilis ipsa sanguini adest permixta, tutò prima accessione transacta, alijs non expectatis, vena secari potest, ne deinceps sanguis putrescat, aut bilis commertio vitietur, aut ipse biliosus effectus plane in bilem conuertatur. Quæ sanè cuncta non esse venæ sectionem differẽdam, sed protinus esse faciendam suadent: verumtamen cum nulla plenitudo adest, nec sanguis biliosus habetur, bilisq; sanguini nõ dũ existit permixta, melius est ad venæ sectionẽ moliendam tertium periodũ expectare, quã eo nondũ transacto illã exercere.

Quæstionis decisio.

Ex plenitudine & cacochymia commixto vitio, vtrunque vacuationis genus conuenire, illisq; ex æquo infestantibus à sanguinis mißione curationem esse inchoandam.

CAP. III.

NOn raro ex plenitudine & cacochymia permistũ vitiũ fatigat, cui vtrũque vacuationis genus competere constitutionis ratio postulat. Verùm antea quã hoc munus aggrediamur, prius res omnes diligenter circunspiciendæ sunt: sane diligenter circunspiciet qui vniuersam deliberationem in hæc tria consideranda direxerit; primum, à quo vitio maximè discrimen ægro impendere videatur: secundum, quod submoueri ante aliud securè non potest, & quod sanè potest; Tertium, quod faciliori negotio adimitur, & quod difficiliori. Nam vbi ab vno humorũ vitio vitæ periculũ magis quã ab alio imminet, testimonio Galeni, ad id quod vrget dirigi primũ curantis consilium debet, & quod tolli ante aliud secure nequit, ipsa medendi methodus ab eo exordiũ ducere iubet, sine quo alterum tutò exequi non valet; sic quod facilius demitur, prio-

Lib. 7. meth. cap. 12.

ri lo-

ri loco demendum est, posteriori verò quod ægrius difficiliusque. Ex quibus clarè deducitur, cacochymiam in prima corporis regione existente, plenitudine verò in vasis, purgandam prius illam esse quã plenitudo minuatur. Primò, quia cacochymia in proposito exemplo magis quã plenitudo lacessit: lacessit enim eo in loco cacochymia nauseà, dolore, æstu, oris amarore, aut sapore alio iniucundo, cibi fastidio, suffocatione, præcordiorum oppressione, & syncope, alijsque huiusmodi symptomatibus, cum tamen plenitudo solo ponderis sensu & pigritia ad motum infesta sit. Secundò quia vitiosus humor ex ijs locis facili negotio propensèquè per sedem detruditur, vtpote in vijs ductuum excremẽtorum existens, quod præcipuè fit si illis in partibus non tenaciter adheret, & sua sponte versus sedem mouetur. At obijcient, humorem ad purgationem coctione egere, minime verò ad venæ sectionẽ, dicente Auicenna, phlebotomiam quando est intentio sanguinis, nõ esse ex genere eius in quo expectatur digestio expectatione quæ est in solutiuis; digestionemq; (subdit) nõ expectari nisi in humoribus alijs; hoc enim indicat, operosius difficiliusque multò humorem

l.4.tract.2.
cap.7.parum
post mediũ.

per

per purgationem quàm per sectionem venæ euacuari. Verumtamen dicendum, cacochymiā in prima corporis regione existentem, si leuiter partibus adhęret, coctione ad sui purgationem non indigere: si verò tenacius, tantillum esse præparandā; eius verò coctionem, haudquaquam esse expectandam, vt quæ propriè futura non sit, nec eius per vrinas notio vlla haberi posit. In hoc casu venæ sectionem moliri, præter rationem est, quia eius vis eò vix vnquam pertinget, nec hinc humores euacuare potest; sed, vt Fernelius ait, graui sane dispendio naturæ ordinem peruertit: quia impuritate relicta, syncerum purumque sanguinem profundit è vasis, venasq; sectione exinanitas, implet fœda illuuie, rapta è prima sede, quæ quasi sentina est omnis impuritatis. Quod si humor in ventriculo contineatur, vomitione euacuari debet: sin minus, haudquaquam vomitio cienda est: nam, docente Rasio, materiam ad ventriculum, si ad illum non sponte mouetur, minime trahere oportet. Et Galenus lib. 11. metho. cap. 9. simpliciter aiebat, expellenda esse quæ putruerunt, per vrinas, & aluum, & sudorem: quod si ad os ventriculi aliquando impetum capiant etiam per vomitiones: aliter autem non esse quod

Li.4. therap. meth. cap. 8.

Lib. 17. continentis cap. 3. de curatione tertianæ.

se quòd ea præter naturā irritemus. Hinc que est vt Auicenna dicat: Cum ad locū non abedit materia od quem ipsam trahimus, cum ea non esse violenter agēdum. Atque ita quidem decerni oportet de cacochymia in prima regione corporis contenta: de ea verò quæ in vasis vnà cum plenitudine continetur, ita decernendum. Vbi vitiosus humor plurimus est, plenitudo verò non plurima, purgandū prius, dein mittendus sanguis est. Quod Auicenna manifestè significare voluit, cum dixit superabundantem humoré euacua deinde minueci d est, vitiosum humorem qui excedit, imprimis purgante medicamento educito, deinceps verò plenitudinem deme. Etenim si in præsenti affectu sanguis detraheretur, cacochymia amplius ingrauesceret deteriorque redderetur: nanque superabundans humor, biliosus si extiterit, sanguine detracto nimis efferuescet peiorque remanebit: sin pituitosus, plurimum incrudescet ac frigidior crassiorq; fiet. Quod iterum Auicenna nos docuit dum inquit, magnopere vitandum esse, ne æger ad duorum alterum deducatur, nimirum ad humorum biliosorum efferuescentiam vel frigidorum cruditatem: cum enim sanguis ipse aliorum humorū

4.1.c.3 propè finem

4.1. c.4. non longe à principio.

4.1.capi.20

Y fit

sit frænum, sequitur, eo deficiente, humores reliquos irritari ac vehementiores vires capessere. Quæ sane cuncta, conceptis verbis mihi voluisse Galenus videtur lib. 4. de sanitate tuẽda cap. 4. scribens in hũc modum: Sanguis in medio est biliosorum atque horum quorum vtique genus vno vocabulo appellare licet vel crudum succúm vel pituitam: illi nanque ex sanguine fiunt vbi supra iustum modum est per coctus; hi verò ex eo nondum perfecto. Sunt autem vtriusque generis innumeræ particulares differentiæ; ceterum quæ ab ijs qui in talibus sunt periti innumeratas species sunt iam descriptæ, quarum tamen ipsarum adeò hic omnium meminisse necesse non est, vt etiam satis sit eas ad vnũ caput redigere, quod tibi veluti scopum agendorum proponas. Nam quoniã alij priusquam ad exactum sanguinis nutrimentum perueniunt, veluti semicocti sunt: alij prorsus incocti crudique: alij paulo absunt à sanguinis forma, rursus alij sanguinis faciendi, siue (vt ita dicam) sanguificationis veluti vltima pars, qui vtique excessu caloris proueniunt, quorum alij paululũ, alij plus alij plurimũ à sanguine recesserunt, vbi paululum vel citra sanguinem restitum, vel vltra processum est.

audacter mittendus sanguis est; vbi plus consideratius agendum, vbi plurimum, in his nullus omnino mittendus est. Itaque plenitudine exigua existente, vitiosis verò succis supra ipsam plurimum redundantibus, à venę sectione cauendũ esse putat Galenus, idque ratione sanè optima: nam si vitiosus succus sit pituitosus, sanguine misso totum corpus nimis refrigeratur, multo è vitali spiritu vnà cum sanguine excreto, vires deijcientur, & naturæ opera deterius fient, plurimaque emergent symptomata quæ ad vehementem refrigerationem sequi frequẽter solent. Vnde Auicenna.1.4. capit.4. Si cum sanguine (inquit) pituitosi humores mixti sint, vbi tamen viscidi & crassi fuerint, forsam venæ sectio eorum crassitiem & lentorem augebit: quare eo casu ab alui ductione incipiendum erit: atque hæc mala à sanguinis missione, quando humor pituitosus redundat, proueniunt. Si verò humor qui superabundat biliosus extiterit, qui vtique, vt Galenus ait, excessu caloris prouenit, æger, secta vena, ad calidorum ebullitionem deducetur; propterea in febre ardente, apparente vrina subrubra, sanguinem mittere præcepit Auicẽna: contra verò, tenui atq; ignea exi-

Quando à venæ sectione cauendum.

4.1.capit.10.

stente, à venæ sectione esse temperandũ censet, ea sane de causa, quia talis vrina bilis dominium ostendit, in quo tutà non est sanguinis detractio, vt ex Galeno liquet lib. 6. epid. part. 3. comment. vltimo, dicente, venæ sectioné impediri propter humorem biliosum abundantem. Atque his quidem præceptionibus instructus medicus in vitio ex cacochymia & plenitudine comisto, cacochymia valde plenitudinem vincente, quid agendum sit facili negotio intelliget. Quod si in vasis fortè pares vires plenitudinis & cacochymiæ deprehendantur, aut cacochymia supra plenitudinem parum sit adaucta, vel è cõuerso, videri alicui posset se ab vtrolibet euacuationis genere, nullo delectu posse inchoare: verùm si antiquorum placita & rationem ipsam penitius consideremus, inueniemus certe in præfato exemplo à venæ sectione esse exordium sumendum. Quod in primis Auicennæ testimonio constat. 4. 1. cap. 4. non longè à principio, quo loco in hunc scribit modum: Vbi autem venæ sectione & alui ductione opus fuerit, veluti veratro vel alijs valentioribus medicamentis, tunc à venæ sectione inchoandum est; hoc enim est Galeni præceptum in comment. in libr. Hippoc. de mor-

Cũ in vasis pares vires plenitudinis & cacochymiæ deprehenduntur, quid agendum.

morbis popularibus, veritati valde consonum. Et deinceps subscribit: Si humores æquales inter se fuerint, præpone sanguinis missionem, deinde aluum deijcito. si verò inæquales, prius humorem exuberantem educas oportet, donec ad æquabilitatem deducantur, deinde sanguinem mitte. Docuit hoc sanè manifeste Galenus lib. 6. epid, part. 1. comment. 6. prope finem, dicens: Quod si vtroque auxilio ipse homo indigeat, à venæ sectione incipiédum esse patet. Et lib. 4. de victu acutorū com. 21. id ipsum Hippoc. confirmat, namq; de morbis qui vtrunque auxilium efflagitát, loquens, sic scribit: Venę sectio in his præferenda venit. Et in fine cõtextus subdit: Si verò postea medicaméto opus est, sane id post sanguinis missionem securè porrigitur. Quæ verba enarrans Galenus, inquit; morborū qui prius sanguinis egent missione, deinde ab ea purgari expostulát catalogum facit. Et lib. 4. de sanit. tuenda cap. 4. de eisdem morbis verba faciés, postquam venæ sectionis mentionem fecit, ait; Dein deijcere, vt dictum est, aluum oportet, ratione habita de abundantis succi copia pariter & specie. Paulus itidé libr. 2. cap. 40. in eandem deuenit sententiam, dum inquit: Vbi autem vitiosus humor

duntaxat afflixit, purgandus æger est: si vtraque cocat, ambabus vtere euacuationibus, sanguine prius misso. Aetius similiter libr. 2. serm. 1. capit. 100. de corporis affectibus differens in quibus vtrunque competit auxilium, dicit: Ambobus auté concurrentibus, vtrisque euacuationibus vtendum est, primum venę sectione, postea purgatione. Ex quibus clarè intelligitur secundum antiquorum placita, quando vtriusque auxilij par inest necessitas, à sanguinis missione incipiendum esse. Sed quod medendi ratio id ipsum etiam exposcat, patet, quia hæc ab eo exordium ducere iubet sine quo alterum tutò exequi non potest. Quapropter cum nimia vasorum plenitudo obstructiones excitet, atque idcirco purgationibus obsit; cũ que etiam medicamétum & calore & trahendi facultate humores exagitet, perturbetq; corpus, id sanè si plethoricũ est, in grauius discrimen adducit. Adde, sępe, vt. 4. 1. capit. 4. scribit Auicenna, ex pharmaci assumptione vbi venę sectione opus erat, febrem vnà cum perturbatione excitari, quæ si opportunis remedijs non sedetur, tunc pro comperto erit sanguinis missionem necessariã fuisse: Quo circa tũc ratione sanè optima venæ sectio præmittenda est,

Quando vtriusque auxilij par inest necessitas, à sanguinis missione est incipiendum.

Medicamentum purgans humores exagitat, & plethoricũ corpus perturbat.

da est, vt plenitudo minuatur, quæ iam imminuta, & corpore per sanguinis detractionem prius vacuato, pharmacum exhibitum, venas & arterias & reliquos corporis meatus tum conspicuos, tum sensui occultos, laxiores ac patentiores inuueniens sine vllo impedimento suam vim in totum corpus diffundit: & humores per spatia inania facilius confluunt & in ventrē dilabuntur: vnde purgatio felicius succedit, vtpote quæ sponte citra pharmacum ipsa solet missionem sanguinis subsequi. Plurimis enim protinus à venæ sectione aluus humectatur, aut vomitiones vel sudores succedunt, quæ omnia Galenus in illo iuuene cui vsque ad animi deliquium sanguinem detraxit, contigisse. 9. metho. capit. 5. commemorat. Accedit eò quòd plenitudine euacuata, corpus melius peruentilatur, spiraculis reseratis ac adapertis, attracta per ipsa aerea substantia refrigerante natiuam caliditatem, & per eadem foras emissis fuliginosis recrementis: quo fit, vt natura tunc humoribus eo quo inter initia modo dominetur, nec putrefieri eos sinat. Itaque in plenitudine æqua mensura cacochymiæ complicata, primū quidem venæ sectione mox purgatione

vacuandum est; detracta enim multitudine, corpus ad purgationem conuenienter præparatur, ob id quòd refrigeratum est, & ob id etiam quòd ad humorum in ventrem delationem aditus patent. Parcius tamen atque restrictius in hoc casu quàm in simplici plethora sanguis mittendus est, tum quia cacochymiæ quæ superest, non venæ sectio sed purgatio est accõmodata, tum etiam vt vires ad sequentem vacuationem quæ per pharmacum futura est, validæ seruentur, nec copiosa sanguinis missione deijciantur: omnium tamen parcissime in pituitosa plenitudine, qua naturæ inclinatione sanguis in pituitam vergit, aut in fluentis pituitæ vitio contaminatur, detrahi sanguis debet, & quòd virium imbecillitas magna ex parte illi comes sit, & quòd minime refrigerationem efflagitet, quoniam frigore non mediocri pollet. Quapropter qui non sensim & partite, sed affatim & copiose id facit, reliquã cruditatem vix vnquam cõcoquet, eritq; metuendum ne ægrum interitus discrimini obijciat. Melancholica plenitudo minus quàm pituitosa, magis tamen quàm biliosa sanguinis missioni aduersatur: cũ enim non immoderate calida censeatur, illi, refrigerium calorisque detractio non

Plenitudinis euacuatio, corpus ad purgationẽ præparat, idque conuenienter dispositũ.

Cur in pituitosa plenitudine parcissime sanguis mitti debeat

parum

parum obest, biliosæ autẽ prodest. Quod si in ea occasione aliqua vena secatur, vicibus multis ac partite magis, potius quam vniuersim sanguis detrahi debet, quemadmodum Auicenna.1.4.cap.20.his ostendit verbis: sanguis melancholicus crebrã expostulat venæ sectionem, quæ tamen confidentius non adhibeatur etiam si euidens statim sequatur leuamen, nam ingrauesce postea in senectute morbos præcipitat veluti paralysim & apoplexiam. Cæterũ anteaquam ab hoc capite discedam considerandum censeo, supra Auicennam non simpliciter dixisse, vbi venæ sectione & alui subductione opus fuerit, sed orationi adiecisse, veluti veratro vel alijs valẽtioribus medicamentis tunc à venæ sectione esse inchoandũ, innuens clarissime quòd si æqualis adsit necessitas sanguinis missionis & exhibitionis medicamenti vehementis, à sanguinis missione nos incipere debere, non tamen si par adsit necessitas sanguinem detrahendi & exhibendi medicamentum leniens, nam hoc casu à lenitione auspicandum est. Qua de causa clyster sanguinis missionem solet antecedere, vt intestina à prauis humoribus & à fæcibus eluantur. Hoc Auicenna monuit, dicens: A cibi quoque repletione à venæ incisione

Auicennæ locus explicatur.

4.1. capi. 20. post mediũ.

ne abstinendum est, ne venæ incoctam aliquam materiam trahãt loco eius quod per eam vacuatur. Quin etiam præter ciborum cruditatem, aduertendum est, nũ multa excrementorum copia ventriculũ vel intestina vrgeat, nam si ita deprehensum fuerit, vomitione prius ventriculus vacuari debet, aluus verò vel clystere, vel alio quouis modo. Cui sententiæ subscribit Auerroes libr. 7. collect. capit. 1. dum inquit: Non debet fieri phlebotomia nisi post corporis mundificationem. Et hoc est, quia quando venæ à sanguine sunt euacuatæ, sugunt superfluitates malas ad nutriendum ineptas, & ab his malam adquirunt temperaturam. Idem Rasius & Auenzoar alijque plerique literis prodiderunt: qui sanè cuncti ex Galeno sumpsere libr. 9. metho. capit. 5. vbi in hunc scribit modum: Si præcedat ciborũ cruditas, tanto tempore differre venæ sectionem iubebis, quantum satisfacere, tum ad eorum coctionem, tum vt excrementa descendant, videbitur: quod faciendum est, dummodo malũ nõ valde vrgeat, nec propere mortis periculũ minetur, nã tunc prius sanguinẽ mittere expedit, mox aluũ subluere; quemadmodum in phreniticidis curatione præcepit Auicenna. l. 3. tract. 3.

Rasius lib. 9. ad Almanso-rem cap. 21. Zoar. 1. Theisir tract. 8. c. cap. 18.

cap.

cap.3. inquiés: Et postquam phlebotomaueris eum, tunc oportet vt ipsum clysterices clysteri valde leni. Quod itidem in morbo laterali Hippocrates fecit lib.4. de ratione victus in morbis acutis tex.75. Vna de Auicenna.4.1.cap. 20. iuxta finem capitis: Illud scire oportet (ait) venæ sectionem duo tépora habere, vnum electum, necessarium alterum: electum sane est matutinum, orto iam sole, post absolutam ciborum concoctionem, & superfluitatum excretionem: necessarium verò tempus est dũ vrget necessitas, ita vt differri nequeat, neglectis omnibus quæ eam prohibeant. Hæc Auicenna, verum tamen cùm res nulla vrget, nec symptoma aliquod premit, priusquam sanguis mittatur, molli clystere vacuanda aluus est. Quòd si quispiam clysteris iniectionem admittere vllo pacto noluerit, huic anteaquam vena secetur, leniens medicamentum bibendum aut deuorandum præbemus. Hoc tamẽ in loco haud ab re erit pharmaci vehementiæ virium vel quantitatem definire, nam hæc pro cacochymiæ loco & qualitate, discrimẽ haud exiguum subit. In ventriculi & intestinorũ cacochymia, medicamenta sunt decernẽda quæ modicè purgent, sic (quẽadmodum

Venæ sectionis duplex est tempus.

Lib. 7. meth: cap. 11.

dum Galenus docet) vt eorum vis supra ventriculi & intestinorum loca non ascendat, aut si quid vltra, vasa tantùm quæ in mesenterio sunt, contingant: annitimur enim vt affligens humor solummodo excernatur, non aliunde in affectam partem alius denuo attrahatur. In reliquę primæ regionis cacochymia vt pancrearum, lienis, concaui iecoris, maiorum virium medicamenta eliguntur; & adhuc multo maiorum in hepatis gibbo & venarum cacochymia, sed valentissima sunt vsurpãda in vitiosis succis habitum corporis & articulos infestantibus. Et tandem pro quantitate recessus vitiosorum succorum à ventris cauitate vehementiæ medicamenti adaugetur modus: quoniã virtus in propinquo valentior est, & quo plus indistans procedit, tanto magis ac magis elãguescit. Hac de causa in arthritide, coxendicum ac pedũ doloribus, fortia medicaméta decernimus, cuiusmodi catapotia fætida, arthritica & hermodactilorum habentur. Pariter etiam attendenda est cacochymię qualitas, nam si infestans humor, tenuis aut serosus fuerit, leui negotio à corpore deturbatur, difficili verò si fuerit viscidus, crassus atque terrenus. Quo circa probè à Galeno dictum est, flauę quidem bilis vacua-

Lib. 14. metho. cap. 17.

tio

tionem facillimã esse, è contrario autem pituitæ, & præsertim eius quæ crassior & glutinosior est: itemque nigræ bilis difficillimam, quo magis purgantis præsidij ope indigent: quia igitur atra bilis ægrè vacuatur, ideo proprium illi est vt solutu difficilem committat affectionẽ: humor enim iste (quemadmodum ait Galenus) vtpote crassus terrenusque, adeo infarcit membra quibus conditus est, vt difficulter excernatur.

Lib. 2. prog. com. 46.

Quæ anni tempora purgationibus opitulentur, & quæ aduersentur.

CAP. IIII.

EX temporibus anni, quædam ad purgandum sunt apta, alia inepta. Purgationibus conueniens tempus est ver, deinde autumnus: disconueniens æstas habetur, & post æstatem hyems. Hæc duo tempora minime purgationibus esse accõmoda, imprimis Auicennæ testimonio probari non obscure potest, is nanque lib. 1. sect. 4. cap. 3. sic ait: Tempus item anni supra modum calidum aut frigidum, purgationem non admittit. Et consequenter scribit: Ad hæc regio meridionalis admodum

Cur regio admodum calida ad purgãdum non parum obest.

dum calida, non parum obstat, cum enim purgantia medicamenta maiori ex parte sint acria & calida, coniũctio duorum calorum intolerabilis est, nã & vires in eiusmodi regionibus sunt imbecilles & laxæ, & calor exterior humores è corpore foras euocat, medicamentum verò intro trahit, quare varia fiet attractio & veluti quędam pugna. Septentrionalis quoque multum frigida eandem vetat. Et postmodũ cap. 5. eiusdem partis inquit: In tempore etiam quo canis maior exoritur, nec non in eo quo niues in montibus consident, in vehementi. s. calore & frigore, non est purgationibus vtendum. Quod multo ante Auicennã docuit Hippocrates apho. 5. sect. 4. dicẽs: sub cane & ante canem difficiles sunt purgationes: quã sententiã vt rectius assequamur, aduertẽdum, duo in cœlo (vt astrologi perhibent) sydera esse, seu duas stallarum constellationes, vnã canẽ maiorem, alteram minorem vocitant: maiorem canem ex. 29. stellis constare, minorem ex duabus duntaxat. Rex Alphonsus memoriæ prodidit: Maior, stellam habet in mandibula, quam caniculam latini, Græci vero σείριον nuncupant, vt ex Galeno constat lib. 1. epid. p. 1. com. 1. vbi sic ait: Canicula stella est illustrissima, cuius

Canis maior & item minor ex quot stellis constet.

cuius ortus in æstatem incidit, quã Græci ὀπώραν vocant, & hanc itidẽ aliqui nomine abutentes totius syderis, canem etiam nominãt, atque vniuerso syderi canis est nomen: stellæ verò quę in eius est mãdibula caniculæ, quam rectè προκύων idest antecanẽ non canem appelles. Hæc Galenus. Ab hoc sydere dies caniculares sunt dicti, qui secundũ eiusdẽ Galeni opinionẽ lib. 2. de aliment. facul. in initio, & li. de documẽto pueri epileptici, prope finẽ. 40. sunt, viginti quidẽ ante, totidem q; post cãiculæ exortũ. Exoritur sydus hoc Plinij testimonio, ardentissimo æstatis tempore, sole primã partem leonis ingrediente, quãquam pro varietate locorum, hic exortus à quibusdam varius constituatur. Quantam verò illud rebus terrę afferat mutationẽ, cuiuis notum est: nam vt idem Plinius scribit, hoc exoriente feruẽt maria, accenduntur solis vapores, fluctuant in cellis vina, mouentur stagna, canes etiam eo tempore maxime aguntur in rabiem. Dubitant medici quid Hippocrat. intelligat per antecanem, dicentibus nonnullis, per illum Hippocratem intellexisse minorem canẽ qui ante maiorẽ exoritur, alijs stellã illã in mandibula maioris canis existentẽ q̃ peculiari nomine σείριον vel προκύων, hoc est

Lib. 18. c. 28.

Lib. 2. c. 40.

est ante canem appellant, quæ etiam ante vniuersam cõstellationem oritur, siue ab ipsius constellationis initio. Quibusdam etiam videtur, ante canem tempus esse quod est ante maioris canis exortum: cunctis (iudicio meo) bene dicentibus, nam omnibus hisce temporibus ingentissimi æstus infestant, vt vnius cuiusque eorum naturam consideranti, pariterque experiẽti, fiet manifestum. Quod itidem Galenus confirmare videtur, nam lib. 6. epide. p. 4. com. 44. tempora quæ sunt prope canis ortum, admodum calida esse protulit, atque ob id in eis à sanguinis missione cauere præcepit. Et in eodem lib. p. 2. com. 7. In canis ortu semper (inquit) solent vigere febres ardentes, quia sydus hoc, corpus impẽse calfacit. Et 5. aphor. sect. com. 62. sub cane semina iactata non nasci ob caliditatis & siccitatis excessum, scriptum reliquit. Sed quod sirio ex oriente id etiam eueniat, Virgilius plane significauit dicẽs

Lib. 10. Æneid. parũ ante mediũ.

Sirius ardor
Ille sitim morbosq; ferens mortalibus ægris
Nascitur, & læuo contristat lumine cœlum.

Et alibi.

Li. 3. Æneid. post principium

Dum steriles (inquit) exureret sirius agros,
Arebãt herbæ, & victũ seges ægra negabat.

Quod itidem etymologia ipsius manifestat

ſtat, dicitur enim σείριος à verbo σειριάω quod excicare ſignificat, quoniã hac ſtella oriente ob nimietatem caloris omnia exiccantur quę in terra ſunt, vnde ſerenita tem adeſſe dicimus cùm aer exſuccus eſt, nubium ac pluuiarum expers. Atque hoc Plinius innuere voluit lib. 10. capi. 67. dũ inquit: Salamandra animal eſt lacerti figura, ſtellatum, nunquam niſi magnis proue niens imbribus, & ſerenitate deficiens. Et rurſus li. 11. cap. 24. ſubdit: Aranei ſereno non texunt, nubilo texunt: quibus in locis ſerenitatem nubilo & imbribus oppoſuit, intelligens per ſerenitatem claritatẽ & nubium ac nebularum vacuitatem. Ali qui ſerenitatem à ſerendo dici malunt, quòd id maxime tempus ſationi ſit aptũ. Sed his omiſsis, ad propoſitum redeamus. Dixit Hippocrates, ſub cane & ante canẽ purgationes eſſe moleſtas, non quod per ſe (quẽadmodũ opinatur Manardus) ſydus hoc purgationibus aduerſetur, ſed propter ingentem calorem qui eo tempore fatigat, dicente in apho. com. Galeno, exuſtam eo tempore naturam noſtram, purgantis medicamenti acritudinem non ſuſtinere. Exuritur autem eo tempore natura, eiuſdem Manardi ſentẽtiâ, nõ quòd ſtella canis vocata adurendi vim aliquam

Lib. 15. epiſt. epiſtola. 5. in initio.

habeat, sed ex accidenti id nostro aeri cõtingere, quia dum illa oritur, sol & vertici nostro magis propinquat, & in nostro hemispherio longiorem moram trahit: nã si propria id Sirij vi fieret, ijs qui ad antarcticũ polũ eadem qua nos ad arcticum vergunt inclinatione, eosdem quos nobis calores iacularetur, cùm tamen eodem tempore ijdem maxime algeant quo nos maxime æstuamus. Ex quibus clarè intelligitur causam cur sirio exoriente laboriosæ sint purgationes, ad aerẽ referri qui tunc maxime calet. Si enim per id tẽpus aer nõ adeo calidus foret, liceret quoque per illud citra laborem corpora purgare: quẽadmodum si alio tempore ingens ardor ingrueret, in eo etiã medicationes difficiles fore erit omnino necesse. Sunt nanq; purgantia cuncta medicamenta Galeni testimonio, potentia calida: quapropter exusta ab ambientis æstu natura illorum calorẽ ferre non poterit, quia calidum calido additum furere ipsum facit: vnde concitati æstus iniuria humores vehementer efferuescunt, febremq; incendunt. Adduntur & aliæ causæ à Galeno in enarratione iã dicti aphorismi cur purgationes sub cane & ante canẽ sint laboriosæ atque difficiles. Prima, quia natura ex nimietate caloris imbe-

Causa cur sirio exoriente laboriosæ sint purgationes ad immodicum aeris calorem refertur.

imbecillis reddita, magis ex purgatione dis
solvitur. Altera, quia calor aeris ambientis
in partem trahit exteriorem, contrariam
ei ad quam medicamentum ducit humo-
res: sicuti enim balneæ calidæ naturâ aptæ
sunt obsistere purgationibus, sic & calor
æstatis; & tunc præcipuè cùm seipso vehe-
mentior extiterit. Has easdem causas trad
didit Auicenna.4.1.cap.3.sub hac verbo-
rum serie: Ad hæc regio meridionalis ad-
modum calida non parum obstat, cum
etiam purgantia medicamenta maiori ex
parte sint acria & calida, coniunctio autē
duorum calorum intolerabilis est; nam &
vires in eiusmodi regionibus sunt imbe-
cillæ & laxæ, & calor exterior humores
è corpore foras euocat, medicamentum
verò intro trahit, quare varia fiet attractio
& veluti quædam pugna. Ex quibus cla-
rè intelligitur vnam atque eandem esse
Auicennæ & Galeni sententiam: nec ob
stat, hunc de anni tempore verba facere,
illum verò de regione, quia hęc duo si-
mul ac cœli status à medico cōsiderantur
secundum alterationē quā aeri inducunt,
vt ex Galeno constat lib.9.meth. capit.5.
in hunc modum scribente: Voco cœli
statū ipsam ambientis nos aeris tēperatu-
rā, sub qua & anni tēpus & regio cōprehē
ditur,

Easdem causas, cur sub cane & ante canē purgationes sin difficiles, tradidit Auicenna quas Galenus attulit.

ditur, quando horum quoque vtrunque ex ambientis temperie indicationem mutuatur: secundùm quod ab Hippocrate dictum est, In temporibus quando eadẽ die modo calor modo frigus fit, autumnales morbos expectare oportet. Traditæ causę sunt ob quas ęstatis tẽpore, regione ęstuosa, & cæli statu simili, purgationes infestæ sint: nec tamen ex his medicus colligat, tunc illas faciendas nõ esse, nec enim hoc voluit Hippo. nec id inuenit ratio: nã Hippoc. sub caniculæ feruoribus purgationes haudquaquam prohibuit, sed id tantum dixit, hoc tempore eas esse difficiles ac laboriosas. Malũ est laboriosè & cũ difficultate purgare, peius verò à morbi grauitate & vehementia sinere hominem trucidari: si enim purgatio tantum esset præcautoria, certe tunc eam non exerceremus, sed conueniens aptumque tempus ad eam obeundam eligeremus: verùm cùm morbus acutus ad pernitiem properet, ob idq; ægrotans moram non patiatur quin protinus ei vehementi remedio succurramus & si cũ discrimine aliquo, purgamus quidem tunc vt ægrum à manifesta pernitie liberemus. Sed nec cùm Galen. libr. 4. de victu acutorum com. 19. aere abunde calido & sicco existente, à sanguinis missione ab-

Aphor. 4. sect. 3.

ne ab-

ne abstinendum dicit, etiam si morbus magnus fuerit, vigensque ætate homo, vult omnino nihil esse detrahendum, sed moderandam tunc potius fore euacuationem, hoc est, non esse tantum euacuandū quantum exigit affectio, sed aliquid potius ambientis dispositioni esse relinquendū, cuius causa corpus dissoluitur, humores dissipantur, & ægrotantis vires debilitantur: quia eodem docente, calor circum fusus omnia euacuat æqualiter, materiam inutilem, & ea etiam quæ in animali secūdùm naturam continentur vna digerens, per eam quæ à medicis occulta diffiatio nominantur. Hac de causa æstate parcior purgatio moliri debet, & medicamenta minus valida sunt adhibēda, quod nostris temporibus multo melius quàm Hippocratis æuo fieri potest, quia nos medicamenta habemus quæ tuto & sine molestia ardente æstu exhiberi queunt, qualia mel aereum (mannam vocant) interaneus siliquæ ægyptiæ liquor, oxyphænices & rhodosaccharum alexandrinum, syrupusq; rosatus solutiuus ex solo succo & saccharo paratus, pluraque alia quæ interdum quantum satis est euacuant, cum tamen sæculo Hippocratis hæc medicamenta cognita non fuerint, sed vehentia tantùm

Lib. 3. aphor. com. 15.

& quæ potentia calida existunt. Auicenna 1.4.cap.5.prope finem, ijs qui æstate deiectorijs medicamentis egent, septentrionalem ventũ obseruare consuluit, vt ex eius frigiditate, temporis ingens calor aliquantulũ tepescat ac remittatur. Quòd si morbi acuitas & vehementia id non patiatur, alterari tunc aer debet, & pro calido arte cõtrarius induci, eo modo quo docet Galenus libr. 10. meth. capit. 8. subterraneis inuentis domibus, & quæ frigidissimæ sint, & maxime perflatę, ac ad septentriona versæ. Tum aureis quibusdam quæ ipsis suauissimæ sint operâ nostra paratis, alias ex euripo in quem se deijciant multi aquarum fontes; alias aqua frigida de vasis in vasa transfusa. Iam hoc statim etiam somniferum est. Præterea domo assiduè aqua, quæ prorsus frigida sit, aspersa, ac rosis plurimis humi fusis, aut vitium capreolis, aut ruborum summitatibus, aut lentisci ramis, aut denique reliquarum quæ refrigerent stirpium aliquibus. Turba quoque hominum ingredi prohibita; nam id quoque domum calefacit, atque ita quidem calidissimum aerem qui scilicet in æstate calida & sicca accidit, refrigeramus & ad temperiem reducimus. Quare non est admodum in hoc tépore

Quo pacto aer calidus, arte frigidus fiat.

pore formidandum venā secare, aut purgationem adhibere, præsertim cū clementioribus (qualia paulo ante dicta sunt) medicamētis exercetur, & morbus ea ipsa efflagitat. Hic tamen nō silcā Antoniū Musam illos audiendos nō esse arbitrari qui per ante canem profundā hyemē intelligunt, ex eo quod hæc æstuoso caniculæ tempori contraria sit, & πρὸ enim contra significat. Verùm (ni fallor) huius sententiæ fuerūt Serapio & Auicenna nam ille cap. 272. de colocynthide verba faciens inter alia sic ait: cauēdum valde est ne colocynthis detur in potu, tempore magni frigoris vel magni caloris: nam ista sunt duo tempora in quibus nos docet Hippocr. in suo aphorismorum libro, medicinam laxatiuam dandam non esse atque hæc Serapio; Auicenna rursus lib. 1. sect. 4. prope finem capitis quinti sic scribit: In tempore enim quo canis maior exoritur, nec non in eo quo niues in mōtibus consident in vehementi scilicet calore & frigore, nō est purgationibus vtendum. Quo in loco licet canis tantum maioris visus sit mentionem facere, ante canem non omisit, intelligens per illum non constellationem cœlestem ex duabus stellis constantē, nec stellā quæ in mādibula canis maio-

Lib. 4. aphor. com. 5. prope finem

Auicennæ locus explicatur.

ris continetur, quamque [illegible] seu [illegible], diximus appellari, sed potius rigidam hyemem quæ æstibus canis maioris contraria est, in qua purgandum non esse non solũ censet Auicenna, sed & Hippocrates ipse, nã lib. de aere, aquis & locis cap. 6. ait, maximas anni mutationes valde cauendas esse, nullumque libenter medicamentum in his esse dandum: maximas autem anni mutationes, frigidissimam esse hyemem, & æstuosissimam æstatem, neminem fore arbitror qui ambigat; hyems enim ob id purgationibus inepta est, quia humores frigoris vehementia torpescunt, crassioresque ac viscidiores redduntur, quo fit vt medicamentis eos trahentibus non cedãt, sed impacti & immobiles obsistãt, ob idque difficulter euacuentur: viæ pariter per quas illi educi debent, ob frigoris inclementiam densantur ac coarctantur, quas ad facilem purgationem reclusas adapertasque esse oporteret. Quocirca prudenter Auicenna, hyeme deiectorio medicamento egenti, ventum obseruare meridionalem præcepit, quia hoc flante vt. 2. 1. doct. 2. cap. 10. idem autor testatur, corpora laxantur ac patentiora redduntur, & humores fluentiores & fluxibiliores fiunt ex quibus facilior ac felicior consequitur

Cur hyems purgationibus obsistat.

1.4 capi. 5. in fine.

pur purgatio. Quod si Mesues turbit assumēti, Austrum vitare consuluit, ob id est, quia cum pharmacum hoc corpora maxime conturbet, & humores commoueat ac exagitet, & caput aggrauet, veretur eam quæ ab austro accedit turbationem, dicente Hippoc. aphor. 5. sect. 3. austrinos flatus auditum hebetare, caliginem visui offundere ac caput grauare. Timet etiā ne meatibus ab austro plus iusto laxatis, immodica sequatur purgatio. Sed cur idē Mesues Borea flante mirobalanorum vsum prohibuerit, causa est quia mirobalani comprimendo euacuant: & flatus similiter aquilonius corporis meatus viasque omnes per quas purgatio fieri debet condensat atque cóstipat: quo fit vt Hippocrate autore, aluos duras reddat: vnde duabus causis coeuntibus ac simul iunctis tanta aderit in corpore adstrictio & constipatio vt inhibeatur purgatio. Poterit etiam aquilonia constitutio cum præpollet, fluxiones etiā comprimendo & exprimendo excitare, quapropter per hos flatus, qui prompte fluxionibus tentantur, purgandi nō sunt. Conueniens tamen purgationibus tempus ver existit, vt Hippocrati visum est aphor. 47. sect. 6. dicenti: Quibuscunque venæ sectio vel medicatio conuenit, hos

Aphor 5. sectio. 3.

vere purgare vel venam incidere oportet. Per ver astrologi intelligunt totum tēporis spatium, quod est ab æquinoctio vernali vsque ad solstitium æstiuale. Fit nunc æquinoctium vernale. 20. Martij die, solstitium verò æstiuale. 21. Iunij: aut intelligūt tempus illud quo sol quartam signiferi circuli partem lustrat, quæ est à primo arietis gradu vsque ad vltimum geminorū, hoc est à. 20. die Martij vsque ad. 21. Iunij, quod idem est; sic reliqua tēpora (æstatem dico autumnum & hyemem) ratione seu motu solis, per vnamquāque Zodiaci quadram constituuntur ac constant; nam vt lib. 3. de diebus decret. Galenus docet, veris, æstatis, autumni, & hyemis auctor alius nemo præterquam sol extat. Apud Auicennam verò. 4. 1. capit. 5. in fine, ver intelligitur quando niues de montibus descendunt, quod æstas subsequitur. Et. 2. 1. doct. 2. capit. 3. secundum medicos, ver in regionibus temperatis esse ait tempus in quo vestimenta non sunt adeò necessaria causa frigoris, vt eorum multa cura habenda sit, nec ventilatio & refrigeratio causa caloris, arboresque frondescere incipiunt: quod tēpus sanguinis missioni & purgationi aptissimū esse censet Hippocrates, quem cuncti medici

Quid per ver astrologi intelligant.

[illegible]

Quod tēpus ver à medicis vocetur.

dicisequuti sunt, idq; ratione sanè optima, quoniã tũc non adest caliditas quę nimis laxet aut corporũ dissolutionẽ moliatur, nec frigiditas quę adstringat & euacuationes prohibeat, nec inequalitas quæ vires perturbet, sed potius mediũ tẽperamentũ medicationibus accõmodũ, propterea q; vere purgare & venã secare magis expedit quã in temporibus cæteris. Verũ in his hæc adhiberi distinctio debet, si enim morbus aliquis pręsens vrgeat quẽ vel per sanguinis missionẽ vel per epotũ pharmacũ sanari efflagitat, quia occasio præceps existit, illico secãda vena & medicamẽtũ sumendũ est, nec expectari ver debet, sed potius hæc sunt exequẽda quo tẽpore eis indiget dispositio. Nec ab his diuersum Hip. voluit cũ dixit: Maximè autẽ obseruare oportet magnas tẽporũ mutationes, vt nec medicamẽta in illis libentes exhibeamus: nã medicamẽta exhibere libẽtes nihil certe aliud est q̃ illa dare eo die quo nulla ad id pręsente necessitate impellimur, quasi ea exhibere permittat quãdo aliqua premit necessitas etiã si mutatio talis ingẽs tẽporũ aut astrorũ fiat. Quo circa idẽ Hip. in prefato aphorismo nõ de his loquitur qui actu ęgri sunt & ptin⁹ curari egẽt; verũ, vt interpretat Gale. de illis poti⁹ qui

Cur ver purgationibus accomodum.

Lib de aere, aquis & locis cap 6.

In citati aphorismi enarratione. Lib. de curandi ratione per sanguinis missio. cap. 7. & sect. 6. aphor. com. 47.

Galeni commentarius interpretatur.

qui sani adhuc sunt, sed ægri futuri nisi curentur; quos ipse iuxta Hippoc. præceptum, vere adueniente euacuare anticipans (vel per venæ sectionem, si plenitudinis malis subijciebantur, vel per purgationē, si eis quæ ex cacochymia proueniunt, ob noxij erant) sanos incolumesque seruabat qui longo ante tempore singulis annis morbis corripiebantur. Ceterum non sine discrimine effici hoc debet, sed si morbus qui in æstate futurus timetur, tertiana febris est (teste Galeno) circa finem veris purgandus homo est, quia bilis vsque ad tempus illud prouentum nondum habet, veruntamen post vernum æquinoctium ea iam incipit generari, propter tēporis calorem, sic vt veris fine genita iam sit, si quidem vltima veris pars æstatis quodammodo naturam sapit. Verùm qui morbum comitialem, apoplexiam, melancholiam, arthritidem, coxendicum dolorem, & item nephriticum, aliosue huiusmodi affectus à frigidis, crassis, aut viscidis humoribus ortum ducentes, patiuntur (Galeni decreto) debent in veris initio euacuari, eo quòd ex præcedenti hyeme dicti humores producti iam sunt, & non oportet diutius expectare, sed præstātius est eos è corpore illico extirpare anteaquam commo-

uean-

ueantur & ægritudines inferāt, quas affer re naturâ apti sunt. Quod faciendum arbi tror quando in fine veris aliquem morbū ex dictis inuasurum timemus, nam si in æstate futuri timeantur, melius est in fine veris aut saltim verno æquinoctio, quod 20. die Martij fit, iam transacto, curationē inchoare, eo quod hoc tempore luculentior calor nostrum hemispherium occupat, qui horum malorum sanationi summopere opitulatur, frigidos humores calfaciendo, crassos attenuando, viscidos dissoluendo, & meatus omnes per quos educi debent, reserando. Quòd si qui supersint euacuādi; ęstas succedēs, illos facili negotio dissipat ac resoluit. Atq; hæc causa est cur in mense Maij chronicis morbis, vt gallico, comitiali, febri quartanæ, resolutioni, coxendicū dolori alijsque huiusmodi medeamur. cum tamen prima veris pars hyemis naturam reseruet, atque ob id frigidior existat quam vt prædictorum malorum curationi conueniat. Post ver ad purgationes obeundas secundum locum autumnus obtinet, nam licet frigidus sit & inæqualis, tamen non tanto frigore vt hyems pollet, nec tanto vt æstas calore, atque ob id Galenus quendam qui singulis annis in melancholiam incidire solebat non

Cur mense Maij chronicis morbis medeamur.

Lib. 6. aphor. com. 47.

non verè tantùm sed & autumno etiã purgabat: quod si ex contemptu aliquando purgationẽ omiserat, sicut morbũ nõ anticipauerit, mali symptomata æger persentiebat. Verùm illi quos hoc tempore nihil aliud impellit ad sumendum medicamentum purgans, præterquam sanitatis tuitio & à morbis præseruatio, Auerrois consilio libr. 7. collect. cap. 4. illud sumere debent postquam pluerit, & non ante, eo quòd pluuiæ retundunt atque hebetant ambientis siccitatem ob quam viæ conniuebãt, & humores ad motum inepti persistebant; imbre verò aduentãte, viæ laxãtur & humores diluũtur, ac liquidiores fluxibilioresque fiunt; vnde non multo negotio à corpore expelluntur: gaudet enim expulsio (si Auicennæ creditur) semper humiditate. Atque de his satis.

1.doct.6.

Ad rectè obeundam purgationem, non solum anni temporis, verũ etiam & diei horæque considerationem esse habendam. Cap. V.

CVm purgatio ex eorum auxiliorum sit numero quæ magna existunt, per

petuò

petuò insigne quidpiam ac magnum operatur, & nullo pacto leue paruum ve, quapropter de ea verum est dicere quod semper magnum, vel bonum, vel malum efficit, si rectè administretur, bonum: si perperam sinistreque, malum, idcirco dando opera est vt opportuno tēpore & omnibus, quæ necessariæ sunt adhibitis circunstantijs suscipiatur. Opportunè autē suscipietur, si cum ijs quę dicta sūnt, & deinceps dicentur, diei itidem atque horæ in quibus sumi pharmacum debet, rationē habuerimus. Porrò ratio hæc duplex est, vna astrologica, medica altera: ad astrologicā rationē attinet considerare in quibus siderum aspectibus salubriter purgatio sumatur, & in quibus insalubriter noxieque, vt his euitatis, illos quoad fieri maxime possit obseruemus. Cęterum inter hæc sidera, luna maximam obtinet vim vtpote quæ hæc inferiora magnopere alteret, nō magnitudine quidē, (nā vt Ptolemæus per ecclypses ostendit, terræ diameter quam lunæ ter cum duabus quintis maior est: quare terra tricies nouies maior est luna) sed vicinitate & propinquitate. Atque hinc est (quemadmodum Galenus ait) vt fructus augeat incrassetque, animantia impleat, ad hæc

Purgatio nihil mediocre facit.

Quid ad astrologicam rationem attineat.

Lib. 5. almagesti cap. 16.

Li. 3. de dieb. decret. c. 2.

ad hæc ſtatum tempus menſtruorum mulieribus conſeruet: item comitialium circuitus cuſtodiat, inde quod ſolis plus vel minus participet. Omnia ſiquidem quæ facere nata eſt, vbi falcis figuram repræſentat languida fiunt, inualeſcunt cum plena fuerit. Quapropter & fruges interea adauget & maturat celerrime, ferarum occiſa corpora in tabē aſpectū ſuo reſoluit, ſomnoque ſopitis ſub eius lumine vel aliter diutius immoratis, palloré vel capitis dolorem conciliat: & in purgationibus aut prouendis vel ſiſtendis; aut bonis vel malis efficiēdis plurimum poteſt: quod adepta eſt ex vario cum planetis alijs aſpectu ſeu concurſu. Hinc eſt, vt præcaueāt aſtrologi ne ſit in aſpectu inimico, præſertim Saturni, nimirum coniūctionis, oppoſitionis & quartili, quia Saturnus pharmaci facultatem impedit humores incraſſando & condenſando ineptioreſque ad motum reddendo: eſt enim planeta hic frigidus & ſiccus valde. Quod Virgilius. 1. Georg. ſignificauit dicens:

Frigida ſaturni ſe ſe quo ſtella receptet.

Quapropter ſi eam vicinitatem ad terram haberet quam luna habet, perpetuo eſſet hyems apud nos, verùm creatoris prouidentia factum eſt vt ſibi locus remotiſſimus

mus sit datus, eiq́ue pariter & Marti Iupiter sit interpositus, vt sideris huius benignitate vtriusq́ue vehementia temperaretur. Nec minus etiam ijdem præcauent astrologi ne tempore quo propinari medicamentum debet, luna in aspectu inimico cum Marte existat, coniūctionis scilicet, oppositionis & quartili, quia Mars humores effrænes reddit eos exacuendo, noxiamq́ue motionem in illis promouēdo. Student itidem ne ea die qua fit purgatio luna sit in coniūctione cū Ioue, eo quod Iupiter (Ptolemæo teste) & si opus pharmaci illuminet, facit tamen vt medicamē tum effectum suum non compleat, eo quòd naturæ amicus est, eamq́ue ita roborat vt medicamēti impetus aboleat atq́ue compescat. Student etiam astrologi vt die quo pharmacum sumitur, luna non sit in signis terreis atq́ue siccis, hoc est Tauro, Virgine, & Capricornio, ne stypticitatis & adstrictionis nimietate humoribus ad motum ineptioribus redditis, inhibeatur purgatio. Curant similiter ijdem cùm purgatio imperatur, ne luna sit in signo ruminā te, nempe Ariete, Tauro & Capricornio, timentes ne pharmacum anteaquam munus suum compleat, vomitione reijciatur quam itidem vomitionem succedere di-

In centiloquio verbo 19.

cunt, quando coniũcta illa est cum plane ta retrogrado, qui ob id sic nuncupatur quoniam eius motus retrograditur. Verũ electi ad purgandum dies, astrologorum sententia, per motum lunę in signis aquaticis accipiuntur, huiusmodi sunt Cancer, Scorpius & Pisces: ex hisque, in morsellis sumendis medicamentis Cancer, in potionibus purgantibus, Scorpius, in transglutiendis catapotijs, Pisces primatum obtinere perhibent. Sic cùm humorem melancholicum educere cupiunt expectant vt luna (dummodo cõiunctio excipiatur) sit applicita Ioui: si bilem, vt sit applicita Veneri: si pituitam, Soli, aut Marti: aspectu tamen bono, triãgulari nimirum vel sextili, quia aiunt, contraria à contrarijs temperari ac suscipere curationem. Atque hæc sunt quæ de proposita re nobis astrologi tradunt, verùmtamen medici de eis parum curant, solummodo attendentes ad lunæ cum sole coniũctiones oppositionesque, in quibus à pharmacis abstinent, verentes purgationes in eis sinistrè esse successuras: quo fit vt ad eas efficiendas tempus eligant à secundo à coniunctione die transacto vsque ad secundum ante oppositionem, & à secundo à transacta oppositione

vsq; ad secūdū ante sequētē coniūctionē.

Dubitant nonnulli quo tempore purgandum potius sit, luna crescente an decrescente minuente ve, nam Auicenna videtur innuere, in luminis augmēto id exequendum esse, siquidem. 4.1.capite.21. de cucurbitulis differens, in eum scribit modum: Præcipiunt aliqui cucurbitulis non esse vtendum in principio mensis, cū humores nondum commoti sunt, nec ebullierunt: nec in eius fine, cùm sunt diminuti, sed in medio cùm iam sunt commoti, & in suo incremento insequuntur incremētum luminis quod in corpore lunæ augetur: quemadmodū & cerebri medulla in caluarijs, & aquæ effluentes & refluentes. Hæc Auicenna, quod cùm in cucurbitulis obseruandum sit, multo magis in purgationibus, & sanguinis missione obseruari debet, quia omnibus communis est causa, & ad maiora remedia plures circunstantiæ exiguntur quàm ad minora. Sed & ratio id ipsum innuere videtur, nam tunc humores educi debent, quando sunt ad euacuandum paratiores; tales autem esse censentur cùm commoti atque ebullientes existunt, vt in plenilunio euenit: ergo tunc euacuandi. Nec enim aliam ob causam

 dixit

dixit Galenus; in turgentibus humoribus quempiā rationabiliter pharmaco vti, nisi quia per se habet adiuuantē ad facilius trahendū superabundantiū humorū motū. Verùm si rem exactius consideremus, inueniémus certe, commodius multo, imo cum ægrotantis minori discrimine, luna decrescente nos purgationem obire quā augescente eam administrare: nam licet crescente ipsa, bulliant & commoueantur humores, quia tamen motus iste ad cutē & partes fit exteriores contrarius illi qui à medicamento procedit, id circo nō adeo commodè peragitur vt in decremento, in quo humores ad interiora vergunt, & pharmaci motum sequuntur: quia pro naturæ inclinatione & humoris vergentia moliri euacuatio debet, ad quem enim locum (vt Hippoc. ait) ex conferentibus ille vergit, eò ducere conuenit. Rursus, licet in plenilunio expeditior posit esse purgatio, tutior tamen non est, quia timetur ne humores cōmoti plus ęquo commoueātur, & effrænis fiat euacuatio, aut vt non integrè euacuentur, sed maiorem agitationem adepti in princeps aliquod membrū decumbant, quę pericula in humoribus quiescentibus non eueniunt, aut si eueniunt, non adeo grauia sunt vt in commo-

Lib. 1. de crisibus cap. 9.

1. Aphor. 21.

tis.

tis. Ex quibus clarè intelligitur, melius multò atque securius in lunæ decremento seu senio, vt fieri purgationem, quam in eiusdem adolescentia seu incremẽto. Nec obstat, Auicennam ad cucurbitularum appositionem pleniluniũ obseruasse, quia diuersa ratio est in cucurbitulis ac in purgantibus medicamentis: quia hæc, trahũt humores ab exterioribus ad interiora, illę è conuerso ab intimis ad extima, & hac de causa prinsquam apponantur cutem fricamus calfacimusque vt humores promoueamus & cutem versus euocemus. Adde humores per carnem pigre moueri, vt pote in ipsius meatibus impacti, & per arctas vias educendi, per vasa verò velociter: ampla enim cùm sint, facile per ea ipsa cõfluũt, & refluũt, atq; hæc causa est cur maior ebullitio & motus exigetur in humoribus educẽdis per cucurbitulas, quã in illis qui per pharmacũ educi debent: & ob id si humores crassi sint ac frigidi, vespere cucurbitulas affigimus: si vero sit sanguis & præsertim tenuis, mane, expectantes semper ipsorum humorum motũ qui hisce horis fieri solet. Quare mirandum non est, si Auicenna ad cucurbitulas affigendas lunæ incrementum eligat, in quo humores magis commouentur ac turgẽt

Auicẽnæ sententia interpretatur.

Cucurbitulę & medicamẽta purgantia diuerso modo mouent.

& ad cutem per quam euacuãdi sunt plus efferuntur ac confluunt. Hæc quæ hactenus de astrologica consideratione à nobis sunt dicta, intelligi debent, dũmodo non adsit ex morbo aut ex eius causa vel symptomate indicatio alia quæ vrgeat, & remedij celeritatem efflagitet: nã si adsit, nõ oportet diutius medelam cunctari, aut occasionem, quæ in acutis morbis præceps admodũ est, elabi sinere: nam vt Aretæus vetustissimus autor nos docet, nulla more in pleuriticis datur occasio, quin protinus valenti remedio succurramus; febris enim peracuta ad perniciẽ properat, dolor quoque succingentis costas membranæ in peius vrget, necnon & tussis pectus caputque cõcutiens, vires proterit. Et quod de pleuritide dixit, idem de acutis alijs intelligendum venit; cum enim vi illorum vt Hippoc. scripsit, plurimi hominũ iugulentur, in eis ad sanguinẽ mittendũ aut purgandum non oportet faustos siderum concursus expectare, sed necesse est eadẽ die auxiliũ adhibere nec tardare. Qui præcautioni tãtum student, aut chronicis morbis detinentur, in quibus nihil refert hodie aut cras curationẽ facere, ad eam exercendam expectent tempus commodius; qui tamen acutis laborant, non possunt mini-

Lib. 1. de curatione morborum acutorum cap. 10.

Lib. 1. de rat. vict. in acut. tex. 8.

minimæ huic indicationi quæ ab astris sumitur, multum tempus tribuere. Minimã autem eam esse, ex eo constat, quia à cunctis alijs vrgentioribus illico inducitur atque obũbratur. Et hæc causa est cur antiquiores medici de venæ sectione & expurgatione sermonem instituẽtes, eam silentio præterierint, Ac de astrologica ratione hæc dicta sufficiant: medica verò ex infestantis humoris motu & quiete desumitur, pro comperto habentes, ea die qua noxius humor mouetur purgandum nõ esse, quo verò non mouetur, esse. Ex quibus clarè deducitur, in febribus intermittentibus, die quo fieri accessio debet; & in continuis, quo futura exacerbatio est, pharmacum non esse dandum, sed tantũ die intermissionis & remissionis febris: quod Auicenna nos docet dicens: Et nõ moueas in die paroxysmi aliquid quantum possibile est tibi, nec cures febrem. Et inferius in eodem cap. subscribit: Cum exerces euacuationem, tunc considera horam interpollationis aut horã ipsius tẽporis, aut frigidiorem horam quæ est in die, & nõ euacues per fluxũ vẽtris in die periodi, nec phlebotomes. Hæc Auicẽna, quib⁹ verbis clarè innuit, in die paroxysmi purgãdũ nõ esse idq; multis de causis. Prima,

l. 4. tract. 2. c. 7. non longe à principio.

Cur in die accessionis & exacerbationis febris pharmacum non sit dandum;

quia accessionis violentia natura perturbata agitataque, nec regulare medicamentum nec probe illud in actum deducere valet. Secunda, quia tunc eadem afflicta labefactataque, aliâ noua afflictione lacessenda non est. Tertia, quoniam ex accessione vires redduntur imbecilles; quo tẽpore si purgatio fiat, à medicamento pariter & ab euacuatione forte in tantam prolabētur imbecillitatem, vt vnà cum morbo concidāt, nec deinceps releuari queāt. Quarta, quia per accessiones, febricitantes nimis calfiunt, & maiorem incesionẽ sustinent quam in alijs circuitus partibus; vnde si tunc pharmacum sumatur, in tam immodicam deuenient intemperiem vt eam ferre non possint: sunt enim, Galeni & Auicennæ sententia, purgantia, maiori ex parte, calida & nimis acria, atque ob id Sirio exardente (vt præcedenti cap. fuit visum) non sine noxa sumuntur. Additur & alia, quia die accessionis & exacerbatio tionis febris, humor mouetur à partibus interioribus ad exteriores, & medicamentum contrario motu trahit, quare metus est, ne impediatur purgatio aut ægre difficulterque peragatur, vel è cõuerso, humore exagitato atque commoto, effrenis fiat euacuatio, præsertim quia sæpe natura aut

Galenus lib. 1. apho. com. 24. Auicenna 4. 1. c. 3. non lõge ab initio.

accessionis vehementia irritata aut in eiusdem declinatione, ea quæ infestant solet ad ventrem protrudere, & per aluum euacuare, atque ita accessionem finire. Contingit etiam vt humor commotus nō euacuetur, sed huc atque illuc deerrans in principem aliquam partem dilabatur & inopinatæ mortis sit occasio. Porrò est & alia non contemnēda causa, quoniam crisis in die accessionis seu febris exaceruationis accidere assolet, vt ex Galeno liquet 3. de crisibus cap. 4. dicente: Oportet enim crisim in idem tempus incidere cū accessione. Quod itidem innuere voluit Hippocra. cum inquit: sudores febricitāti si inceperint boni tertio die, & quinto, & septimo, & nono, & vndecimo, & decimoquarto, & decimoseptimo, & vigesimo, hi enim sudores iudicant morbos, talesque fere dies sunt in quibus biliosæ febres repetere consueuerunt, in quibus purgare non oportet, ne crisis impediatur si per sudorē vel sanguinis è naribus profluuium futura est, vel plusquam deceat promoueatur proriteturque, & vires prosternantur: si per alui deiectionem fieri debeat, exemplo hominis per decliuem locum currentis, qui si ab alio impellatur, antequam cursum peragat in terram concidit,

Aphor. 36. sect. 4.

dit, vel inuitus contra conuallem defertur. Atque hæ quidem sunt causæ cur in accessionis die purgatio interdicitur. Hippoc. lib. de affectionibus perpendens forte humorem melancholicum crassum esse, & terreum, eundemque sæpe in ipsis meatibus infarciri, præcepit, deorsum purgans medicamentum in quartanæ apprehensione seu ipsius inuasione exhibere, vt motus humoris qui die accessionis fit, ad faciliorem vacuationem opituletur: qua in re, iudicio meo, sequendus nō est, nam licet, die quo morbus exasperatur, agitataque eius materia in motu est, copiosior & expeditior fiat purgatio, tranquillo verò die & intermissionis tempore tutius multo & securius ipsa exercetur: cum enim morbus tunc minus fatiget, & collectæ vires melius constent, facilius medicamenti vis, & impetus tolerari potest, idcirco in febrium intermittentium quiete medicamentum purgans tanto, ante accessionis tempore offerri debet, quantum videatur sufficiens ad hoc vt possit purgatio compleri. Adde per accessionem, materiam non in aluum semper, sed plerunque in diuersum ruere, & sæpe accessionis vehementia purgationē subsisti: quare melius est in die intermissio-

Cur in quartanæ accessione purgandū non sit.

ſionis & remiſsionis quàm in die acceſsio
nis purgationem offerre. Præſtat præterea
ante acceſsionem quam mox ab ea: & vt
Auicenna dixit, pridie quartanæ quàm
poſtridie medicamento vti. Conſiderare
etiam continentes febres & internas inflã
mationes conuenit, & ſummopere præ-
cauere ne die in qua iudicari illæ debent
deiectoria medicamenta exhibeamus, ſed
in illa potius in qua iudicium futurũ non
eſt: ſolent enim medica remedia criſes per
uertere & deteriores reddere, aut in lon-
gius tempus prorrogare, quemadmodũ
Gale. lib. 1. de dieb. decret. capi. 11. docet,
ſcribens in hunc modum: Appareat enim
euidenter bonum in quarto die ſignum,
nullius periculi circa ægrotum ſit ſuſpi-
cio, fieri non poteſt quo minus ſeptimo
die fiat iudicium, ſi nihil extrinſecus pec-
catum fuerit: committuntur autem quæ-
dam peccata ab ipſo ægroto, videlicet,
quædam à medicis his admirandis pu-
tantibus, niſi quis introgreſſus ad ægrum,
deinde ſuccingens ſe, vel cataplaſma
impoſuerit, vel perfuderit vel aduſ-
ſerit, vel clyſterem indiderit, vel ve-
nam inciderit, vel cucurbitulas adiunxe-
rit, vel confricuerit, vel nutrierit, aut hu-
iuſmodi aliud factitauerit, nihil ab ipſo
geſtum

In diebus iudicatorijs purgãtia medicamẽta dari non debẽt.

gestum esse artificiosum, hi enim quoties ad ægrum accedunt toties peccant: non igitur iudicium in septimo die ad quem paratum erat, fieri potest, tot interea commissis erroribus quandoquidem naturæ motus statutis periodis pro sui ratione cõtingit, interim ab exterioribus peccatis circuitus seruare prohibetur. Hæc Galenus ex cuius prælonga serie liquet, quantum auxilia medica naturam recte operantem interturbent, & futuras crises interpellẽt. Verumtamen Manardus in ea est opinione, vt teneat, multos frustra, imo cũ ægrotantium non leui damno vereri ne pharmacum præbeant, vel venam secẽt in die vel iudicatorio vel iudiciali: vt enim fugiẽdũ ne eo die fiat euacuatio per artem, quo iudicium facit natura, ita secure & purgationem & venæ sectionem fieri posse arbitratur, quacunque die, etiam si de numero crisimorum sit, modo iudicium in ea non expectetur: quod probat Hippoc. & Galeni testimonijs, nam Hippoc. libr. 4. de ratione victus in morbis acutis tex. 78. purgans medicamentum quarto die ministrare iussit, quam sententiã enarrãs Galenus, sic scribit: Pharmacũ exhibẽdum quarto die, absque determinatione dixit, in nullo enim auxilio laboranti afferendo

Lib. 13. epistolarum epistola 1.

rendo intentio habenda est ad dierum numerum, sed vel vt Hippoc. dicit, statim in initio priusquam humores firmentur, exhibenda est pharmacia, aut posterius post quam iam fuerint cõcocti. Quo circa prima die & 2. & .3. & .4. interdum verò & .5. quidem, pharmacum exhibuimus, non in quarta solùm quemadmodum iste scripsit, & lib. de curandi ratione per venæ sectionem cap. 12. ad animi vsque deliquiũ 4. die sanguinem misisse refert. In quam etiam sententiam ipse deuenerat libr. 9. metho. cap. 5. dum inquit: Optimum igitur factu est (id quod nos semper in re quaque facere vidisti) statim non numero dierum sed vni virium robori in febribus eius generis attentum esse: quippe quod si seruatum est, non solum sexto septimo ve, sed etiam sequentibus diebus sanguis est mittendus. Ex quo contextu perspicue deducitur, in febribus continẽtibus septimo die(vt idem de cæteris decretorijs intelligas) sanguinẽ detrahi posse, dummodo vires id ferre queant. Quin & Auicenna quando dicit: si natura non mouet, moue tu in hora motus eius id ipsum voluisse proferunt: quid enim aliud est hora motus naturæ quàm dies criticus in quo natura morbificas causas mouere

1.4. tract. 2. c. 7. non longe à fine.

ad ex-

Quid de proposita re autori videatur.

ad excretionem solet? His tamen non obstantibus, mihi videtur, in validis decretorijs, & ijs qui fortiter de morbis decernũt, nempe septimo, vndecimo, decimoquarto, decimo septimo & vigesimo, à purgantibus medicamentis arcendos ægrotantes esse: nam licet in eis natura nihil mouente, tutò sumi illa possent; quia tamen exactam huius rei notitiam non habemus, & maxima ex errore impendet noxa, ideo satius est in sequentem diem purgantis medicamenti oblationem differre, aut in eo qui antecedit, eam exhibere, quàm illa in iudicatorio data, maximo discrimini ægrotum subijcere. Non habere sæpe nos certam venturę crisis cognitionẽ, ex eo fit manifestum, quoniam ipsa frequenter aut non est indicata, aut non promouetur vsque ad vltimam critici diei partem, in qua incipere frequenter solet, completurque in altero die qui criticus non est: quare tutum existit consilium in critico die à purgatione temperare. Nec reperio quempiam ex antiquioribus medicis qui aliter id fecerit, nam si Hippocrates & Galenus quarto die purgare præceperunt, ob id certe est, quia dies iste inter eos qui frequenter iudicant non recen-

setur,

fetur, rarò enim accidit (quemadmodum Galenus scribit) vt quarto die crisis fiat, adeo vt videatur bis tantū Archigenes in toto tempore vitæ suæ id obseruasse, Galenus verò ad illam vsque horam semel. Nec quidquam refert si idem 7. die sanguinem mittere iubeat, nam diuersa quidem ratio est in venæ sectione ac in purgatione, nam illa breuissimo temporis spatio completur, hæc verò longo satis adeo vt non tantum eundem occuppet diem, sed interdum etiam & sequentem. Adde, ipso docente Galeno, quod hoc modo exhibitum est emendationem deinceps aliquam non suscipere. Nam quod semel in ventrem deuoratum est medicamentum, quo minus omne deuoratum sit, fieri non potest: nec possibile est vbi plus quam conueniat iam purgetur homo, partem oblati auferre. At in sanguinis missione summum id bonum est, euacuationem dum voles posse sistere, ac rursus quo videatur tempore, fluere sinere, quo vsque recte habere appareat. Quapropter pręstat, nisi quid vrgeat, priori missione minus detrahere iterumque eam repetere imo si lubet & tertio. Quod itidem libro de venæ sectione aduersus Erasistratum capit. 7.

Lib.3. de crisib. cap. 4.

Lib.9. meth. cap.5.

Lib. de curandi ratione per venæ sectionē c.12.

Con-

Confirmat dicens, medicus huius solius euacuationis (nimirum quæ per detractionem sanguinis efficitur) liberam habet facultatem sistendi quandocumque illi placuerit, aliorum autẽ nullius. Nam vbi dandum sit aliquod medicamentum siue deiectorium, siue vomitorium, seu vrinarum euacuatorium, aut thoracis vel capitis purgatiuum, horum scilicet omnium prima exhibitio in tua potestate sita est, cętera autẽ nequaquã. Et eo in loco purgãtis medicamenti pericula commemorat dicens: Ingens in propinationibus pharmacorum purgantium periculum est, cum vel non commouetur purgatio, vel quod in aluum attractum est, non facile excernitur, vel cum dolore, morsibus, torminibus, refrigeratione, pulsuum euanescentia ac animi defectu exprimitur, vel cum corpus vehementer perturbatur, interimque paululum admodum euacuatur, aut euacuatio modum excedit, hoc enim ipsum tamquam omnium malorum extremum in hac parte frequenter contingere solet: nec enim vt venæ incisæ fluxum quem superimposito digito mox sistes, sic profluuium alui tibi sistere licebit. Verumtamen nemo ex medicis superuenientium symptomatũ metu perculsus à propina-
tione

tione pharmacorum abstinet, sed postquam errorem commiserit, tum demum cauendum sibi ab illorum vsu proponit. Atque hactenus Galenus. Ex cuius verbis liquet, quanta cum cautione purgãtia medicamenta dari debeant, quantoque periculo æger exponatur, si tot symptomatis obsessus naturã ad iudicium excitari contingat. Sed nec Auicenna vsquã dixit, in die motus naturę mouẽdũ quidquã à medico esse, etiam si ipsa nihil in ea moueat, nam textus ille est deprauatus, castigaturque in nouis codicibus in hunc modum. Apud statum verò non moueas aliquid donec vincat natura & digerat, & si ipsa non mouet, moue tu motu simili vel conuenienti motui eius, vel ad partem ad quam ipsa mouet. Auicennæ interpretes qui correctos codices non habuerunt, horam motus naturæ duplicem esse statuũt, vnam concoctionis perfectæ & exactæ, in qua mouendum esse dicunt: alteram horam crisis in qua quiescendum cẽsent: contẽduntq; ex Auicẽna nõ colligi quòd in die crisis aliquid agam⁹, aut quòd in ea euacuationẽ moliamur, sed hoc tãtùm si natura in die iudicatoria nihil mouet, à nobis mouẽdũ vel euacuãdũ esse, non tamẽ illa die sed postea in altera quæ critica

Auicẽnæ textus deprauatus quo pacto sit corrigendus.

non sit. Verũ postquã de purgationis die plura fortaſsis quã opus esset disseruimus superest vt de hora in qua sumi pharmacũ debet, nõnihil dicamus. Porrò electa ad purgandum hora matutina est, in regionibus calidis & æstatis tempore ante ortum solis; in frigidis verò & hyeme, post ortũ sic vt aer (quemadmodũ Auicẽnæ visum est) ad leuem quandã caliditatẽ declinet. Idem tamẽ. 1.4. tract. 2. c. 7. parũ ante finẽ, ad euacuationẽ moliendã frigidiorem horã quæ in die est considerare præcepit: per frigidiorẽ temperatiorẽ intelligens; erat enim in sua calida admodũ regione temperatior diei hora, quæ frigidior existebat talis autẽ matutina censebatur. Dici etiam potest, id Auicennã protulisse propter febres continentes & præsertim biliosas, nã cũ hæ remisſiones non habeãt, sed eundẽ semper obseruent tenorem, aptior ad purgãdum hora diei frigidior existit, quoniã in ea aliquantulum febris tepescit, & minorem feruorem obtinet quã in alijs diei partibus quę magis quàm illa calidę sunt. Adde, naturam in hac hora febrẽ facilius quàm in cæteris tollerare: porrò est etiam & hæc matutina, quapropter omnibus modis sumendæ pharmaciæ conueniens tempus matutinum habetur. Intelligo in

4. fe. 1. tr. 5. non longe à principio.

præ-

præsentia per diem, tempus quo sol nostrum hemisphærium illuminat, hoc est ab initio crepusculi matutini vsque ad finem crepusculi vespertini.

Cur ventriculo ieiuno medicamentum purgans sumi debeat.

Danda insuper opera est, vt ieiuno ventriculo medicamentum sumatur, ne immoderato esculentorum humore potu ve perfusus, ipse medicamenti præsertim debilis vim obtundat: verumtamen imbecillo, quemadmodum & aridiori, & si ieiuno quidem at non prorsus exinanito, dari debet, sed potius (vt Fernelius ait) cum interior ventriculi tunica reliquiarum nuper dilapsi alimenti benignitate etiam adhuc madet, quod præsertim faciendum est cum malignitatis medicamentum vti veratrum particeps fuerit, tunc enim, iuxta Hippoc. decretum aphor. 13. sectio. quartę, ante medicamenti potionem, cibo pleniore, quieteque humectari corpora debent. Verumtamen si nihil horum adsit, nec aliquid aliud ad purgandum corpus vehementer impellat, non pasto sed ieiuno propinari medicamentum debet quemadmodum Auicenna 4.1.cap. 5.his ostendit verbis: Qui calidæ temperaturæ ac raræ cōtexturæ & imbecillis stomachi, medicinā sumere statuunt, ijs ante eam melius erit leue aliquid bibere, veluti

Lib. 3. therapeuti. meth. cap. 14.

aquam hordei, vel succum mali punici, aliud ve tenue & leue alimentum, idque potissimũ æstate: tales enim eo tempore ex potu purgantis medicamenti maiori ex parte in febrem incidunt: cæteri autem illud ieiuni bibant. Hæc quæ hactenus dicta sunt, intelligenda veniunt de electa hora diei, nam si quidpiam est quod impediat, aut ad purgandum corpus vehementer impellat, quacunque hora sumi pharmacum potest. Impediunt accessiones si mane ac interdiu infestent, nocte intermittant aut remittantur, vt in duplicibus tertianis euenire non rarò solet: quo casu noctis initio bibi medicamentum debet, quod præcipuè tempore æstiuo faciẽdum reor; quia tunc diei ingentissimus calor noctis frigiditate temperatur, & humores intro recurrunt. Ad quas causas puto Auicennam respexisse cum ait, pleuriticos soluendos esse in nocte. Ad purgandum corpus compellit vrgens aut nimis premens morbus, & qui valde proximũ suffocationis aut mortis repentinæ minatur periculum: quo casu differenda euacuatio non est, sed illico quacunque hora id euenerit, medicamentum est dandum: quomodo Galenum fecisse legimus libr. 14. metho. capit. 8. in quodam cui linguã ità

Hora sumendi medicamẽti duplex electa vna necessaria altera.

10. 3. tract. 5. cap. 2. no lõge a principio.

ita tum efacta erat vt ore hominis contine ri nō posset: huic enim (ipso referente) pi lulas ex aloe, scamonio, & colocynthide constantes vespere exhibuit, quod certe non fecisset nisi suffocationis periculum impendisset. Ad eundem modum Trallianus cuidam anginoso, vrgente valde affe ctione, venam manè aperuit, & post modum linguæ subiectas secuit, vespere verò ex cremoræ ptisanæ lacrymam scamo nij exhibuit, ac his quidem laqueum ex inflāmatione ortum vix dissoluere potuit. Et alium quendam post duorum brachio rum venarū sectiones, liquore tithymalli ex herba ipsa expresso, trium siliquarum pondere purgauit sequenti die non expe ctato, quod faciendum esse dicit in his in quibus vires robustæ sunt, & ætate vigēt, vt tot euacuationes vna die sufferre queāt & pariter quando affectus vehementer do minatur vt nullas inducias admittat.

Lib:4.c.1:titulo de sanguinis missione.

Quæ præter tempus anni, diē atque horā, purgādo obseruari debeāt. Cap. VI.

AVicenna 4.1.in tertij capit. initio, ea quæ rectum in euacuatione molienda ad ferunt iudicium, decem esse tradi-

Quot sint quæ rectum in euacuatione molienda afferant iudicium:

dit. Sunt autem hęc, plenitudo, vires, temperatura, corporis habitudo, symptomata concurrentia, ætas, tēpus, regio, euacuādi consuetudo, & ars; si enim hæc cuncta contrariam euacuationis faciendæ indicationem præbuerint, euacuationem impedient; si non contrariam, nec eorum aliquod euacuationi reluctetur, copiose & prout affectus exposcit facienda est euacuatio; quod si ex eis quædam illam hortentur atque admittant, quædam dehortentur ac respuant, pro vincentium numero & viribus vel prorsus non molienda, vel parcius quàm vt morbus postulat facienda est. Si nāque repugnantes causæ numero & dignitate reliquas longo interuallo superent, aut euacuatio fieri non debet, aut si fit, parcissime exercenda est. Ergo tum exercitatum in his omnibus, tum natura prudentem (vt Galenus ait) esse medicum conueniet, quò cuiusque indicationis potestate diligenter considerata, omnibusque inter se collatis, idoneam & quæ laboranti commoda sit, euacuationem comparet. In hac autem indicationum permixtione, nō tam earum multitudo quàm potestas attendēda est, quòd vna plerūque indicatio reliquas omnes dignitate præstantiaque superet,

Lib. 8. meth. cap. 9.

peret. Quod si medens nec artis cognitio ne nec longo rerum vsu, nec prudenti mẽtis iudicio confidit se posse vacuationis quantitatem metiri, is, Auicennæ consilio, potius infra subsistat quàm exquisitissime euacuet; nam minus detrimentum sequitur si aliquid superflui relinquatur quod euacuatione indigeat, quàm ægrũ eò perducere vt vires exoluantur; natura enim residuum illud sæpissime discutit aut modo aliquo euacuat. Verum quia de prædictarum obseruationum nonnullis, in eo qui præcessit discursu latius disseruimus, quæ supersunt, nunc paucis percurramus, principio ab inanitione sumpto. Porrò hanc euacuationem omnino prohibere Auicenna testatur: si enim morbus ex inanitione fatiget, vacuatione curandus non est, sed adiectione potius, iuxta illud Hippocratis: Quicunque morbi ex repletione fiunt, euacuatione curantur: & quicunque ex inanitione, repletione, & aliorum contrarietate. Sic etiã in lib. de flatibus optime ab eo dictũ est, medicinã adiectionẽ esse & detractionẽ: adiectionẽ, inquã, eorũ quæ deficiũt: detractionem verò eorum quæ superabundant. Igitur in humorum defectu vacuantia præsidia administrãda non sunt.

4. 1. cap. 3. in fine.

Aphor. 22. sectio. 2.

Quod itidem ex aphor. 16. sect. 2. elici nõ obscure potest, in quo scribitur, cum indigentia laborandum non esse: quam sententiam Galenus in commentario ad sanos & ægros extendit, & non solùm ad exercitia, sed ad euacuationes reliquas, scribens in hunc modum: Est igitur ipsi Hippocrati, tam de ijs qui secunda, quàm qui aduersa sunt valetudine sermo: nam nec recte valẽtibus imperanda sunt exercitia, fame dominante, nec in ægrotantibus motum corporis vllum vehementiorem vna cum fame, adferre oportet, siue missione sanguinis id, siue purgatione, siue per vomitum vacuatione, siue multa frictione, siue denique forti corporis motione, aut alteratione fiat; per hos siquidem motus omnes, si cum inedia efficiantur, virtutẽ frangi ac debilitari accidit, siue secunda siue aduersa valetudine homines fruãtur. Hęc Galenus. Ex cuius verbis constat, ob id in penuria purgantia medicamenta abdicari, quia vires nimis exoluuntur imbecillesq; fiunt. Additur & alia non exigua causa; nã si purgatio humorum est qui sua qualitate infestant euacuatio, constat in humorum vacuitate penuria ve frustra perperãque purgationem adhiberi. Atque de inanitione hactenus.

Cur in penuria purgantia medicamenta abdicentur.

Imbe-

Imbecillitatem cuiuslibet trium facultatum, euacuationem inhibere, adeò est manifestum vt multis probari non egeat: interim tamen monitum lectorem velim, vires ipsas euacuationem non exposcere, sed permittere tãtùm, euacuatio namque siue sit sanguinis missio, siue purgatio, quemadmodum & quoduis aliud medicum remedium, à solo affectu quem curare proponimus desumitur, dicente Galeno li. I. de ratione victus in morb. acut. com. 44. morbum suæ affectionis indicare auxilia, phlebotomiam videlicet, clysma, cataplasma, purgationem, oxymeli, aquã mulsam, atq; aliorũ vnũquodq; : Virtus verò solũ indicat sui custodiã, quę per alimẽti exhibitionẽ peragitur. Et cõsequẽter com. 45. enarrãs Hippocratis sentẽtiã: At si nuper cibato cibus prior non descẽderit, virtusque valida fuerit, & floruerit ætas, subluere oportet, inquit, rursus & hoc in loco remediorum indicationem ab affectu corporis accepit, simulque virtutem considerauit, non tanquam remediorum vsum aliquando indicantem, sed tanquam contrario indicantem modo, interdum autem & prohibẽtem. Non enim quòd æger valida sit virtute ob id clysmate est opus, sed clysmatis indicatio ex ven

Medica remedia à quo desumantur.

tris desumitur affectu: si verò virtus valida fuerit, vacuationi non reluctatur, quæ si est imbecilla ipsam inhibet. Ex quibus clare intelligitur, virtutem euacuationem non indicare, sed tantum permittere atq; eius definire quantitatem. Hinc euenit vt virtute extrema imbecillitate laborante, ab euacuatione tantisper sit temperandum, quo adeò roboris peruenisse eam conijcimus, vt euacuationem ferre queat si enim satis robusta sit, abunde & prout affectus efflagitat, euacuationem molimur: quòd si debilis sit, non tamen ad modum, euacuamus quidem sed multo minus quam affectus præter naturam exigit. Hoc manifeste nos docet Galenus. 11. meth. capit. 5. vbi postquam docuit quæ à morbi affectu indicatiue sint sumenda in eum scribit modum: A viribus autem (quoniam has cibi potiones, & spiritus certa mensura & apta qualitate exhibita seruabunt, iuuentus autem est quantitatis eorum modus ex virium substantia; qualitatis verò à temperamento) nimirum æstimari debebit quemadmodum vires quæ corpus regunt in his se habeant: Quippe si valentes sint, audacter vacuantibus præsidijs vteris; hæc autem ab affectu morbi fuere accepta,

Vires corporis euacuationem non indicant, sed permittunt tantùm

sin

sin infirmores sint redditæ, vacuantia remedia cautius administrabis. Quod similiter confirmat sect.1.aphor. com.3.sic dicens:In omni euacuatione vires ægrotãtis attendere oportet, & donec tolerãt & nõdum laborant, tentandũ est humorẽ exuperantem educere:cùm verò dissoluuntur etiam si restẽt superfluitates, cauere oportet earum euacuationem. De hoc isto affectu loquitur Auicenna cum ait, multiplicationem numeri meliorem esse multiplicatione quantitatis,quod à Galeno dicerat lib.9.meth.cap.4. vbi ita scribit:si quidem eorum qui ex sola obstructione febricitarent nemo in putredinis febrem incidit qui prius sanguinẽ miserat, quem vbi valida virtus subest & ætas permittit, vsque ad animi defectũ mittere expedit: vbi horũ alterũ non satis respõdet, tutius est quantũ satis visum fuerit,tantum principio detrahere,& quod deest, iteratione supplere. Quod præceptũ non solũ in venæ sectione, verũ etiã in purgatione intelligendũ venit:nam cap.10. sequenti de ijs affectibus verba faciens qui multa egẽt vacuatione, resoluitur autem ex tanta inanitione virtus in hunc modũ pronunciat: Si igitur cũ viribus imbecillis corruptela incidat,vtiq; quod affect' remediũ est, id cum

1 4.tract.2.c. 7.non longe a fine.

Quando pati euacuationẽ expediat.

cum virtutis custodia pugnat, siquidem affectus vacuandum esse præcipit, idque vel vena incisa, vel purgatione, harũ autẽ neutram ferent imbecillæ vires: quoniam igitur in omnibus huiusmodi repugnantijs incerta succurrendi ratio est, alias insanabilis omnino affectus relinquetur, alias spatio ægreque, idque si magnum nactus sit medicum sanari poterit. Oportet nanque vbi indicationes ita sibi aduersantur, & paulatim quod vitiosum est vacuare, & paulatim inuicem quod salubre est pro eo reponere. Vocant medici eiusmodi vitiosi succi curationem græcè ἐπίκρασιν. Dum igitur vires integræ manent atque persistunt, siue vniuerse siue partitè vacuandum eo vsque est dum nihil reliquũ sit morbi, & perfecte purgationis indicia, quæ infra dicentur, cuncta appareant: verùm si æger languidus sit, tantum vacuandum est, quantum vires patiuntur, cumque iam dissolui incipiunt etiam si restẽt superuacanea, protinus supersedendum supprimendumque est quo vsque ille recreentur ac vigorem accipiant, & licet imbecillitas cuiuslibet trium facultatum naturalis vitalis & animalis, Auicenna teste, euacuationem impediat, animalis tamen robur magis in purgatione quam in venæ

sectio-

sectione exigitur, nam licet ad sanguinem mittendum maius virium robur requiratur quàm ad purgandum (quia rationi cósonum est plus languescere virtutem effuso humore tam benigno & necessario ac naturæ familiari, in quoque, vt Galenus ait, natiuus calor mansionem obtinet cuiusmodi sanguis existit, quàm quouis alio humore nec naturæ familiari nec benigno sed adhuc putri) id aliarum facultatum naturalis scilicet & vitalis intelligitur non autem animalis. Ratio est, quia docẽte Galeno decumbentibus venam secamus, purgati tamen non possunt cõtinuo in lecto quiescere, sed egent sæpe surgere ad deijciendum; ex quo motu ac desurgẽdi frequentia solent in lassitudinem incidere, & ab ea in febrem. Adde facultatem hanc nimio motu maxime exolui, quare conuenit ipsam esse robustam vt tot motus citra exolutionem valeat sufferre. Ad quam virtutem animalem arbitror Hippocratem respexisse libr. 1. de rat. vict. in morb. acut. com. 45. dum inquit: Clysteres in virtute valida adhibendos esse, quia (vt ego censeo) debilẽ, etiam si nihil acre aut malignum in se habeant, satis exercẽt & fatigant prius quam recte inijci, aut retineri possint. Interdum tamen (si Auicennæ cre-

Lib de curandi rat. per sangui. missio. c. 5.

Lib. 1. aphor. com. 23.

4.1.cap.3.

næ creditur) præeligimus imbecillitatem alicuius facultatis potiusquam noxá quæ ex euacuationis omißione sequi poſſet, potißimũ in ſenſili & motrice facultate, modo confidamus cuilibet periculo ipſam poſſe ſuccurrere, ſi forte acciderit, & vniuerſo purgationis tempore debere perſiſtere. Porrò quemadmodum inanitioni, ita & calidæ & ſiccæ tẽperaturæ aduerſißima res eſt euacuatio. Quibus autem indicijs hæc temperatura ſit dignoſcenda, docet Galenus libr. 8. metho. capite ſecundo, dicens: Quibus namq́ue in corporis temperatura ſiccum præualet humido, & calidum frigido, his corporis habitus gracilis, hirſutus & nigrior eſt, ac reliquis tribus intemperamentis quæ hoc ſunt minus calida tactu calidior aduertitur, plurima quoq́ue his flaua eſt bilis, vrinaq́ue ac deiectio bili ſatura, & pulſus magni, & ſomni leues & pauci & animi impetus vehemens. Et infra lib. 9. eiuſdẽ operis cap. 15. ait: Si namq́ue naturá graci lis & tangenti calidus & bilioſus, & propenſus ad iram, & hirſutus ſit, calidus hic ſiccuſq́ue naturâ eſt: igitur, qui tali tẽperie præditi ſunt, teſte eodẽ Galeno, omnes ab integra euacuatione própte læduntur, ſiue à primo ortu ex proprio temperamẽto,

Lib.1.de arte cura.ad Glauconẽ c. 14.

to, siue posterius ex calido siccoque victu & plurima dimotione, & vigilia, & cura & tristitia, & tempore æstiuo, & regione calida & sicca, ac cœli statu simili, eam nacti sint: idque duplici de causa. Prima, quia huiusmodi temperie præditi, per febres imbecilli sunt facultate, dicente Galeno, fieri non posse vt corpus abunde calidum & siccum, cum febricitat, viribus sit valentibus. Secunda, quoniam ijdem ex succi & graciles habentur, carnisque & adipis expertes, quo fit vt purgãtia medicaméta (quæ maiori ex parte calida sunt & sicca) prompte solidas partes afficiant, easdemque summopere calfaciant & aridiores reddant. Quod si prædictis calidis & siccis corporibus vena secetur, vires summopere deijciuntur, & mẽbra solida amplius extenuantur destituta sanguine, humore nimirũ benigno, qui per sanitaté illa humectare & irrorare solebat: est enim sanguis naturâ sua humidus & modice calidus. Quando igitur iã dictos homines propter morbi magnitudinem siue vehementiam euacuare cogimur, parcè id, & non tantum quantum affectio exposcit, facere debemus. Frigidi verò & humidi licet purgationem sustineant, non ita tamen sanguinis missionem sustinere

10. meth c. 5.

valent

valent propter caloris inopiam: & multo minus eam sufferre possunt frigidi & sicci propterea quod caloris sunt expertes, aut certe languidum & exiguum admodum calorem possident: at calidi & humidi, vt pote succulenti existentes, plenam & sine vlla molestia (si Auicennæ creditur) vacuationem patiuntur. Nec huic sententiæ aduersatur Galenus lib. 9. meth. cap. 5. dum inquit, ad digerendos exhalandosque corporis succos propensos esse quicunque natura sunt humidi, magisque si accedat caliditas; quos ob ipsam naturalem euacuationem minus inaniendos esse censet: nam corpora humida in duplici sunt differentia: quædam cum modico calore vberem obtinent humiditatem, quæ cùm ab exiguo calore ægrè discuti & inaniri valeant, arte magis euacuari debent, dummodo non mollem & humectam ac diffluenté carnem obtineant, nam hęc quia, teste Galeno, mirum in modum sunt ad patiendum habilia, exiguam admodum euacuationem ferunt. Alia sunt calida immodicè humida verò non immodicè, quæ quoniam calore satis dissoluuntur ac euaporãtur, non sunt nimis à medico euacuanda, nisi vnà forte solidam děsamque carnem obtineant: quia huiusmodi cum habitum haud

4. 1. cap. 3.

Lib. 1. de arte cur. ad Glauc. c. 14.

haud facile patibilem habeant, constanter euacuationes sustinere queunt. Ex his patet, corporis habitudinem ad euacuationē faciendam considerari debere, quoniam immodica gracilitas seu raritas (testimonio Auicennæ) eam impedit ob timorem resolutionis. Adde, macilentos fortiter feriri à medicamentorum qualitate praua, vtpote quæ prompte in solidas partes se insinuet. Accedit eò, his magna ex parte acrium humorum copiam inesse, quo fit vt eos molestæ torsiones miserè fatigent, dirisque vaporibus principes partes offendantur, atque eorum nō pauci dolorum metu medicationē despuunt, atq; abominantur, quos magna pernicie vitiosorum humorum colluuies omnem vitam languoribus fatigat. Quapropter (eodem docente Auicenna) cùm prę manibus habueris aliquem imbecillem & gracilem qui multa flaua bile in sanguine abundet, debes ipsi ea exhibere medicamēta quæ vrinam leuiter ciant, & non euacuare, & similiter ea alimenta quæ bonum sanguinē gignunt ad frigidum & humidum declinantem, sic enim illius humoris intemperantiam corriges, imo fortasse eum roborabis, vnde euacuationē postea facile perferet. Nec solùm gracilitas omnium corpo-

4.1.cap.3.

Graciles, quique plurima amara bile abundant, quomodo regendi sint.

ris partium, verùm & ventris inferioris solius, ad purgationes quæ per aluum fiunt, periculosa est, quemadmodũ testatur Hippocrates aphor. 35. sect. 2. quia (docente in cõment. Galeno) oportet omnes quæ infra thoracem sunt partes robustas esse vt bene purgationibus seruiãt: alioqui enim magna incõmoda patiẽtur. Similiter autẽ & eos qui habitu sunt immodicè pingui atq; obeso, Aetij & Auicẽnæ decreto, à venæ sectione & purgatione, aut alia quauis affatim facta vacuatione arcere debemus, veriti, vt idẽ Auicẽna ait, ne vel frigiditas præualeat, vel carnis moles venas comprimat easq; inanes obstruat & calorẽ innatũ suffocet, vel ad viscera excrementa exprimat: quæ pericula, præsertim sanguine misso, imminẽt: nã cũ isti exiguo calore & venis exilibus sint præditi, corpus illis facilè refrigeratur, & venas exinanitas pinguedo promptè stringit ac deprimit, vt inde metus sit ne natiuus calor extinguatur. Verũ qui solida densaq; carne constant (inquit Galenus) non oportet ipsos vereri euacuare ex toto si alia omnia id iubent. Sic etiam quibus amplæ & turgidæ sunt venæ tolerabilior est euacuatio quàm quibus angustæ. Symptomata etiam praua, cuiusmodi sunt alui profluuium & conuulsio

Aetius lib. 2. ser. 3. cap. 23. Auic. 4. 1. c. 3. in principio.

Lib 1. de arte cura ad Glaucu. cap. 14.

uulsio, vacuationem vetant: si enim vbi aluum ducere consiliū est, alui profluuiū superueniat, ab euacuatione prorsus absti nebimus: quoniam, (vt Auicenna ait) soluere ventrem supra ventris solutionē est timorosum: exoluuntur enim nimis per huiusmodi symptomata vires, quas non decet amplius larga euacuatione debilitare, sed quoad fieri maxime posit conseruare, quo & morbo & infestantibus symptomatis resistere, & curationis spatio sufficere, & putredinem superare, & succos concoquere valeant. Atque hæc, inquam, causa est cur causis quæ vires deijciunt præsentibus vel imminentibus, non tantum est euacuandum, quantum si à solo morbo indicationem sumeremus, euacuaretur. Quod manifestè voluisse Galenum constat libro primo, de arte curati, ad Glauco. capit. 14. dum sic scribit: Nec si quis simul distensione neruorum laborauerit, & sanguinis eguerit missione, huic tantum semel mittere oportet quantum exigit dispositio, sed aliquid etiam accidenti est relinquendum, cuius causa sæpe sudores eueniunt, & vigiliæ molestant, & vires ægroti debilitantur. Ita etiā si vehemētissimę vigilię aut dolor intēsus ægrotū infestant, cauēdę sunt

In alui profluuio aluum ducere, periculosum.

Cur symptomata vacuationem inhibeant.

subitæ ac multæ euacuationes. Hæc Galenus. Verumtamen videtur, idem libr. 1. apho. com. 23. contrarium voluisse, vbi refert, in maximis doloribus se nullum maius inuenisse remedium quàm vsque ad animi deliquiũ euacuare, adhibita distinctione an mittere sanguinem an purgare oporteret. Non enim duo hęc bene cõsentiunt in vehementissimis doloribus cauendum esse subitò ac multum euacuare, & in eisdem adeo cõfertim affatimq; esse euacuãdũ, vt ęger animo linquatur. Cæterum vt duo hi loci secum cohæreant, & veritas ipsa clarius elucescat, primò monitum lectorem velim, Galenum in commẽtario aphorismi, de venæ sectione tãtum verba fecisse, nequaquam autem de purgatione, cùm in confesso apud omnes sit, nemini purgare vsque ad animi defectũ licere, quòd scilicet purgantium medicamentorum vehementiã coercere nequeamus, eademque purgantia nullam correctionẽ admittant, cũ quod semel ingestũ pharmacum est, quo minus totum sit haustum, fieri non possit: quo incommodo venæ sectio prorsus caret, cùm liceat hanc pro arbitrio nostro cohibere; & rursum, vbi ægrotanti conducere nobis visum fuerit, vt sanguis effluat permittere.

Aduersi Galeni loci.

Secun-

Secúdò aduertere debet, dolores in duplici esse differentia, recétes vnos, quíque sola venæ sectione sine auxilio alio tollun tur: antiquos alios aut recentes quidem licet sint, non tamen sanguinis missione tãtummodo quiescunt, sed ad sui amotionem alia remedia efflagitãt. Priores copiosa sanguinis detractione demoliendos esse censet Galenus, ratus nimirum, verendũ non esse valentes vires aliquantisper comminuere, dum doloris atrocitas ipsas exoluens atque comminuens, funditus aboleatur, hæ enim dolore summoto, promte exiguaque mora recreantur, & in pristinũ statum reducuntur. In posterioribus verò non licet conferta vacuatione vti, nam cũ hæc non sufficiat dolorem extirpare, cùm ipse alia remedia, ceu prius dictum est, desideret, oportet vires conseruare, nec fatiscere, quo & dolori qui postea infestaturus est, resistere, & curationis spatio deinceps perdurare queãt. Et hęc est (ni fallor) vera iam dictorum Galeni locorum conciliatio: nam quod nonnulli aiunt, dolorem qui facit cauere multam vacuationẽ, de quo loquitur. 1. ad Glauconem, esse symptoma febris, qui ex se non aliam medellam quam febris curationẽ exposcit: illum verò de quo loquitur in com-

Dolores in duplici sunt differentia.

Galenus interpretatur & oppugnantia dissoluitur.

aphorismi cui copiosa competit euacuatio, non esse alterius morbi casum sed præcipuum morbum, mihi non placet, quia vt omittam, nullum dolorem morbum esse, sed omnē in symptomatū genere cōtineri, parū refert ad confert sanguinis vacuationem faciendam, morbum existere, & eum ipsum esse cui præcipuè curatio adhibetur, si diutius perdurare, ac non tantum venæ sectione sed alijs etiam præsidijs ad sui remotionem est opus; aut esse accidens, si adeo vehementer ægrum infestat vt ad se præcipuam curationem trahat, & medicum cogat copiosa vacuatione vti, quam quidem molitur quando ægrotantem tam validum esse conijcit, vt licet à febre & à dolore sit lacessitus, illam tamen posit sustinere & ea ipsa sola à dolore liberari: nam si alia remedia efflagitat nec sola sanguinis missione potest à dolo lore vindicari, etiam si dolor sit vehemēs & ægri robur satis constet, non debemus copiose euacuare, verentes non tam virium lapsum præsentem quàm eum qui in posterum futurus timetur. Ob hanc etiam causam procliuitas in affectus vires dissoluentes incidendi (Auicennæ sententià) tamquam symptoma quoddam ad euacuationem prohibendam, aut parcius

Dolor omnis in symptomatum genere continetur.

Procliuitas incidēdi in affectus vires dissoluentes, euacuationē prohibet.

cius quam decet faciendam, haberi debet vt si qui dysenteria, aut eo ventris affectu quem cœliacum vocant facilè corripiuntur, aut ad colicum dolorem parati sunt, documento Aetij, à purgatione arceri debent: insuper & qui multo abundant sanguine, & qui assiduè animo linquuntur & ægrè reuocantur, & qui citò ex omni occasione vomunt, & mulieres quibus menses validè purgantur, & qui ex consuetudine parca vtuntur victus ratione, & quibus aluus natura adstricta est, & qui valde purum habent corpus: nam autore Hip. qui integro salubrique corpore cõstãt, difficilè ferunt medicationes. Futuras vires æstimabimus ex caussis robur corporis eneruãtibus quæ præsentes sunt & post hac perseuerabũt, vt cœli constitutio, si calida euaserit ac nimis æstuosa, & deinceps talis futura expectetur. Rursus, si prospicimus ægrotũ frugaliter viuere, & postmodũ tenuiter esse victurũ, vel quia cibi potionisque lãguet appetẽtia, aut ob aliquã aliã caussam, aut symptomata quæ vires summoperè frãgũt, esse passurũ, vt vigilias, mærorẽ, ingẽtẽ cibi abstinẽtiã, laborẽ corporis immodicũ, vel id genus alia. Cũ igitur aliquid huiusmodi futurũ suspicamur quamq; vires tũc valeãt, parci⁹ tamẽ multà

Lib. ser. 3. c. 23.

Aphor. 36. sect. 2.

euacuamus quàm si nihil illorum futurũ timeremus: summæ namque prudentiæ fuerit, repentina & inopinata quęcumque inciderint mala, de lõge prospicere atque præcauere. Rursus, quia teste Galeno, maxima est quæ à consuetudine sumitur indicatio, in vacuatione molienda non parũ obtinebit momenti; nã cùm ascititia quædam sit natura, seruare eã quoque (vt Galenus ait) Hippoc. iubet perinde ac proprium ætatis temperamentum, hinc est vt eos affatim euacuare vereatur Auicenna, qui vacuationibus assueti nõ sunt. Et Galenus consuetudinem tanti momẽti esse censet, tum ad omnia alia, tum præcipue ad euacuationis indicationem, vt dicat, multis cibis vsos & euacuationibus assuetos, intrepide esse euacuandos quando reliqua etiam consentiunt: cæteros verò, nẽ pe insolitos, nec si omnia alia id suaserint. Quæ verba multis difficultatem non mediocrem intulerunt, quoniam durum videtur dicere, euacuationibus non assuetũ haud quaquam esse euacuandum, etiam cunctis alijs euacuationem indicantibus ac non renuentibus: nam si aliquis iuuenis robustus tempore verno synocho aut interna aliqua inflãmatione laboret, nemo est qui sanguinem non mittat qui in artis

Lib. 11. metho. cap. 3.

Lib. 8. meth. cap. 9.

4. 1. cap. 3.

1. de arte curatiua ad Glauco. c. 14.

artis operibus sit exercitatus, etiam si venæ sectionis numquam experientiam habuerit: ego enim nõ huic tantum sed quadragenario & quinquagenario venam secui, indicante id morbi magnitudine & virtute tolerare potente; nec ab hac euacuatione destiti quãquam narrarent ipsi sibi nusquam sanguinem fuisse detractũ. Quocirca proferendum est, Galenum nõ dixisse, eum qui euacuationibus nõ assueuit euacuandum non esse, sed hoc tantùm id intrepide non esse faciendum: nam venæ sectioni insueto (vt idem de purgatione intelligas) non in tanta quantitate sanguis mitti debet, in quanta si huic vacuationi assuetus esset, mitteretur. Dici etiam potest, eum qui euacuationem nũquam fuit expertus, euacuãdum non esse, quando experiẽtiam habemus, sæpe ab eo morbo quem tunc patitur, sine tali euacuatione superstitem euasisse. Visi aliquando scholasticum nobilem ophthalmia laborantem, cui cùm venæ sectionem consuluissem, respondit, sibi eo remedio opus non esse ob id quòd sæpe à dicto iam malo quo plerumque correptus fuerat, absque illo fuisset liberatus, meq; tũc vocare iussisse, quoniã iã ageretur quartus inflammationis dies & tamẽ fluxus nõ cessasset,

Loci Galeni explicatio.

Alia Galeni loci interpretatio.

cũ tamen ante intra triũ dierum ſpatiũ ceſſare conſueuiſſet, ſeq́ue quiduis potius quã venæ ſectionẽ ſuſtinere eſſe paratum dixit. Hæc ego cùm audiré miſſam faciés ſanguinis miſsionem, ſola per aluum purgatione ſum vſus, quo præſidio breui fluxio reſtitit, & adoleſcens ille ſanitati priſtinæ fuit reſtitutus. Atque de conſuetudine in præſentia hæc dixiſſe ſufficiet. Rurſus non minoris momenti ætatis conſideratio ad purgationé efficiendã haberi debet, nam pueri & ſi viribus naturalibus valeant, integrã tamen vacuationem non ferunt, propter ſubſtantiæ tenellæ ac mollis fluorem, facilè enim hæc digeritur ac diſsipatur. Senes verò ob id eam nõ ſuſtinent quòd viribus langueant, & incommoda quæ ob immodicam vacuationem accidere ſunt parata in eis non facilè reparari queãt. Hæc Galenus nos docet lib. 1. de arte cura. ad Glauconẽ c. 14. ſcribens in hunc modũ: His etiam & ætas annumerãda eſt veluti accidens quoddã quod prohibendi integram vacuationem vim habet: nec enim pueri nec ſeniores hãc ſine noxa tolerant. Hoſce igitur omnes quos diximus vbi diſpoſitiones hortẽtur, nõ ſemel nec ex toto, ſed paulatim oportet euacuare inedijs moderatis, frictionibus, mollibuſ-

Ætas interdũ integrã neri euacuationẽ prohibet.

fibusq; humectationibus, cataplasmatis ac balneis. Et licet inter hæc remedia euacuātia venæ sectionē nō retulerit, noluit tamē ab ea pueros morbo aliquo acuto pressos arcēdos omnino esse, vt multi fuere arbitrati; siquidē idē met. lib. de curādi ratione per venæ sectionē c. 14. pueris sanguinē, parcè tamē, mittere audet, inquiens, minus detrahimus quā plenitudo cōmonet quoad ætates attinet in pueris, quoad corporis habitus in candidis, & quibus mollis teneraq; caro est. Et lib. 9. meth. c. 5. post quā dixit: sin sequetur necessariò vacuatio quæpiā, tātū illi de eo quod superfluū est esse relinquendū, quantū est per eam vacuandū, vt si tēpore mittendi sanguinē, menses moueri contingat, siue etiam hæmorrhois sit reclusa, si inspecto fluentis impetu ipse satis fore videbitur qui solus quod requiritur euacuet, naturæ rem omnem esse permittendā; sin minus, tantum esse detrahendū quo ex coniunctis ambobus perficiatur quod postulas, subdit, veluti autem in his ad ipsam naturalem vacuationē quæ sensu vsurpetur, nō leuiter attētū esse oportet: ita & alibi vel ad naturā ipsam, vel ętatē, vel cœli statū: sunt enim nōnulli ad exhalādos digerēdosq; corporis succos naturâ ꝓpēsi pueri certè propter

Galenus pueris sanguinē mittit, parcè tamen.

æta-

ætatem perpetuo; Cœli verò status, vbi calidus nimium est & siccus. Ex quibus sententijs clare conspicitur, omnino non detrahendum, sed modice detrahendum pueris sanguinem Galenum velle, minus scilicet quàm plenitudo postulat: nam & si vacuatio hæc plenitudini non ex æquo respondeat, quod reliquum est sperat Galen. naturæ beneficio (quòd raro & molli corporis habitu præditi sint & succos habeant fluxioni aptos) superatum iri, ob id sanè inferiorem plenitudini iubet fieri detractionem, ne si par aut superior fiat, nimium de molli ac tenera substantia dissoluatur. Quocirca vbicumque Galenus pueros ante decimum quartum ætatis annum secari venam prohibuit, non absolute de qualibet sanguinis missione, sed de pleniori tantum intelligendus est: solebāt enim tunc temporis medici quàm nunc copiosiùs sanguinem detrahere: quam sanè euacuationem ob eam quam nunc tradidimus causam, pueri ferre non possunt: ob id sanè de ea quæ tunc in vsu erat pleniori euacuatione, intelligi Galenus debet, cùm pueris sanguinis missionem interdicit, quemadmodum Valeriola optime est interpretatus. Quin & Celsus libr. 2. cap. 10. de sanguinis detractione per venas

Cur Galenus in pueris inferiorem plenitudini euacuationē facere iubeat.

Lib. 5. enarrationum medicinaliū enarratione 3.

nas verba faciens, sic ait: Firmus puer & robustus senex, & grauida mulier valens, tutò hoc præsidio curantur. Quod si missionem sanguinis, ad quam maius virium robur quàm ad purgationē exigitur, pueri ferre possunt, poterunt etiam purgationē quæ minus quā venæ sectio valētes exposcit vires, ferre. Verūtamen queādmodū sanguinis misio eijsdē in exigua quātitate fieri debet, ita etiam & purgatio parcè ac cum benignis clementibusque medicamentis administranda est, vtpote vehementium vim nō tollerantibus. Atque hæc causa est cur prægnantes integris prææditæ viribus, & si eorum vehementiā tolerare queant, benignis solis sunt purgandæ, quoniam fortia fœtui qui intus geritur, quem seruare volumus, magnopere oblædunt: præsertim verò vtero gerentes quando purgatione egent, à quarto mense vsque ad septimum purgare oportet, quoniam in mensibus his prægnantes ipsæ minus obnoxiæ sunt abortui quàm in prioribus, videlicet. 1. 2. &. 3. & quā in posterioribus, nimirū; 7. 8. &. 9. atq; ob id medijs mensibus illæ ad ferendos purgantis medicamenti impetus sunt magis idoneę, quia docente Galeno, fœtuum connexus eādem habent proportionem quam fru-

4. sect: apho. com. primo.

ctus

ctus cum plantis, hi siquidem in prima generatione debilioribus pedunculis continentur, & ideo facilè decidunt quãdo vehementior ventus ipsos cõcusserit, postea verò aucti difficilem habent à plantis dissolutionẽ, sicuti rursus cùm perfecti sunt spõte sua sine vi extrinseca decidũt: eodẽ modo & conceptus in primo quidẽ tẽpore seminis iniectionis si aliquando saltare contigerit mulierem, aut in lubrico cadere, vel in descensu scalarum, vel in tripudio, vel saltu, vel quouis alio modo vehemẽtius moueri, facilè ob nimiã nexuum mollitudinẽ, & redundantẽ in eisdem humorẽ, dirũpuntur: sicuti etiã quando iam perfecti sunt, quoniã nimia grauitate acetabula, fœtus dirumpent, ipsa alioqui propter ingentẽ siccitatem ruptioni apta, accedente presertim agitatione à medicamẽto: tẽpore verò intermedio, firmiorẽ habẽt coalitũ; quare mulier vtero gerẽs potest maiores motus sustinere sine fœtus offensione: minus tamen eis quæ septimo mẽse propinquãt, quã eis quæ propè ad quartũ accedũt, purgationẽ conuenire Hippocrates vult, quoniã septimo mense multæ parere solẽt, & fœtus cũ grandior sit, multa eget esca, qua deficiente (vt Manardus ait) plerumq́ue in acutis morbis interficitur.

Apho. 1. sect. 4.

Lib. 15. epist. 4.

tur. Nati iam pueri & adhuc lac sugentes, multò minus fortia medicamenta ferunt, quoniam intra vterum existentibus, medicamentorum malignitas ac vehementia à matre reprimitur & attemperatur, antea quam illa ad ipsos perueniant, cum tamen natis ea ipsa integris suis viribus bibita occurrant: atque idcirco exigēte affectu, clementioribus ac valde benignis pharmacis purgari debent. Paulus lib. 1. c. 6. si venter eorum non respondeat, mel cibo infusum simul coquere iubet, quod si ne sic quidem descendat, terebinthinæ instar ciceris inijcere oportere scribit. Nonnulli, magna cacochymia premente, aut aliquo alio corporis affectu efflagitante, nutrici purgans medicamentum propinandum censent, ita enim citra incommodum lactentem puerum purgari aiunt, quia illud per se ferre non potest, lac verò eius viribus insignitum, potest: cōtrahit enim lac medicamentorum purgantium facultates, domitas tamen mitioresque multò quàm antea in medicamento præerant. Atque hoc Hippo. nos docuit libro sexto, epid. part. quinta, aphor. 35. dicens: Mulier aut capra elaterium aut cucumerem syluaticum edentes, pueris purgatio. Alij nutrices talia vorare medicamēta non patiun-

Num purgātia medicamenta nutrici exhiberi debeant.

patiuntur, citantque Aetium, has minime purgandas esse innuëtem. Ego verò quid in hac re sentiam, dicam: vel enim ambo, nutrix inquam & infans optima valetudine fruuntur, vel ambo ægrotant; vel hic quidem ægrotat, illa verò sana est, aut è conuerso: si primum, nemini dubium est neutrum purgari debere: si secundum, optimum fuerit nutricem purgare, ita enim vtriusque & ipsius & infantis saluti consuletur: si tamen infans sanus est, nutrix verò ægrotat aut vitiosum lac habet, ne in morbum incidat infans, alij lactandus cõmitti, Aetij decreto, debet, dicentis: Vbi autem imminuitur lac aut corrumpitur aut etiam omnino extinguitur, aut spissatur, aut attenuatur, præstat quidem alterius nutricis lac infanti præbere: sin id nõ permittat res aliqua instans, victu nutrix curanda est ne in morbum incidat puer: Verumtamen è conuersò, si infans æger est, nutrix verò inculpata salubritate degit infans solus purgari debet, ipsi verò nutrici nullum tale medicamentum bibendũ est dandum, nam autore Hippocrate, Qui sano sunt corpore difficulter purgationes ferunt: violantur enim medicamentorum permistione sanguis ac reliqui boni succi qui in corpore sunt, caro colliquatur,

Libr. 1. ser. 4. cap. 6.

ac so-

ac solidæ partes funduntur. Et quamquã hæc de vehementibus ac malignis medicamentis quæ Hippocratis sæculo erant in vsu, præcipuè sint intelligenda, benigna tamẽ atque clementiora, quorũ multa apud nos sunt, non omnino incommodo carent, quia eorum vsu quæ sana sunt corpora aliquo modo demoliuntur resoluũturq; , præterquã quòd vis similiũ medicamẽtorũ languida admodum cùm sit, anteaquam ad mammas deueniat deperditur aut ita obtunditur, vt exigua admodũ aut prorsus nulla in lacte supersit: & licet Galenus dicat, non solùm elaterij aut syluatici cucumeris, verum cuiusque alterius subductorij medicamenti esu lac pueris lactentibus purgatiuum gigni, nihil aduersus hæc facit, quia non loquitur de nostris benignis ac mitibus quæ suo tempore reperta nondum fuerant, sed de malignis atque vehemẽtibus vt exempla ab eo allata manifestant: nam ait, capras scamoniæ germina depastas, purgatiuum ipsas lac generare, idemque accidere si tithymallo vescantur, refertque in Doride & Bœotia & Thessalia & Athenis, omnibusque finitimis locis, multos ex coturnicũ nimio esu musculorũ distensionibus fuisse correptos, quoniam veratrum scili-

Lib. 6. epid. p. 6. com. 35.

cet ille comedunt. Cum igitur hęc pueris exhibere nullo pacto liceat, & meliora ab antiquis cognita non essent, idcirco ea nutricibus offerebant vt lacte illorum facultatibus insignito pueri purgarentur: at nos cùm benigna & clementia satis medicamenta quæ à priscis incognita fuerunt, habeamus, possumus securè ea ipsa pueris propinare, aut deuoranda præbere; huiusmodi sunt manna, siliquæ ægyptiæ, interaneus liquor, succus rasarum persicarum melle aut saccaro concinnatus, syrupus ex nouem infusionibus violarum, & violæ ipse saccharo conditæ, quæ iosaccharum propriè appellari possunt. Hæc sanè cũcta innoxiè tutoq́ue puerulo adhuc lactenti exhiberi queunt: deinceps verò tẽpore sequẽti ac toto pueritiæ discursu ista eisdem largimur, & ad hæc rhabarbari aut sennæ infusum, catholicum, diaprunem simplicem, ac itidem agarici dilutũ, quod ego Ioanni Brauo filio meo adhuc lac sugenti aliquando dedi, exposcente id affectu. A pharmacis tamen fortiter purgantibus arcendos pueros, semper censeo, ne mollis eorum substantia, illorum vehemẽtia labefactetur, & corporis habitus præter modũ dissoluatur, nã docente Galeno vera methodus inuenit & experientia cõ-

Lib. 6. meth. cap. 3.

firmat

firmat, robustis corporibus valentiora medicamenta, imbecillibus mitiora esse adhibenda. Atq; hæc causa est (si eidē Galeno creditur) cur pueris omniū maxime theriaca interdicatur, quoniā eius magnitudo puerorū vires plurimū excedit, nā & puerile corpus propte dissoluit, & cōplantatū spiritū facilè dissipat. Pari modo & ars seu vitæ genus euacuationis præbet indicationē, qui enim artes exercēt in quibus magna fieri solet resolutio, vt qui balneis subministrant, aut onera ferunt (testimonio Auicēnæ) ab euacuatione sunt prohibēdi & in summa, in omni exercitio laborioso abstinēdū est ab euacuatione. Atq; de vitæ genere hactenus, de tēpore verò & regione præcedēti capite dictum abūdè est, quare licet huic iam finem imponere.

Lib. de theriaca ad Pisonē cap. 17.

4 1. cap. 3 nō longe à principio.

Quibus notis vnaquæque cacochymiæ species seu quisque vitiosus humor in corpore redundans, priuatim cognosci debeat. Cap. VII.

CVm nō satis existat noscere purgationē esse opus, sed necesse etiā sit humoris qui purgari debet notitiā habere ne l. quæ purgari cōuenit, relinquam⁹. l. quæ nō expedit, educam⁹, idcirco oportet vni⁹ cuiusq; redūdātis humoris notas atq; indi

cia ad vnguem tenere, vt ipsis exactè cognitis atque perceptis, eum ipsum quem purgare humorem annitimur, & non aliũ, medicamento euacuemus: nam quemadmodum, docente Galeno, curatur nõ homo communis & generalis, sed nostrum quisque alius, aliud videlicet temperamẽtum naturamque obtinens: sic non purgatur humor generalis & communis, sed biliosus vel pituitosus, vel atrabilarius vel serosus, dicente eodem Galeno, quibusdã quidem conferre humores pituitosos euacuare, nonnullis amaram vocatam bilem, nonnullis verò atram, ac alijs serosam superfluitatem. Ad eundem modum aliud medicamentum exhibemus bile redundãte, & aliud redundãte pituita, ac aliud atra lacessente bile aliudque serosis recrementis affluentibus, ne infestãte humore vno alium quempiam qui culpa vacat purgemus, & sic hominem magnopere oblædamus. Ex quibus clarè intelligitur, quam conueniens sit cuiusque humoris in corpore exuberantis signa cuncta perpendere, perpensaque memoriâ tenere; quod in hoc capite faciemus, à bilis redundantia seu à biliosa cacochymia exordium sumẽtes. Porrò huius signa sunt, efferuescentia, iracundia, oris amaritudo, deiecta ap-

Li. 3. meth. 3. cap. 7.

Sect. 6. apho. 47.

petentia, linguæ aſperitas, narium ariditas, pulſus creber velox, ſitis ingens, aluus aſſiduè ſicca, & ſtercus paucum, vrens, vrinæ igneæ, acres, flauæ, tenues, cum paucis contentis, ſomnus omnino paucus, leuis, vigiliæ propè aſsiduæ, & inquietudo, ſomnia ignis, ſplendoris, æſtus & incendiorũ, rixarum, pugnarum. Agnoſcitur etiam ex morbi ſpecie, vt ſi morbus naturâ eſt biliofus veluti tertiana febris exquiſita, eryſipelas, herpes, puſtulæ prurientes, elatæ, mordicantes aut mordentem dolorem excitantes ſi hæc adfuerint: itidem & ex acceſsionum proportione, vt ſi tertio quoq; die repetant, nam morbi qui tertianas ſeruant acceſsiones, ex bile ortum ducunt, quemadmodum Galeno eſt viſum lib. 1. aphor. com. 12. & 2. de different. feb. libro cap. 9. Rurſus ex colore corporis flauo aut rufo, quandoque viridi, nam, Galeno teſte, color corporis humorum dominiũ oſtẽdit, niſi ſint in profundo, itidemq́ue ex cauſis bilem generantibus præſentibus aut præcedentibus, vt ex tempore eſtiuo, regione calida ac ſicca, & aeris conſtitutione, ac laborantis temperatura ſimili, & ętate iuuentutis quæ eſt omnium ætatum calidiſsima & ſiccisſsima ac maxime biliofa: victu calido & ſicco, parco, vigilijs, corpo-

Lib. 1. aphor. com. 2. & lib. 4. de ſanita. tuẽda cap. 4.

 ris

ris motibus immoderatis, hæc enim omnia bilis causas esse, ex Galeno liquet lib. 2. de temperamẽtis cap. 6. vbi sic ait: Quin etiã sollicitudo, ira, dolor, exercitatio, vigilia, abstinentia & inedia, succi flauæ bilis plus aceruant propterea quod plus eius succi in iecinore gignunt. Quòd si passionibus biliosis affici soleat, aut aliàs similis humor augeri in corpore assueuerit, humoris biliosi exuperantis suspicionem afferunt: si verò quidpiam humoris huius à corpore excernatur, id maximè ei⁹ quod remanet notam præbet: nam quemadmodũ Galenus ait, ab excretis seu exeũte mutato affectio cognoscitur. Quòd si bilioso humore exeũte, passio minuitur, biliosæ cacochymiæ manifesti⁹ adhuc indiciũ exhibet, siquidẽ (vt Manard⁹ dicit) proculdubio ab ijs facta ea symptomata videri qui bus exeuntibus quiescũt. Atq; his quidẽ signis humorẽ biliosum in corpore super fluere, perspicuè deprhẽdim⁹: quare oportet ad aliorũ signa pertransire. Exuberantis autẽ pituitæ indicia habẽtur distellatio ex capite in subiectas influẽs partes, & à pituita in vẽtriculũ illapsa nausea, cibi fastidium, vomitio, animi defectio hisque similia hominem lacescentia, & coctricis ad hæc imbecillitas, vrina alba, carnis laxi-

Lib. 1. de locis affectis c. 5.

Li. 12. epistolar. epistola. 8.

tas, mébrorũ mollitudo ac frigiditas. Agnoſcitur itidẽ ex tumoribus ædematoſis, hoc eſt laxis & doloris expertibus, ac ex alijs morbis quotidianas acceſsiones habẽtibus: nã, docente Galeno, qui ex hoc ſucco laborant, hos quotidie acceſsiones exercẽt, præcipueq; ad veſperã & noctu, nõ mane nec vſq; ad meridiẽ. Præterea & ex cauſis humorẽ hũc generãtibus: hæ autẽ ſunt victus ratio frigida & humida, temperatura ſimilis, ætas ſenilis, otiũ & vita ſedularia ſtudiorũ & curarũ expers, regio frigida & humida, & cõſtitutio talis inter anni tẽpora hyems humoris pituitoſi (ſi Hippocrati creditur) maxime ferax exiſtit. Ad hæc pituitæ ſigna ſunt ſenſuum torpor, faciei color albicans aut plumbeus, corp⁹ graue, iners, facies tumida, lingua alba, mollis, ptialiſmus ſeu aſsidua ſputitio, ſitis parca aut omnino nulla, famis tolerantia facilis, ex qua tantum abeſt vt lædantur, quòd Galeni teſtimonio, vtilitatem non medocrem ex ea ſentiant; facilis itidem ad ſomnum profundum propenſio, ſomnium ad hæc frequens aquarum pluuiarũ grandinis, niuis, vel rerum aliarum humidarum. Melancholiã dominari ſignificãt, color corporis niger, mœror, metus, terrores, oris ſapor ex acido & auſtero mixt⁹, ap-

Lib. 12. meth. cap. 5. in fine.

Li. 1. de natura humana. tex. 32.

Lib. 8. meth. cap. 8.

petentia immodica, quoniam hæc, autore Galeno, excitatur cùm acidi humoris vitio ventriculus mordicus infestatur; somnus leuis, plenus insomnijs turbulentis, terribilibus, à somno expergificantibus, vt mortis, cadauerum, sepulcrorum, pullatorum: tormentorum, dæmonum, rerumque nigrarum: oculi limpidi, lucentes, aspectus fixus & terribilis, solitudinis desiderium, taciturnitas: & in mulieribus color menstruorũ in sabulo vel panno fuscus. Rursus ex morbis per quartanas aut inordinatas accessiones repetentibus, vel ab humore melancholico aut atra vocata bile ortum ducentibus, cuiusmodi sunt scirrhus, cancer, elephantiasis, melancholia, mania. Causarum etiam notitia non parū conducit ad humoris exuberantis cognitionem: si namque causæ melancholiam generantes præcesserunt, indicium est vel manifestum, talem humorem in corpore superfluere. Causæ autem quæ melancholicum humorem efficiunt sunt cibi frigidi & sicci, quorum catalogum tradidit Galenus lib. 3. de locis affectis cap. 6. & ad hæc ætas inclinans, tempus autumni, suppresio hæmorrhoidarum aut alicuius alterius consuetæ euacuationis melancholicæ, nam hæc signum est & causa humoris

Li. 1. de caus. symp. cap. 7. & lib. de plenitudine. c. 11.

ris melancholici redundãtis: quemadmo dum & flatuum copia ac Veneris appeté tia, quia melancholici naturâ flatuosi sunt & ob eam causam libidonosi, vt Galenus est autor lib.6.epid.par.3.com.12.cui Aui cenna subscribit 20.3.dicens: Et habentes choleram nigram sunt plurimæ erectio- nis propter multitudinem inflationis ipso rum. Citat Galenus Aristotelẽ probl.31. sect. 4.quo loco quærit causam ob quam melãcholicos libidinosos esse contingat, & respondens dicit, ob id tales esse quòd flatuosi existant, semen enim flatus deci- sio est. Addit Galenus, flatuosum aceruari in ipsorum hypochondrijs spiritum nõ paucũ, atq; idcirco spirituosa flatuosaque & hypochondriaca appellari talia mala tũ à Diocle & à Plistonico, tum ab alijs plerisque medicis. Verum ait Aristoteles, semẽ flatus decisionem quãdam esse, vnde Venerem ex maris spuma prognatam fuisse, Poetæ fabulantur, & Galen. 5. de simpl. med.facult.cap.23. quæ semen generant, cibos quidem esse qui bene nutriunt, & flatuosi sunt, totisque substantijs familiares, medicamenta verò flatuosa & calida, scriptum reliquit. Et rationem reddens ait: Etenim cum seminis substantia ex bona superfluitate generationem sortiatur,

Tract. 1. cap. 15. & 25.

sitque etiam flatuosa; bene nutriant & fla tuosa sint necesse est, quæcunque semen aut procreare aut prouocare queunt. Veruntamen, & si melancholicos, mulierosos ac salaces esse contingat, & vt dixit Auicenna, plurimæ erectionis, fecundi tamen admodum non sunt, quia præter flatum, in semine ad generationem concurrere oportet natiuum calorem plurimũ, plurimosque vitales spiritus, quibus melancholici destituuntur, nam quos habent frigidi magis sunt, & ad terream siccamque naturam (quantum spiritibus datum est) inclinantes, quo fit vt cũ ipsi purissima parte fraudentur, Venus eis vt docet Galeno sit inimicissima ex coituque magis quam reliqui flaccescant & languorem persentiscant. Sunt igitur ob causam quam diximus melancholici mulierosi: eadem eunuchi & hi qui ætate declinant, patiuntur, vtrique nãque flatus copiam propter natiui caloris imbecillitatẽ cõtrahũt, quo fit vt ab eo intercluso pẽnis assiduè infletur, & intẽtus rigidusque reddatur. Hęc de notis melancholiæ prouentũ designantibus in pręsentia dixisse sufficiat.

Lib. 6. de sanita. tuen. c. 3. prope finẽ & cap. 4. nõ longe ab initio

Lib. de atra bile cap. 2.

Serosum seu aquosum recremẽtũ (quod autore Galeno, per vrinas, sudores & in

sensi-

sensibiliter vacuari solet, & misso sanguini supernatat) ostendit vrina tenuis, aquosa, sudor multus citra accessionis inclinationē, & victus precedens ex alimentis frigidis & aquosis, vti peponibus, moris, prunis, & cucumeribus, ac his similibus: nimius potus aquæ aut vini albi, tenuis & aquosi, & tādē omnes causæ quæ excrementū hoc in corpore producūt, quæ eadē propè sunt quæ pituitam pepererunt. Quòd si hęc quę recēsuimus superfluētiū humorū signa nō appareāt, ita vt medicus de redundātis humoris specie inscius sit aut anceps, Auicennæ consilio, victus est attenuandus, dicentis: Quando ignoraueris quid sit ægritudo, dimitte eā naturę & nō præcipitāter agas, quoniā vel ipsa natura morbū euincet vel cōspicuū reddet. Et alibi: Ac scias (inquit) nō esse tibi possibile curare febrē nisi prius cognoueris eā: q si ignoras, tūc subtilia regimē: cōfert siquidē opēq; fert tenuis victus aut alimēti attenuatio ad morbū manifestādū & ad ipsum palā faciendū ob id quod humore quolibet morbū cōmittēte cibi abstinētia sinceriori ac puriori reddito (quēadmodū Fernelius ait) eius vires melius se pdūt. biliosis enim bilis efferuescit, & quasi ferocitate subsultat, quę suo deinde furore febrē

4.1.c.1. iuxta finem.

1.4.tract.1.el 7. non longe ab initio.

Lib.1. pathol cap.14.

oris

oris amarorem, iracundiam, aliaque iam dicta symptomata inflixit. Melancholicis proprius humor mœrorem & metum incutit, vigilias, terrorem, famem, oris aciditatem, hisque similia molitur. Pituitosis destillatio ex capite in subiectas partes illabitur, & pituita in ventriculum influẽs nausea, cibi fastidio, vomitione, animi defectione, hisque similibus hominem lacessit, in magna quippe cibi potusque par simonia vitiosus humor aut in ventriculum irrumpit, aut propria sede solus & purus ferociter subsultat, consueta videlicet alimenti benignitate destitutus. Quapropter (vt idem Fernelius scribit) qui impuro sunt corpore ægrè ferunt inediam, verum dum connituntur humoris impetum & ferocitatem frequenti alimento sedare, non se, sed suam perniciem alunt, quia, autore Hippocrate, Non pura corpora quanto plus nutries tanto magis lædes, Per hos enim impetus si constanter perferatur inedia, quos primum cõcitauit mox certe cõpescet atque domabit. Leuis inedia bilem accendit, quam eadem tamen perseuerans extinguit, corpusque refrigerat, nam vitiosos humores exterit, suo modo concoquit, domat, & in vias deducit per quas naturæ impulsu aut artis benefi-

10. aphor. 2. sectionis.

cio

cio à corpore expellãtur. Sed de his satis. Diximus quæ sint cuiusque trium humorum bilis, nimirum pituitæ & atræ bilis indicia; superest vt quarti hoc est, sanguinis notas & causas tradamus, quoniam hic dignitate atque præstantiâ & molis quantitate reliquos alios longo satis interuallo antecellit & primum sibi locum vendicat, quas tradere haud ab re erit, vt sciamus, ipso redundante purgandum non esse, sed potius venam esse secandam, quemadmodum supra cap. 1. ostensum abundè est. Sanguinis igitur in corpore redundantis signa, teste Auicenna, eadem ferè existũt cum signis plenitudinis quo ad vasa, hæc autem sunt pulsus magnus, velox, frequens, & plenus, vrina crassa, rubra, multa, faciei & corporis reliqui color rubicũdus roseus ac floridus seu splendens, aut ex albo & rubro mistus, sanguinis profusio è locis qui facilè recluduntur, veluti naribus, ano, vtero; & magna temporis à sanguinis missione intercapedo, vasorum plenorum distensio, in oculis magis conspicua, totius corporis grauitas, mouendis & extendendis membris pigritia, manifesta in temporibus pulsatio, hilaritas & facetiæ, risus frequens, iucundarum rerũ amor, despicatiæ si cum risu fiunt, ob id

1. l. doct. 3. c. 7.

Hip-

Aphor.53.li. sexti.

Hippocrati securiores censentur, quia ex sanguine ortum ducunt qui, est humorũ omnium benignissimus & naturę ipsi maxime familiaris. Ad hæc sudor multus graue olens vt hircis inesse solet, exuberantiã sanguinis indicat, quemadmodum somniũ frequens, præsertim hæmorrhagiæ, & natationis in dolio vel cisterna sanguine plena, id quod iam Galeni testimonio, vacuationem esse necessariam denotat. Præterea, redundantis sanguinis signum & causa esus habetur alimentorũ euchimorum & multum sanguinem generantium vt panis siliginei, vitellorum ouorũ vini rubri, & similium eduliorum: ad hæc vitæ conditio hilaris & parũ anxia, somnus mediocris nec multum prolixitate excedẽs. Atq; hęc de sanguinis & reliquorũ humorũ notis dixisse sufficiãt, quare ad reliqua quæ supersunt enarranda perueniamus.

Libello de insomnijs.

Quæ dispositio in humore qui purgari debet exigatur, vt vacuatio facilis fiat & in cunctis rectè succedat. Cap. V I I I.

Motus & actio atq; passio in eo est quod patitur atq; mouetur Arist. libr. 3.

VVlgare quidẽ apud philosophos, præcipueque apud Aristotelem peripateticorum principẽ habetur, actus agentiũ in eo quod patitur atque disponitur existere:

stere: si namque hoc sit rebelle & affici cõtumax, agentia ipsa in eo nihil aut minimum omnino efficient. Quocirca cum passuri corporis dispositio tantã vim habeat ad agentis victoriam, danda opera est vt in hac de qua agimus purgatione, humor qui educi à medicamẽto debet sit idoneus & ad expulsionẽ paratus. Nec arbitrandũ sufficere humoris purgãdi simul ac purgantis medicamẽti exactã nos cognitionẽ habere; nisi enim ille vnà sit paratus & medicamẽto obediẽs, sinistrè perperamq; purgatio efficietur: paratus autẽ atq; dispositus habebitur, primo si cõcoct⁹ & à natura superatus extiterit, insuperque attenuatus, atq; incisus (si qua illi inerit crassitudo aut viscidicas) ac preterea si meatus per quos educi debet sint adaperti laxiq; facti, & nullã obstructionẽ participantes. Hæc sanè Galenus nos docuit libr. 1. apho. cõ. 24. scribẽs in hũc modũ: Vt purgatio cũ vtilitate fiat prius oportet cõsiderare nũquid æger idoneè se habeat ad huiuscemodi purgationẽ, nã quicũq; multa cruditate laborant, vel qui tenaces & crassos cibos assumpserũt: sicut etiã quib⁹ hypochõdria distẽta atq; inflata sunt, aut supra modum calida atque ignea existũt, & hoc ipso in loco aliqua est viscerũ inflammatio,

de anima c. 2. vel secundũ alios codices, lib. 2. text. 139.

Qui nonsint ad purgationes dispositi.

matio, omnes hi haud quaquam sunt apti ad purgationes. Hæc itaq; abesse oportet, & humores quam maxime fieri potest esse fluxui paratos, hoc est tenues & nullum lentorem participantes, & aperta esse foramina per quæ debet purgatio fieri, & nullam habere obstructionem, nam & nos ista antea paramus cùm quempiam ipsumus purgaturi. Et hoc est quod ab ipso Hippocrate dicitur in illo aphorismo: Corpora vbi quis purgare velit oportet fluida facere. Hæc Galenus, quæ eadem scribit ipse libr. de ijs quos purgare oportet. Ex quibus deduitur, ambo hæc quæ dicta sunt ad purgationem requiri, nec sufficere vnum facere aliud verò omittere, nam si humores concocti & fluxioni parati fuerint, meatuum autem adfuerit angustia vel obstructio, aut si hi quidem sint reserati laxioresque redditi, humores verò crudi, vel ad fluendum inepti, prauè vitioseque purgatio succedet: quapropter vtrumque consequi est necesse, in humoribus concoctionem ac præparationé, & in meatibus laxitatem ac apertionem si vacuatio prospere fieri debet. Humores omnes ante purgationem coctione egere Hippoc. est autor aphor. 22. sectionis primæ, dum præcipit concocta medicamentis

Duo ad purgationé sunt necessaria.

tis esse expurganda atque mouenda, cruda verò nequaquam, nec in ipsis morborum initijs purgandum esse. Et lib. 4. de ratione victus in morbis acutis com. 43. clarius confirmat dicens: Quibus vrinæ nebulosæ & crassæ existunt, hos annuentibus cæteris, purgare conuenit: quòd si vrinæ tenues fuerint, tales non purgabis. Et Galenus in com. inquit, corporis purgationem prorsus esse vitandam cùm in humoribus adest cruditas: quod Hippocratem manifestasse subdit cùm dixit: Vrinæ tenues, tamquam crassę coctionis notę habeantur. Ac rursus textu sequenti ait: Corpus quieti permittere, vngere, & qualiter cótegere oportet, ac pro potu mulsa aquosa vti; pro sorbitione autem, cremore ptisanæ vesperi. Ventrem ab initio clystere duces, sed medicamenta purgantia non admouebis: nempe si ventré moueris, vrina non maturabitur, febrísque citra tum sudorem tum iudicationem in longum protrahetur tempus, Quam sententiam enarrans Galenus in eum scribit modum: Cur autem eos purgare haud velit in quibus summa inest cruditas, causam recensuit epilogisticam magis quam analogisticam, quam recensere ad eum spectat, qui id quod fit sola citra logicam demonstratio-

Coctioni ipsa purgātia medicamēta aduersantur, quia nimis calida sunt & vehementer mouent & lacerant, cùm tamē coctioni quies & calor moderatus opitulentur.

tient experientia no eit, dogmatici autem virferat docere, quam ob cauſam purgantibus nobis ita habentes, non concoquatur vrina, febris quæ ſine ſudore & iudicatione perſeueret. Atque Galenus hactenus; cur verò eis quę concocta ſunt purgātia medicamēta ſint adhibēda, minime autem eis quæ cruda exiſtunt, ratio eſt quoniā docente Galeno, tunc naturam ipſam habemus euacuationi adminiculantem, quę cûm optime valet, & à nulla pręter naturam cauſarum laceſsitur, coctos humores excernere conſueuit, eamque dū rectè operatur imitari medicus debet: ſolet enim ipſa, vt Galenus ait, primùm concoquere, deinde diſcernere vtile ab inutili, poſtremo hoc quidem eijcere, illud verò ſeruare. Atque ob hanc quidē cauſam purgatio concoctionem ſubſequi debet, minime autē præcedere. Accedit eò crudos humores locis quibus continentur impactos & incuneatos adhærere, quo fit vt medicamētis ipſis trahētibus non cedant nec obſequātur: nā, teſte Galeno, qui præter id quod omnino crudi ſunt cū ſtabiles etiā ac fixi ſint, purgātiū medicamētorum tractibus difficulter obediūt. Sic etiā & illud ab Hippocrate dictū eſt: Quicūq; ea quæ inflāmātur, ſtatim in morborū principijs

Lib.1.aphor. com.22.

Li.4.aphor. com.22 & li. de ijs quos purgare oportet.

Lib.1.de criſibus cap.9.

Lib.4.de rat. vict.in morbis acutis cō. 23.

pijs soluere vetát, de eo quidē quod intē-
tum atq; inflāmatū est nihil adimūt, nec
enim cedit adhuc cruda passio, quę verò sa
na sunt ac morbo resistūt, colliquescere fa
ciūt: & merito quidē, nā cū humor in par-
te inflāmata cōtētus ad exitū ineptus sit,
medicamētū illa attrahit quæ atrahere po
test, talia autē bona sunt & corpori ægrotā
tis proficua, quo fit vt perinde afficiantur
ac illi qui sano corpore præditi purgantia
medicamēta assumūt, qui Hippocrate au-
tore, statim imbecilli reddūtur, nā & verti
gines & tormina patiūtur, & difficulter his
purgatio procedit, ac propterea celeriter
exoluūtur. Fiunt autē hęc omnia scribēte
Galeno, purgāte medicamēto proprium
quidē attrahere humorē appetēte vel fla-
uā bilē videlicet, aut atrā, aut pituitā, aut
serosam superfluitatē, quia vero ille non
adest, sanguinē colliquat, ac carnes vt ex
ipsis propriū attrahat humorē. Simile pro-
fecto est bibito medicamēto propriū hu-
morē qui purgari debet nō adesse, aut qui
adest, euacuari nō posse: vnde euenit vt car
ne colliquefacta & spiritibus ac bonis hu
moribus euacuatis, imbecillū corpus redda
tur, & morbus exacerbetur & superior q̄
antea euadat, deficiētibus viribus quę illū
opprimere ac cōcoquere debebāt. Verùm

Aphorismo 36. & 37. sect. 2.

2. sect. aphor. 37. & Lib. de ijs quos & quales purgare oportet statim in initio.

Lib. 1. criso. c. 9.

non temerè à Galeno dictum est, eos qui præter id quod omnino crudi sunt, cùm stabiles etiam ac fixi sint, purgantium medicamẽtorum tractibus difficulter obedire, innuens clarissimè, instabiles atque cõmotos crudos adhuc purgari debere; quod Hippoc. in aphorismo significauit cum dixit: Modo non turgeant. quibus verbis vult turgentes humores statim in initio nulla coctione expectata medicamento esse educendos: cuius rei causam, & vnde vox hæc turgere dicatur, docuit Galenus lib. 1. de crisibus capi. præcitato, inquiens, verbum hoc propriè de animalibus quæ ad coitum rapiuntur dici consueuisse: translatum autem esse ad eas quę properant & celeriter mouentur ægritudines, & præcipuè cùm laborantis sensus ab inordinata humorum & spirituum agitatione irritatur. nam in istis, ait, tantum quispiam rationabiliter pharmaco vtetur cùm per se habeat adiuuantem ad facilius trahendum superabundantium humorũ motum: & in comment. iam citati aphorismi, verbum turgere, inquit, translatum esse ab animalibus turgentibus ad humores; nam sicut illa stare loco nõ possunt, quodammodo titillata atque impulsa concitataque à passione: sic & humores plerun-

De animalibus quæ ad coitum efferantur scribit Arist. libr. 6. de hist. anim. cap. 18.

rũque in motu vehementiore, atque trãſ fluxu ab vna parte ad aliam, in morbi prin cipio hominem infeſtant mouentes, titil- lantes, & quieſcere non permittentes: ſed cum ipſi pariter moueantur & transfluant tanto motu de loco ad locum ægrum la- ceſſunt. Tales itaque humores euacuare conuenit, hoc eſt, qui de loco ad locum mouentur ac transfluunt: eos verò qui ſunt in aliqua corporis parte firmati, nec alio auxilio mouere oportet, nec medica- ri ante coctionem. Ex quibus clarè intelli gitur cauſa cur humores turgentes ſtatim purgari debeant, ac pariter quæ ſit humo- rum iſtorum natura, ea nempe vt huc at- que illuc irrequieto motu agitẽtur. Quod itidem lib. de ijs quos purgare oportet cõ firmat, dicens: Concitari verò & turgere humores dicuntur cùm motu vehementi agitantur, ac ab vno loco ad alium con- fluentes inter principia morbi hominem vexant, doloreſque ac titillationes afferen do, ægrum quieſcere non permittunt: & ſubdit: Hos ergo humores euacuare cõue nit, in motu, agitatione & fluxu poſitos.

Verùm antea quam vlterius progreſſus fiat, licet prius diſputare ſit ne humor ali- quis turgẽs, nam quidam noſtri temporis ſcriptorum medicos reprehendunt, quòd

perperam humores turgẽtes vocauerint, asserentes naturã esse quæ turget, minime verò humores. Citãt in sui dogmatis comprobationẽ Theophrastum referentẽ plãtas turgere ad partum, id est, vere ineunte habere appetitum seu impetũ concitationẽue quandã naturalẽ germinandi & producendi fructus ex materia quam hyeme contraxerunt. Citant similiter Aristotelẽ lib. 6. de histo. animal. cap. 18. vbi loquẽs de quadrupedum fœminis, ait, ad concubitum eas turgere, sumpta ad id cognitione ex prominentia genitaliũ partium; nec non ex frequẽti mictu: vnde apud Arist. etiã turgere, naturale significat desideriũ & insitum appetitum quo fœminæ cõcubitum quærũt ad sobolẽ propagãdam. Id ipsum Hippocratis testimonio probare nituntur 3. de fracturis text. 18. dicente: Pus copiosum ex vlcere manat, turgereque pars affecta videtur, in cuius sententiæ enarratione scribit Galenus ὀργᾶν, hoc est turgere, esse ad excretionem festinare ac incitari partem quæ laborat. Ex his sanè cunctis colligũnt, verbum ὀργᾶν tantùm ad naturam pertinere, cui proprium est appetere, minime verò ad humores, quibus nec appetitus nec mouendi potentia inest, hactenusque vulgus medicorum hac in re
dece-

deceptum fuisse, ipsósque veritatem attulisse, ac declarasse (quæ hucusque medicos latuerat) arbitrantur. Verùm quàm isti ridendi sint putantes se abditum quidpiã pronunciare, paucis in præsentia concludam. In primis tamen redarguendi veniunt quia censent, turgentiam non posse pertinere ad humores, cùm tamen primarij medici hoc ipsum adeò manifestè docuerint vt mirer in re tam perspicua illos fuisse hallucinatos. Et vt ab Hippoc. exordiar is enim aphorismo. 1. libr. 4. sic ait: Vtero gerentes sunt medicandæ si materia turget quarto mense, & vsque ad septimum. Et rursus aphor. 10. sequenti inquit. Medicari in valde acutis si materia turget, eadem die. Quod itidem Galeni testimonijs confirmari facilè potest, siquidem libro de ijs quos purgare oportet turgentiam humoribus impegit quando tradidit, turgere humores dici cùm concitati sunt; & 8. de comp. med. secundùm locos cap. 3. turgere dixit ad excretionem moueri & nondum ad certam sedem impetum habere aut consistentiam, quæ verba non de alijs quã de humoribus debent intelligi, siquidẽ hi sunt qui ad excretionẽ mouẽt, nõ partes, hę nãq; humores ad excretionẽ mouẽt & humores ab eis mouẽ

 tur.

tur. Et lib. de ijs quos purgare oportet, ait: In acutis morbis si purgatione vti velimus, turgente materia huiusmodi præparationi locus non est. Quam sententiã similiter Auicenna est secutus 4.1. capit. 1, non longe à principio, dum inquit: Ægritudo quoque si multæ furiosæ materiæ fuerit, in principio eam euacuabis non expectantes maturationem. Ex quibus clarè intelligitur, nõ medicorum vulgus, vt isti proferunt, sed medicinæ proceres turgentiæ vocem humoribus adscripsisse. Si dixerint, naturam esse quæ propriè turget, humores per similitudinem dumtaxat, vera loquentur, cæterum si censent nouum se aliquid in hoc afferre, mirari licebit cæcitatis eorum qui non vident hoc à Galeno iampridem esse animaduersum, siquidem lib. 1. de crisibus cap. 9. sic ait: Verbũ turgere propriè de animalibus quæ ad coitum rapiuntur dictum est, translatum est ad eas quæ celeriter mouentur & properant ægritudines. Et lib. 1. aphor. com. 22. verbum turgere translatum esse ab animalibus turgentibus ad humores scriptum reliquit, quare cùm huiusmodi testimonia præ oculis habeant, & tamen illa non videant, similes profectò sunt ei qui alios quidem asinos numerabat, illum autem

cui

qui ipse insidebat, prætermittebat, deinde accusabat proximos de asini furto: aut ei simile illis accidit qui aliquid eorum quæ ab ipso tenentur, disquirit: cui sanè spectaculo cùm Galenus ipse aliquando interesset, risum continere non potuit, conspicatus quēdam tumultuantem, & omnia quæ in domo erant dimouentem, ac miscentem, cum aureos vestigaret quos ipse chartula quadam inuolutos altera manu tenebat. vt enim his impotenter vociferantibus vir quispiam moderatus summisse loquutus illi quidem (opinor) asinũ in quo sedebat, ostenderit, huic autem suam ipsius manum sinistram dextra tangere iusserit: Eodem opinor modo & ego ijs qui nos ita increpant, si modo oculos habent, ostendam, antiquiores medicos turgentiam humoribus adiunxisse, pariterque illos vocem hãc ab animalibus ad humores transtulisse. Sed quid mirandũ est illam de humoribus enunciari, cùm eadem met de oratione alijsque plerisque enuncietur? Cicero namque lib. 4. ad Herennium non longe à principio sic ait: Vt corporis bonam habitudinem tumor imitatur sæpè, ita grauis oratio sæpè imperitis videtur ea quæ turget & inflata est, quod assequi facilè erit verbi huius signifi-

catione semel intellecta, est enim turgere idem quod tumere aut inflari, quomodo & illud ab eodem Cicerone li. 5. Tusculanarũ quæstionum dictum est: Animus sapientis numquam turget nec tumet. Et ibidem ait: Membrum tumidum ac turgidum vitiose habet. Cui sententiæ adstipulatur Vitruuius lib. 8. architecturę cap. 3. dicens: in Italia & Alpibus esse genus aquæ, quã qui bibũt, turgidis gutturibus efficiuntur: quo in loco turgidis pro tumidis vsus est, vt apud Iuuenalẽ videre licet satyra 13. vbi horũ gutturũ mẽtionem faciés, ait; Quis tumidum guttur miratur in Alpibus? In qua significatione dictio turgere sumitur à Galeno libro sexto, epid. part. 2. cõment. 30. vbi de tuberculis verba faciens, inquit: Iam & de phymatis antea didicisti, quæ in acutum fastigiantur ac veluti turgent, calidorum humorum sobolem esse, contraria verò frigidorum. Cæterùm obijciet quispiam non dari humores turgentes: si namq; darentur, aut esset intra vasa, vel per corporis habitum: non per hunc, quia præterquam quod extra venas putrescentes humores febres non efficiunt continuas, quæ cum humoribus turgentibus adesse perpetuò debent, velociter moueri nequeunt,

Obiectio.

queunt impediente nimirum celerem motum densitate atque angustia meatuũ. Sed quod intra venas tales humores non consistant, ex eo probari potest quòd venæ docente Galeno sensu carent, quare humores per ipsas delati, dolores ac titillationes inferre neutiquam poterunt. Cui obiectioni respondendum, turgentes humores calidos esse, tenues, acres & exurentes, à quibus dum per vasa mouentur, similes vapores eleuantur qui è venis ipsis egressi per partes sentientes deferuntur easdem vellicantes, exurentes, mordicantes, ac dolore afficientes. Adde eosdem humores atque vapores venas inflare atque distendere, & in membrana earum exteriori sensu prædita, dolorem inducere, vapores autem hosce itidem turgere quemadmodũ & humores à quibus orti sunt Galenus insinuat. 1. lib. de crisibus c. 9. his verbis. Præsertim cùm ab inordinata humorũ & spirituũ agitatione laborãtis sensus irritatur. Nec inficias eũdũ arbitror, succos biliosos per corporis habitum admodũ agitari posse, cũ (si Galeno creditur) haud aliter rigor fiat q̃ humorib⁹ istis per mẽbra sentientia veloci motu delatis; turgere tamẽ de humorib⁹ enũciatur qui intra vasa celeri agitatione mouẽt: q̃ agita-

Li. 6. de vsu partium cap. 12.

Obiectioni responetur.

4 aphor. 51 1 o. met. cap. 3. de crisibus cap. 11. a long. à fine

tionem & concitatum motum, Galenus causam esse ait cur protinus initio purgẽtur, licet nõ ob hoc solũ purgari debeant sed multo magis propter incõmoda quæ nisi purgẽtur sunt allaturi: ea autem sunt, eodem Galeno attestante, roboris dissolutio, caliditatis febrilis augmentum, & metus ne humores huc atque illuc vagantes in princeps aliquod membrum dilabantur. Quare prudentissimè factum est statim per medicamentum ipsorum vacuationem moliri, antea scilicet quam robur corporis dissoluatur & calor febrilis augeatur, & humores ipsi noxij in nobilem aliquam partem decumbant. Verùm obijciet aliquis hac ratione illos purgationibus minime esse educendos, quoniam si purgentur, in iecur ipsum (membrum nẽpe princeps) necessariò incidẽt; siquidem exhibitis medicamentis purgantibus, necessariò tales humores ad iecur trahi debent, si per aluum excernendi sunt, cùm nulla sit alia via per quam huiusmodi humores ex venis, & ex ipso corporis habitu in aluum duci possint nisi iecur, dicente Galeno, iecur non solum sua ipsius excrementa saniemque & humores præter naturam in ventrem demittere sed etiã corporis totius, quãdoquidem venter per id omni-

Margin notes: tierisceon c. 9. & li. de ijs quos purgare oportet. — Lib. 4. aphorismorum co. 10. — Obiectio — Lib. 2. prog. com. 13.

omnibus corporis partibus copulatur, ac per illud recipit excrementa earum. Et rursus in com. 14. sequenti, omne corpus per iecur purgari scribit. Ad quod dicendum est diuerso modo humores in iecur incidere cùm suo impetu in id prolabuntur, atque cùm à medicamento purgante trahuntur: quoniam cùm suo impetu pro labuntur, incidũt vt moram trahant: quod illo verbo decumbunt in citato commentario significauit Galenus; decumbere enim humores in aliquam partem, est in illam decubitum facere & immorari: cæterum cùm à medicamentis purgantibus ad intestina trahũtur, nullam prorsus moram in iecore faciunt; atque tunc licet in illum incidant, non incidunt vt retineantur, sed vt illico expellantur: posse enim aliquẽ humorem malignum per viscus aliquod, etiam principalissimum, sine noxa pertransire, si huiusmodi transitus velocissimè fiat, testimonio sunt ea quæ de fracta pulmonis vomica lib. 6. de patientibus locis c. 4. scribit Galenus; Cuius pus, ait, per læues arterias & sinistrum cordis ventriculum in renes & vesicam deferri, & tandẽ per vrinã ipsam expurgari: igitur per euacuationes quæ à medicamentis purgantibus efficiuntur, turgentes humores non in ie-

Obiectionis solutio.

Quid sit decumbere humores in locum aliquẽ.

in iecur decumbunt sed per illud innoxiè purgantur. Metus itidem illabendi in locũ aliquem principem medicum impellit humores qui ad certam aliquam partem, aut principem, aut vitæ necessariam mouentur, etiam si non turgeant, citra concoctionem euacuare. Hos autem non turgere, ex eo patet quia ad destinatum aliquem locum mouentur, cùm tamen turgẽtes, autore Galeno lib. 8. de com. med. secundum locos capit. 3. non dum ad certam aliquam sedẽ impetum habeant aut consistentiam. Prædictos autem ante concoctionem purgare oportere, liquet; nam si turgẽtes humores illico, nulla coctione expectata purgam⁹, timẽtes ne in aliquod ex principalibus membris illabantur, quãto magis illos qui iam illabuntur purgare debemus? sanè neminem arbitror fore tam stupidum, qui in humore irruente ad pulmonem vel ad thoracem, aut in angina, phrenitide vel apoplexia coctionem expectet. Quocirca prudenter Galenus li. 14. met. cap. 8. cùm vespere hora diei ferè decima ad ægrotum quendã, qui sexagenarius iam erat, linguam tumefactã ita habentẽ vt ore eam continere non valeret, primum accessisset, ei protinus absque aliqua præparatione pilulas ex aloe, scammonio

Humores qui in certũ aliquem locum irruunt, ante concoctionem purgandi.

nio & colocynthide cōstantes exhibuit, quibus, humoribus ad inferna reuulsis, hominē à suffocationis periculo tutū seruauit. Trallianus itidem anginoso cuidā, vrgente valde affectione, vespere ex cremore ptisanę lacrymam scamonij, omni prorsus præparatione omissa præbuit, & alium simili malo pressum post duorum brachiorum venarum sectiones, liquore tithymali ex herba ipsa expresso trium siliquarum pōdere eodem die purgauit, sequente non expectato: quod faciendum esse suadet quando affectus vehementer dominatur vt nullas moras admittat. Itaq; humorem qui in partem aliquam illabitur, confestim reuellere oportet, qui si sanguis fuerit, venæ sectione: Si verò alius à sanguine humor, purgatione est reuellendus: quo modo faciendum esse Galen. ex Hippocrat. sententia docet libro quarto, metho. capite 6. in erysipelate vlceri superueniente, vbi influentem humorem purgatione ad contraria reuellere præcepit qua maxime parte vlceri conducit, siue per superna id siue per inferna fit; vtiq; si in superioribus partibus vlcus cōsistat, per inferna purgātes: si autē in inferioribus sit, superiorē vētrē vacuātes. Ad quē modum scribit ipse, nonnullos ex ijs qui-

Lib. 4. capi. titulo de sanguinis missione.

Hipp. verba ex lib. de vlceribus à Galeno allata.

Li. 13. meth cap. 11.

quibus oculi tentari phlegmone cœperũt sola purgatione per aluum vna die sanatos vidisse. Et deinceps subdit: Eâdẽ ratione in omnibus quæ circa caput accidunt, purgationem ad contrarium auertere. Ex quibus clarè intelligitur, influentes in partem aliquam humores, nulla expectata coctione, purgandos esse, quoniam reuulsio quocumque modo fiat, semper humoribus influentibus adhibetur. (Si namque fluxio iam restitit atque in membro inhesit, non reuellere, sed, vt Galenus ait, deriuare per vicina magis expedit, cum & in propinquiora translatio fit, & purganti medicamento promptior tum accessus, tũ attractus è vicino detur) & humores dum fluunt, morbus est in principio, dicente Galeno, inflammationis principium esse totum tempus quo humores influunt in partem; ergo influentes in principio & adhuc crudi educendi sunt & aliorsum reuellendi. Quod itidem Hippoc. testimonio probari nõ obscure potest, siquidẽ is lib. 2. de ratione victus in morbis acutis, in dolore ad præcordia descendente iubet ventrem mollire nigro veratro aut peplio, quod constat eiusdem sententiâ, in principio obeundum esse, quoniam purgatione hac, loco sectionis venæ vtitur, quam in prin-

Lib. 4. meth. cap. 6. 2.

Lib. de totius morbi tẽporibus cap. 3.

principio faciendam esse censet, ad materiam quæ influit reuellendam; eãdemq́; intentionem euacuandi per pharmacum in dolore ad præcordia declinante, ipsum habere, perspicuum est, in quo Galenus, iuxta eiusdem Hippocratis doctrinam, quandoq́ue prima die pharmacum exhibuisse 4. de victu acut. com. 37. refert, atque vt sequens est, in principio & cruda adhuc materia. Nec enim rationi conforum est, prima statim die in hoc morbo coctionis notas apparuisse. Atque de his satis.

Prima die Galenus pharmacum exhibuit.

Occulta rursus quædam ac pestilens malignitas etiã ante concoctionẽ purgare compellit, quoniam eà affecti humores nisi statim purgẽtur, cor vel aliud membrũ vitæ necessarium subeuntes extremam afferunt perniciem. Quapropter iure optimo admiratur Manardus medicos qui purgationem in tam pestifera lue ante cõcoctionem contẽnebant: si qui enim morbi inueniuntur qui eiusmodi purgationẽ eadem die ita efflagitent vt morari malum sit, hoc maxime pestilẽtes hi morbi requirunt, velocissimam mortem nisi hæc fiat inferentes. Quod ex Galeno elici haud dubiè potest lib. 5. metho. cap. 12. vbi inquit, quotquot ex dira & immani illa peste,

quæ ſuo tempore contigit, vitæ ſuperſti-
tes euaſerant, multis per vomitum, omni-
bus per ventrem, corpus antea fuiſſe prę-
purgatú & præſiccatum: quod ſiue à na
tura ſiue ab arte factum ſit, omnino (vt
Manardus ait) nobis oſtẽdit in his qui ex
peſtilentia ſeruari debent, exſiccationem
per corporis vacuationem eſſe neceſſariá.
Vnde Auicenna ſummam curationis fe-
brium ſpeſtilẽtialium exiccationem eſſe
ſcriptum reliquit; eamdemq́ue cũ ſangui
nis miſsione & ventris ſolutione molien-
dã eſſe. Ac conſequenter ait: Et oportet vt
incipiatur in febre hac ab euacuatione, ſi
autẽ materia vincẽs fuerit ſanguinea, fiat
venæ ſectio, & ſi fuerint humores alij, eua
cuentur. Hæc Auicẽna. Ex quibus liquet
merito illos à Manardo magis probari qui
ab initio peſtilentialiũ morborum, quãto
citius poſſunt, omnia genera euacuatio-
nũ exercent, quàm eos qui iudiciũ, quod
potius malum quàm bonũ in his euenit,
expectant: dicente Galeno, iudicia quæ in
peſtilentia contingunt, ad mortem potius
quã ad ſalutẽ tẽdere. Atq́ue hactenus præ
ter turgentiam duo recenſuimus, locũ vi-
delicet, & malignam ac venenatã qualita-
tem, ob quæ morbo incipiente ac nulla vi
ſa coctione purgare debemus, licet enim
hæc

[margin: 1.4. tract. 4. c. 4.]

[margin: Lib. 2. aphor. com. 13.]

hæc non turgeant, vrgent tamen, & summopere medicum ad euacuandum impellunt. Atque in his quidem omnes ferè cósentiunt: in quo vero maxime dissentiunt aduersique existunt, est: vtrum in materia multa quę nec turget, nec maligna est, nec ad partem aliquam principem mouetur, liceat ante concoctionem purgātibus medicamentis vti, nam aliqui tenent nullatenus hoc licere, nixi Hippocratis & Galeni testimonijs quæ supra attulimus: id enim esse aiūt quod Hippocrates dixit; Si quid moueris circa ventrem, vrina non concoquetur, febrísque citra sudorem & iudicationem in longum protrahetur tempus. Nec secus illud voluit Galenus; nam postquam scripsit, humores qui agitantur, & de loco ad locum mouentur, ac transfluunt, protinus esse euacuandos, subdit: eos qui sunt in aliqua parte firmati, nec alio auxilio mouere, nec medicari ante coctionem oportere. In quam sententiam visus est deuenisse Auicenna 4.1.c.3. inquiés: Vbi verò in aliquo mēbro humor firmatus impactusq́; est, haud quaquá moueatur priusquá cócoctus sit, ergo mult⁹ si huiusmodi existat, hoc est stabilis & in loco firmat⁹, ante cócoctioné purgari nó debet. Verú vt distinctius hęc nostra

1. aphor. 22. & lib. de ijs quos purgare oportet.

procedat tractatio, animaduertendū, quæstionem hanc non versari circa morbos diutinos, sed circa acutos tantum; nam in diutinis (si Galeno creditur) semper coctio expectanda est. Num verò in acutis, præter casus iā relatos, materia multa existente, conueniat, signis cruditatis apparētibus, medicamenta purgantia exhibere, disquirendum modo est. Etenim, vt ego arbitror, si in humoribus turgētibus oporret ante concoctionem euacuare, oportebit nihilominus in multis, cum (vt Manardus ait) eadem pericula quæ in turgentibus nisi euacuentur, imminent, in multis etiam imminere videantur, quandoquidē vires ex nimio pōdere labefiunt, & febris caliditas cæteris paribus in maiori materia est maior, & metus est vt humores totū corpus occupantes, principalia mēbra attingant: quare pericula quæ cogunt, turgentes humores citra coctionem euacuare, cogent similiter & multos: præsertim cùm illis (nimirum) turgentibus, pluribus modis possimus occurrere, inhibendo scilicet motum, reprimendo ac alterando calorem, & principes partes roborādo, immodica verò repletio nullum habet prę sentaneum magis remedium quàm euacuationem. Rursus, docente Auicenna, si non

Lib 1. aphor. 24. & libr. de ijs quos purgare oportet.

[illegible]

4. 1 cap. 3.

non confidamus virtutē sufficere vsque ad tempus cócoctionis, humorem illum euacuare debemus, sed quando in corpore tanta redundat materia vt ab ea natura vel opprimatur vel vt opprimatur periclitetur, cum in illa coctio vix sperari possit, aliqua eius portio per pharmacum à medico demenda est, vt natura à tanto pondere leuata residuū possit euincere. Hoc manifestè idem Auicēna voluit 1. 3. tract. 1. cap. 29. in medio, dum inquit: Si materia fuerit multa valde, & timemus quòd cum ipsa calfiat, augmentabitur eius quātitas seu eius magnitudo, & faciet extēsionē dolorosam aut apostema; illic enim oportet vt incipiamus & euacuemus ex ea aliquid, deinde residuum decoqui incipiat. Nec diuersum Hippocr. censuit 2. aphor. 29. dicens: Cùm morbi inchoant, si quid mouendum videtur, moue, cùm verò consistunt ac vigent, melius est quietem habere. Quam sententiam enarrans Galenus sic scribit: circa initia verò illorū morborum in quibus speratur ęgrotus cóualiturus, tentanda maiora sunt remedia, de quibus Hippoc. dixit: si quid videtur mouendum, moue; sunt autem hæc præcipuè quidem venæ sectio, nonnūquam verò & purgatio, quorum neutrum opor-
 tet

tet, morbo iam consistente, adhibere, vt enim in lib. de crisibus manifestauimus, coctiones morborum tunc maxime fiunt vt igitur hæc citius eueniant, melius est circa principia euacuare, quo minorem iam factam materiam facilius natura concoquere poßsit. Ex quibus Galeni verbis recentiores medici (quemadmodum Manardus animaduertit) & nomen & rem ipsam minoratiuæ purgationis quam ab initio febrium putridarum facere consueuerunt, sumpsisse sunt visi: vnde satis mirari non poßunt, autorem libri de arte medendi pariter & alios aphorismorum expositores eò oscitationis deuenisse, vt dicāt Hipp. in præfato aphorismo de humoribus turgētibus verba fecisse, nō animaduertentes, in huiusmodi humoribus nō cōuenire euacuationē minorātē, seu vt dici solet, minoratiuā, sed erradicantem potius; nō enim tales humores sunt minoratiuè euacuādi, verū funditus erradicādi. Alij contēdūt, sub nomine principij vnà etiā & incrementū Hip. fuisse complexū, in quo cùm iam aliqua eluceat concoctio purgatione nos vti posse arbitrantur, verū isti nesciunt coctionem hanc (si coctio expectanda est) non sufficere ad purgationē exercendam, sed absolutam atque perfectam,

Minoratiua purgatio à Galeno sumpta fuit.

ctam, hæc etenim est postquam, naturam euacuationi adminiculantē habemus, nō autem illa, siquidē natura post exactā con coctionem noxios humores expellere sat agit. Si namque manifesta concoctio suf ficeret ad excretionem, quam natura molitur, sequeretur optimam crisim fieri pos se augmenti tempore, quod non admittit Galenus dicens, crisim optimam in statu in quo exacta apparet concoctio solūmo do euenire, tantúque quáci ꝗ; aliā ab hac quæ optima est deficere, quantū statū an ticipauerit: adde nō oportere naturā eo tē pore ab incepta humorū coctione distrahere. Alij opinātur, humores nimia quantitate adauctos, minorādos quidē esse, nō tamen quibuscumque medicamentis, sed lenientibus solummodo, quę humores in intestinis detētos eluant, & in vijs ductuū existentes deducant. Verū hi, verbi huius minorare, significationem intelligere non videntur, quod, inquā, minorem peccantem materiam in venis, vel in habitu corporis existentem reddere denotat: minor autem redditur materia non lenientibus medicamentis, sed electiuè purgantibus cuiusmodi sunt diaphœnicon, diaprunis & cum his siliquę Ægyptiæ liquor adiectus, quibus in febriū putridarū principio

Lib. 3. de crisibus c. 5. & 6.

Minor materia redditur non lenientibus medicamētis sed electiuè purgantibus.

 cipio

cipio (nisi aliquid prohiberet) Manardum vsum fuisse legimus, nullumque ex tali potione ægrotantibus vnquam cognouisse sequutum fuisse incommodum, quin potius modicam, & absque vlla notatu digna noxa purgationem abundè ipse testatur. In quo censu etiã rhabarbarũ, catholicum, electuarium rosatum Mesuæ, syrupus ex nouem infusionibus rosarum persicarum vel violarum reponũtur, quæ nos in continuarum febrium initijs ad materiam minorem reddendam sæpè vsurpamus. Dicuntur sanè hæc à nostratibus medicis medicamenta minoratiua, quia minorem peccantem humorem reddunt, & de eius quantitate detrahunt, non quòd semper erradicantibus minora sint: contingit enim interdum hæc esse minora eo quòd humor concoctus licet nimius sit & quantitate plurimus, quia tamen expulsioni paratus est, faciliori sæpè medicamento detruditur, quàm crudus & quantitate paucus: dummodo per coctionem ille non admodum tenax ac crassus reddatur, nam tunc vt erradicetur, fortioribus eget medicamentis qualia catapotia habentur. Itaque humor crudus & ad hæc multus, minuendus est, vt natura à multitudine leuata exonerataque, facilius

Medicaměta quare minoratiua dicantur.

quod

quod supereſt concoquat. Minuendus nihilominus eſt & peſtilens, etiamſi copia non multum exuberet, quoniam quod de huius quantitate deficit, malitia magis ſuppletur; atque ob id ſemper plus de humoris iſtius corruptione & putredine timemus, quàm ſperemus de eius cõcoctione. Quòd ſi contingat illum vna cum maligna qualitate multam quantitatem adſciſcere, multo magis ipſius vacuationẽ moliemur quoniam duplici modo infeſtat noxiuſque exiſtit, quantitate nimirum & peſsima qualitate. Verùm dicet quiſpiam, ſi humor peſtilens non minus prauus eſt quàm turgens, nec minora incommoda committere minatur, cur initio erradicante pharmaco non expurgatur, quemadmodum turgens expurgari ſolet; Cui dicẽdum, humorem turgentem euacuationi non reluctari, ſed ei potius eſſe paratum, ſcribente Galeno, cùm ſuperabundantes humores mouentur & per totum corpus feruntur, nondum in aliqua parte firmati exiſtentes, tunc ad eos expellendos naturam incitari, & aliquo indigere manũ porrigente, & hunc humorum motum ad aluum deducẽte: eos verò qui aliqua in parte ſunt firmati humores, nõ oportere mouere. Et lib. 8 de comp. med. ſecundum lo-

Obiectio.

Solutio

4. aphor. 1.

cos cap. 3. dicebat, turgere nihil aliud esse quàm ad excretionem moueri, & nondùm ad aliquem locum impetum habere, aut consistentiam, atque ob id turgentes facili negotio possunt extirpari: pestilentes verò quia quieti sunt & in partibus firmati, difficilè ægreque, nec sine maximo facultatum corpus gubernantium dispẽdio, & spirituum omnium iactura; atque idcirco hos paulatim euacuare satius est, quàm affatim præcipitare, cùm id fieri non posit absque eo quod vnà etiam vires precipitentur, & vniuersim ruant. Danda insuper opera est vt humores qui educi à medicamento debent, quam maxime fieri posit sint fluxui parati, hoc est, vt Galenus nos docet, tenues & nullum lentorem participantes, & aperta esse foramina per quæ debet purgatio fieri, & nullam habere obstructionem, nam ista Galenus parabat, cum quempiam erat purgaturus: quod ab Hippocrate illo aphorismo dicitur: Corpora vbi quis purgare voluerit, oporter fluida facere. In cuius sententiæ enarratione Galenus id ipsum confirmat, dicens: Si quis enim extenuet, atque incidat crassos & tenaces humores qui in corpore sunt, & meatus aperiat, per quos isti transmittuntur

2. aph. cō. 24. & lib. de ijs quos purgare oportet.

tuntur atque trahuntur à medicamentis quæ vim purgatoriam habent, tunc purgatio in omnibus rectè procedit: qui verò istud neglexerint, & vomitus atque alui subductionem procurauerint, ijs difficiles veniunt purgationes, non sine tor minibus aliquando, & quadam vertigine, fastidio multo, & malo pulsu, imbecillitate & difficultate. Galenus hactenus: humorem verò tenuiorem & lentore magis carentem, minus resistere medicamentis eum trahentibus, & per vias atque emissacula promptius meare, limpidissima ac purissima aqua argumento est, quæ facilius quam terrosa & lutulenta quoquouersum pertransit & fluit: & paleas tenuiores à succino, & acus à magnete minori negotio trahi, quàm ab illo magnas paleas & ab hac clauos, omnibus in comperto existit. Hinc est vt dicat Galenus, tenues & aquosos humores inter initia morbi esse euacuandos, coctionemque in crassis atque tenacibus esse expectandam.

Libr. de iis quos purgare oportet.

Verú obijciet aliquis. Si humores quo tenuiores sunt eò facilius vacuantur, sequi, coctionem purgationi obsistere, quandoquidem si Galeno & Aristoteli creditur, per coctionem omnia crassiora red-

Arist. libr. 4. meteor. capi 4. Galen. li. 2. prog. com. 33 & li. 4. de victu acut. com. 4.

redduntur, & ex aereis aquea, & ex aqueis terrea consistendo fiunt. Cui obiectioni dicendum, purgationem effici medicamẽto trahente & natura expellente, naturam que ante concoctionem non expellere, sed postquam concoxit, & morbificas causas superauit, tunc enim illam euacuationi adminiculantem habemus, antea verò haud quaquam. Nec inficias imus ex coctione noxium humorem nimis crassum nimisque viscidum nonnumquam remanere, dicente Galeno li. 2. progn. com. 67. sputum concoctum propter crassitudinẽ & lentorem, interdum expui non posse, quo casu incidi & attenuari, vt facilius expellatur, debet, siquidem duo Hippoc. adstruit, concocta esse medicanda, & ante medicationem corpora fluida esse facienda: corpora autem fluida fiunt meatibus referatis, & humoribus crassis attenuatis & viscidis incisis; quocirca si post concoctionem tales remanserint, antequã purgentur incidi & attenuari debẽt, vt vacuatio facilis & sine molestia efficiatur. Hoc in pituita & melancholia magis exigitur necessariumque est, minus in bile, quoniam hæc tenuissima cùm sit, & si concoquatur, tenuis semper remanet, nec tantã adsciscit crassitudinem, vt purgationi re-

luctetur. Atque hinc est vt dicat Galenus flauæ quidem bilis vacuationem esse facilem, pituitæ verò, ac potissimum eius quæ crassior glutinosiorque est: itemque nigræ bilis difficiliorẽ, quo magis purgātis medicamenti ope ipsę indiget: igitur bilis vt euacuetur, attenuatione nō indiget, nisi phlegmati crasso permisceatur, cuiusmodi ea est quæ spuriam tertianam committit, tunc enim incidenda & attenuanda est medicamentis id efficere valentibus. Si verò per assationem crassa admodum reddatur, vt vitellina, non incidi nec extenuari, sed dilui & attemperari medicamentis liquidis refrigerantibus & humectātibus debet, cuiusmodi est ptissanæ cremor, aut serapium violaceum, nenupharių, seridis, cichorij, diluta cũ aqua hordei, lactucæ, cichorei, aut alia simili, siquidẽ crassa quæ sunt dupliciter tenuia fiunt, vel rebus liquidis & humidis diluta, (quo modo lutum aqua mistum tenue redditur, & bilis vitellina assatione genita, potione refrigerante & humectante fluida fit) vel rebus calfacientibus, attenuantibus substantiæ crassitiem, aut eius visciditatem, & lentorem incidentibus: atque sic pituitam viscidam & crassam exhibitis oxymelite & rhodomelite incidimus & attenuamus, ex

Li. 14. meth. cap. 17.

pulsio-

pulsionique ipsam habilem reddimus: flaua verò bilis cùm (teste Galeno) tenuis sit, humida atque fluida, attenuatione & incisione non eget. Ex his perspicuum remanet quam increpandi sint egregij & sapientes illi medici qui se Galenum sequi putãtes, turgentibus humoribus, & huc atque illuc agitatis, extenuantia medicamenta qualia melicratum habetur, in quo decoctum sit non nihil hyssopi, vel origani, vel tragorigani, vel thymi, vel pulegij, vel aliquid aliud similem facultatem habens, adhibenda esse censent, cùm perniciosum id sit & à Galeni mente longe alienum: esse verò perniciosum, turgentium ipsorum natura abũde demonstrat: sunt enim humores isti tenues, calidi, acres, & exurentes, quo fit vt ob acritudinem & exurendi vim à nullo prorsus membro suscipiantur, sed ab omnibus potius reijciantur, & ob tenuitatem veloci motu moueantur, & facile huc atque illuc agitentur: quibus si prędictum melicratum exhiberetur, acriores & concitatiores reddi, neminem fore arbitror qui ignoret: quocirca si propter agitationem & acritudinem infesti sunt & periculum graue inferunt, quanto magis illud inferent si à medicamento acriores efficiantur.

Li.2. de nat. facult. cap. 9.

ficiant-

ficiantur,& aliam nouam motionem adſ-
ciſcant? Ex quibus clarè intelligitur, con
citatos humores, non extenuantia & cali-
da medicamenta expoſcere, ſed potius in
frigidantia & eorũ impetuoſum motũ in
hibentia, ac torpidum faciẽtia: ſi namque
influentibus calidis humoribus ad articu
los, aut in partẽ aliam, phlegmonẽ vel ery
ſipelas facturis, ſimilibus rebus vtimur, vt
motũ eorum ſiſtamus & fluere vetemus,
quãto magis eiſdẽ vtemur medicamẽtis
quãdo huc atq; illuc influunt atque mo-
uentur? Quod tamen Galenus voluit lib.
1. aphor. com. 24. & libr. de ijs quos pur-
gare oportet, longe alienum eſt à mente
ipſorum, ſiquidem Galenus his in locis
non exhibet prædicta medicamenta exte-
nuantia & incidentia, ratione humorum
turgentium, ſed potius cauſa crudorum
atque craſſorum, ſi qui forte tempore eo
dem quo humores turgent in vaſis maio
ribus & in alijs per totum corpus ramifica
tis, ipſe iecoris cauam & meſerei venas op
pleant, eaſdemque obſtruant atque infar-
ciant: nam dixerat paulo ſuperius, mul-
ta cruditate laborantibus, & eis pariter
qui craſſos, & tenaces cibos aſſumpſe-
runt, purgantia medicamenta propinan-
da non eſſe, antea videlicet quàm crudi
craſ-

Galeni locus interpretatur.

crassique illi humores extenuentur, & lenti incidantur, & meatus qui ab eisdẽ obstructi sunt aperiantur, & reserẽtur. Et cõsequenter subdit: Quòd si fortè talibus crassis atque viscidis humoribus in hypochondrijs & prima corporis regione existentibus, alij in venis quæ sunt vltra iecur turgere videantur, tali humorum crassorum atque tenacium præparatione nos vti haud quaquam posse, eo quòd imminet periculum à turgentibus non leue, ni si illico & sine cũctatione purgentur: quapropter isti protinus sunt euacuandi neglectis eo tempore alijs frigidis & crassis qui in prima corporis regione consistunt nisi fortè quispiam surripiat occasionem propinandi melicratum, in quo decoctũ sit parũ origani, tragorigani, thymi & pulegij, vel alicuius alterius medicamenti facultatem habentis humores extenuandi, & incidẽdi, innuẽs clarissimè, hæc aduersus crassos & tenaces humores eodem tẽpore in corpore cum turgentibus existentes, pariterque ad vias aperiẽdas exhiberi, & non aduersus turgentes.

Dubium. Cæterum rogabit aliquis, si bilis flaua tenuis est, humida, atque fluida, cur eam protinus in morbi principio natura non excernit cùm excretioni sit apta, & ex illa fru-

fructum nullum capessere debeat aut pos sit? Cui respondendum, bilem hanc inter initia naturam non expellere, quia tunc illius coctioni intenta est, siquidem ipsa humorem quemcumque curat sibi similẽ reddere, quod cum propter materiæ ineptitudinem, quam commutare conatur, adipisci nequit, & materia ipsa assecuta est elaborationem, quam suscipere potuit optimam, tunc demum eadem natura quasi desistens ab opere, ad expulsionem se vertit, atque hæc causa est cur ipsa ante humorum concoctionem nunquam adminiculetur euacuationibus. Est hæc concoctio in nocitiuo dicta, de qua verba faciẽs Auicenna sic ait: Eius verò operatio in superfluitatibus est, vt si posibile fuerit, eas in hanc commutet dispositionem, quæ etiam vocatur concoctio, vel vt earũ transitum habilem reddat, vt ex membris in quibus detentæ sunt, expellantur à vi expultrice. Quòd si iterũ interroget cur flauam iam dictam bilem medicus initio nõ euacuat, cùm probè sciat nullo vnquam vsui naturæ futuram esse debere: dicendũ, propterea id à medico non effici, quia eo tempore naturam adiutricem nõ obtinet quæ ante concoctionem excernit nihil. Accedit eò, bilem hanc, docente Galeno,

Dubio respondetur.

L. 1. doct. 6. 3.

Lib. 2. de rat. vict. in morb. acut. cõ. 44.

 ante

ante concoctionem flauam admodum esse, acrem & male olentem: per coctionem verò reddi pallidiorem, mitiorem & minimum male olentem, siquidem putredinem quam fœtor indicat (si eidem Galeno creditur) concoctio amouet & cessare facit. Ex his clarè intelligitur, bilē flauam, ante concoctionem, etiam si tenuior & fluentior esse posit, quia tamen acrior & mordacior ac fœtidior existit, idcirco vt euacuetur incommodatiorem haberi, siquidem mota fœtore & acrimonia calorisque nimietate, magis infestat, & partes per quas educitur atque permeat exurit, mordicat, excoriat, ac veluti exedit, præsertim iecoris παρέγχυμα & meseraei venas, intestinaque, quæ partes molissimæ sunt & pati paratissimæ. Vnde mirandum non est si dysenteriam committat, quod in locis quibus adhærebat, propter consuetudinem & familiaritatem efficere nequibat, concocta itidem, prędicta mala multo minus efficere valet, eo quod à natura iam domata est, & inermis, mitis, ac cicur reddita, quę tamen antea indomita, aculeata agrestisque persistebat. Hoc quidē est munus & officiū concoctionis cuncta domare & euincere, & quæ infestant expugnare inermiaque reddere, cū

In arte medicinali cap. 89.

sit

sit nimirum concoctio naturæ victoria supra noxios humores: nam, vt ait Galenus quemadmodum naturâ morbificas causas superante, coctiones fiunt, ita non superante, cruditates. Et libro secundo, de ratione victus in morbis acutis cōment. 44. exponens illa Hippocrat. verba: Interdum autem & cruda tum à capite tum à thorace attrahuntur biliosa, in hunc scribit modum: Nempe biliosa cruda nominauit, quoniam excrementorum coctionem appellat, quamquam mutata nutrire non possint, vt bilis vtraque & qui Græcè ἰχῶρες dicuntur, verùm quia talia euincit natura, cocta quidem vocare consueuit Hippocrat. excrementa huiusmodi quæ à natura ipsa euicta sunt, cruda verò quæ non sunt euicta. Ob id & pus in phlegmonis quæ cócoquuntur fieri ait, quamquam pars nulla ex pure alimoniam accipiat, veluti accepit ex crudis appellatis humoribus & pituita quæ reliquum perfectionis assecuta & prorsus concocta corpus nutrire possunt. Sic igitur biliosorum humorum concoctio existit, vt sanguinis qui in phlegmone est in pus migrantis: intelligentibus nobis coctionis nomen in suo vniuersaliori significato: est autem vniuersalius cum natura causis

Libr. 1. epid. part. 2. com. 46.

Quod sit coctionis vniuersalius significatum.

fortior fuerit, permutaueritque eas suo robore. Quæ igitur veluti in anima carente corpore putrescunt, nihil ad permutationem conferēte innato calore, à coctionis ratione degenerant. Hoc sanè contingit aquosis his humiditatibus quæ per vrinas excernuntur, atque ob id crudas vrinas concoqui dicimus, quamquam corpus ex coctis ali nō possit. Generali præterea hoc coctionis significato vtimur, cum vel catarrhum, vel coryzam, vel fluentes ex his humiditates, vel eas quæ ex oculis manāt aut crudas aut coctas esse dicimus: ad hūc modum & bilem vel crudam vel incoctā vel coctam esse pronunciamus: cruda quidē flaua admodū est & acris & malè olēs: cocta autem, & pallidior & minimum malè olens. Talia Galenus: quæ sanè cuncta multo ante eum Aristo. docuerat libr. 4. meteor. cap. 3. sic loquens: Cæterum ipsa quoque cruditas, perinde vt maturatio multifariā dicitur, vnde & destillationes & vrinæ & alui sedimenta cruda dici, eadē de causa solent, ex eo namque cruda nuncupantur omnia quòd à calore nec vincātur nec consistant. Et paulò superius scripserat: Quocirca & humiditates & vrinę & alui sedimenta & omnino corporis excrementa, sanitatis indicia sunt, & concocta dicun-

Cruditas perinde vt maturatio multifariam dicitur.

dicuntur, quòd humorem à calore vinci significent. Hæc Aristo. & Galenus literis prodiderunt; ex quorum prælongis seriebus constat, coctione media, naturam cũcta domare, & ad temperamenti mediocritatem redigere, significante scilicet, coctione, vt Galenus ait, omnem ad mediocre temperamentum adductionem; quo fit vt eadem bilem flauam calidissimam simul & tenuissimam, aliquantulum refrigeret, & ad tepórem deducat; vitreã verò pituitam calfaciat, vnde euenit vt illam refrigerando incrasset; hanc calfaciendo, quemadmodum sol glaciem liquefaciat atque attenuet. Quo modo puto intelligendum esse Auicennam 1.4.tract.2.cap. 7.cum inquit, coctionem in materia crassa æquationem esse eius cum subtiliatione, & in subtili esse eius æquationem cum in crassatione; &.1.1.doct.6.cap.3.coctrici facultati hæc eadem tribuit: loquitur enim vtroque loco de coctione quæ in excremẽtosis succis efficitur. Verũtamẽ quod ait, materiã crassam coctione fieri tenuiorem, intelligi debet, dummodo illa caloris nimietate & exuberantia talis effecta non fuerit: nam si fuerit, cum coctrix facultas non nisi caloris interuentu in eam agat & operetur, nõ poterit illam attenua

Lib.6. epid. part.5. aphor. 6.

Auicenna interpretatur.

re aut tenuiorem reddere. Hinc est vt bilis vitellina, pariter & pituita assationem perpessa, atque ob id crassior viscidiorque facta, quantumcumque coquantur, numquam tenuitatem adipiscantur; Indigent enim ambo hi humores artis ministerio si attenuari debent, quæ hunc dissecet atque incidat, illum verò diluat ac fluxibiliorem faciat: sed quomodo, quibusque præsidijs hæc fieri debeant, supra ostensum est. Vnum tamen hic omitti non debet, Manardum in ea fuisse opinione vt existimauerit, bilem in tertiana exquisita turgere, ob idque ante concoctionem purgari posse. Citat in sui fauorem Galenum lib. 2. de iudicijs capit. 3. dicentem, in tertianis bilem vehementer moueri & per singulas corporis partes disseminari, atque delationis impetu per seipsam expurgari; ergo turget, si verum est, turgere esse ad excretionem moueri, & nondum ad certam aliquam sedem impetum habere aut consistentiam. Et deinceps hæc subscribit: Si quis in tertianis purgationem bilis ante concoctionem moliatur, non solùm Galenum verùm & naturam se imitari, dicere poterit, per vomitum & sudorem, sed & plerumque per ventrem bilem in talibus fe-

Lib. 13. epist. 2.

bribus

bribus ante cócoctionem expurgantem; quod quã deuium à ratione sit, & Galeni placitis aduersum, illis qui ea quæ supra non nudè sed cũ demonstratione scripta sunt, diligenter perlegerint, patere facilè poterit; nã vt omittã, bilẽ eam quę actu rigorẽ & febrem efficit illiusque continens causa habetur, in singulis tertianę accessionibus expurgari, & euacuatione alia artis nó indigere. Hanc turgentẽ nõ esse ex ęo constat, quia ad certam & destinatam sedem mouetur, ad cutem videlicet aut vẽtriculum vel ad intestina; cum tamen turgens vaga sit & inconstans, nec aliquem habeat certum locum. Accedit eò quòd si illa turgeret, pariter etiam quicumque alius humor rigorem efficiens cum velociter per partes sentientes moueatur, turgens dicendus esset, quod constat esse falsum. Illam verò bilem quæ intra vasa continetur, & antecedens tertianæ febris causa iudicatur, cum quieta sit, & nec putreat nec actu febrem committat, neminem fore arbitror tam stupidũ qui turgere eam dicat. Quòd autem in hac sit concoctio expectanda, probari non multo negotio potest: nam si Galenus lib. 1. de arte curat. ad Glauc. cap. de curatione tertianæ exquisitæ, absin-

Bilis intertiana ante purgationem coquenda.

thium non exhibet, (quod certe modicè purgat) nec lauacrum nec vinum tenue, aquosum & paucum, nisi postquam signa coctionis se ostẽderint, multo minus propinanda erunt purgantia medicamẽta, quibus nostri temporis medici in curatione huius febris vtuntur: si enim ad illa exhibenda quæ tam imbecilliter & languidè euacuant, coctionis signa expectanda esse Galenus censet, quanto magis expectari debent cum rhabarbarum sumẽdum est, aut cũ aliquod aliud medicamentũ, ex eis quę non modicè purgant est propinandũ? Auicenna similiter 1.4.tract.2.in curatione tertianæ puræ, ægrotantem ante concoctionem à purgatione arcet, dum inquit: Quòd si consequatur crisis & videris digestionẽ in vrina, & sedimẽ laudabile quod cognouisti, tunc si excusat bene est: & si non, cura tunc cum eo quo iuuatur natura, ex prouocatione vrinæ, aut solutione ventris, aut vomitu, aut fluxu sanguinis narium, & non agas contra ipsam in hoc. Ac paulò inferius subdit: Et non sumat in potu de solutiuis in principio nec approximent alicui eorum, nisi eis quæ sunt sicut syrupus violarum & aqua fructuum & non vtatur nisi clysteribus lenibus. Adducunt aduersus hæc Galenum, lib. de ijs

quos

quos purgare oportet, vbi inquit. Inter initia morbi, tenues & aquosos humores euacuabis: vbi crassi & tenaces fuerint, quales suapte natura sunt pituita, & nigra bilis, coctionē expectabis: quibus verbis clarè innuit, bilem flauam, cùm tenuis humor sit, & nec crassus nec viscidus, inter initia, nulla expectata coctione, vacuandā esse. Nonnulli textum hunc deprauatum esse asseuerant, legendumque, ante initia morbi, id est anteaquam in morbum incidant, quo tempore cùm bilis ipsa nec putreat nec febrem committat, ad sui euacuationem præparatione aliqua non eget; verùm horum interpretatio mihi non placet siquidem Galenus lib. de purg. med. facultat. cap. 2. ne in hoc quidem casu bilem antea quam preparet, euacuat: eo enim loco sic ait: Ducat aliquis ad me quempiam sine febre, cui in vniuersum corpus amara bilis redūdarit, expectetque post aliquot dies cum hominem præparauero, mihiq; iam tempus instare visum fuerit exhibendi medicamenti alicuius, quod bilem expurget, quo pacto naturalem corporis habitum eiusmodi potione ipsi restituam, etiam si nondum extrinsecus quicquam admonuero, hæc ipse non semel bis ve, sed sæpè admodum ostendens semideprauata-

tos ipsorũ ac multos ad meliora reuocaui. Qui locus, pariter & alius ex. 1. ad Glauconē allatus planè demonstrant, Galenũ, bilē ante purgationē cōquoquere ac præparare. Rursus, si eius sententiā bilis cruda existit quæ flaua admodum est, acris, male olens, & quæ cruda sunt & in parte quapiam firmata iubet nullo auxilio purgare aut mouere ante cōcoctionem, sequitur, prædictam bilem priusquam purgetur coquendam esse: sed nec aliam quæ non male olet nec adhuc putruit à coctione excludit, siquidem hæc ipsa est quam 1. ad Glauconem absinthio purgare iubet, in qua antea quam id exhibeat, coctionis notas expectat; hanc autē nondũ putrere, ex eo patet, quod purgãda est in die intermissionis, in quo antecedēs tãtũ febris causa euacuatur, altera namque quæ putrida est & actu febrem committit, artis euacuatione non eget, quoniam in singulis accessionibus expurgatur: igitur non biliosos humores, verùm serosos tantùm & aquosos, ante concoctionem euacuandos esse, Galenus censet, eo quod hi tenuissimi sunt & ad fluendũ paratissimi, ab alijsque sequestrati existunt. Non temerè autem dictũ est, serosos aquososque, nam si serosi, biliosi, nimisque feruētes extiterint,

ob eam

ob eam quã supra diximus causam, prius quam purgentur coquendi sunt, aut saltē medicamentis ijs quæ infrigidant, attemperandi ac reprimendi, quibus quidē crassiores redduntur, sed non vt eis crassities concilietur, talia medicamēta exhibemus, verùm vt eos infrigidemus & ipsorum acrimoniam retundamus; quapropter Galeni locus ex lib. de ijs quos purgare oportet, quē supra attulimus, iudicio meo, sic legendus & interpretādus est: Inter initia morbi, serosos aquososque humores euacuabis, vbi autem feruentes admodum aut excandescentes, vt bilis flaua, vel crassi & tenaces fuerint, quales suapte natura sunt pituita, & nigra bilis, coctionem expectabis; hæc enim lectio vera est, & Galeni menti consentiens. Vel dicendum, Galenum biliosos humores à coctione excludere non voluisse, sed signatim de crassis ac viscidis mentionem fecisse, quia hi pluri negotio & maioribus moliminibus vt coquantur, quam biliosi opus habent, siquidem biliosi attemperari tātum egent, vt facilius à natura euincantur: cæterum crassi, frigidi atque lenti, non solum calfieri verùm attenuari atque incidi, & dissecari, aliàs enim à natura non concoquentur, aut vix ægreque altera:

Galeni locus quomodo legendus & exponēdus sit.

Crassi viscidique humores maiori negotio vt coquātur quā biliosi egēt.

alterabuntur: quòd si hos non præparatos nec concoctos purgantibus medicamentis mouere annitaris, purgatio non subsequetur, quinimo magna grauiaque symptomata excitabuntur, vt Galenus docet lib. 4. de sanit. tuenda cap. 5. istis sanè verbis: Deiectio in ijs qui crudis humoribus in primis venis abundant, cruciatus circa vmbilicum & mordicationes creat, animique deliquia, nec notatu quippiam dignũ educit, quando crudi omnes succi pigri & ad motum inepti, tum propter crassitudinem frigiditatemque sunt, quo fit vt etiã omnes angustas vias obstruant, per quas id quod medicamentum deijcit ferri ad aluum debeat, itaque nec ipsi educuntur, & alijs sunt impedimẽto. Quod sanè Hippoc. illo aphorismo præcauit, quo breuissimè præcepit, concocta medicamento tẽtanda esse nõ cruda. Eadem de causa nec exercitare nec omnino mouere, sed nec lauare expedit eos qui in primis venis crudorum copiam habent, siquidem omnes id genus motus, succos illos in totũ corpus agunt: Seruandi igitur hi sunt in omni quiete, dandaque ipsis cibus, potio, medicamentaque sunt singula eius generis quæ attenuent, dissecent, & conficiant succorum crassitudinem, idque citra mani-

festum

festum calorem, nam qui excalfacti vehementius succi sunt, ij in omnem corporis partem feruntur. Hæc Galenus; in cuius prælongo contextu eius intentio non est de humorum attenuatione & incisione, ac viarum per quas deduci illi debent, reseratione tractare, nam si de his ageret, frustra & extra propositum ad horum comprobationem adduceret aphor. 22. in quo non de istis Hippocrates, sed de humorũ concoctione differit, cum potius adducere deberet nonum sectionis secundæ, quo in loco de corporibus fluidis faciẽdis ad purgationem efficiendam verba facit, quemadmodum eũdem adduxit in com. aphor. 24. sectionis primæ, vbi de eâdem corporũ & humorum preparatione agit, quocirca si non hunc in citata serie ex 4. de sanit. tuen. libro affert, sed 22. libri primi, in quo Hippoc. adstruit, concocta medicanda esse, non cruda nec in principijs: clarum est illic de humorum concoctione disputare. Quòd si mentionem fecit incisionis & attenuationis, quæ humoribus frigidis, crassis ac viscidis adhibenda est, ob id factum arbitror, quia ad hoc vt humores isti coquantur & à natura superentur, indigent attenuari, dissecari, ac modicè calfieri: quemadmodum enim pistor

Quæ fuerit Galeni in præfato contextu intentio.

artocreã facturus, prius carnes in parua fru stra scindit vt facilius ac melius ab igne alterētur; ad eundē modū medicus, qui est naturæ minister, humores lētos secat, crassos attenuat, frigidos parū calfacit, vt à natura ipsa promptius & sine multo negotio vincantur ac superētur. Aliqui dicunt, Galenū in præfata serie de præparatione corporum & humorum ad fluxibiliorē purgationem fuisse loquutū, quia hæc etiam concoctio vocatur: verùm si hoc ita esset, in eorū quæ scribit cōprobationē, aphorismū nonū sectionis secūdæ attulisset, qui de hac præparatione loquitur, non autem 22. primæ, in quo præparationis huius nulla prorsus mentio habetur. Sed nec Galenus alicubi hanc viarū reserationem, & humorū crassorū attenuationem, & viscidorū incisionem, visus est coctionē appellare, etiam si recentiores medici qui Auicennam sequuti sunt, huic præparationi per quamdam abusionem nomen etiā concoctionis attribuāt, & sic tertiā inuenerūt coctionis speciē qua corpora bene fluida ad humorū expulsionē efficiuntur: quæ, inquā, à vera cōcoctione quanto interuallo distet, pulcrè admodū docuit Manardus libr. 13. epist. 1. & nos etiam id ostendimus libr. 2. prognost. com. 16.

coctio-

Coctionem crudis humoribus deberi, quotque modis dicatur, & à quibus cōparetur. Cap. IX.

Cruditatem coctioni aduersari in eoque oppositionis genere contineri, quæ priuatiuè dicuntur, apud medicos pro comperto habetur: est enim cruditas coctionis priuatio vel eiusdem defectus, quæ quanto opere vitari debeat, hinc fit manifestū, quòd docēte Galeno li. de succorū bonitate & vitio cap. 3. crudorū humorum vi, morborū genus propè omne gigni soleat. Vnde appositè ab Auicenna 16.3. dictum est, cruditatem, malorū omnium seminarium esse atque originem, vtpote à qua obstructiones, mali habitus, podagræ, articulorum morbi, diuturnæque febres, apoplexiæ, paralyses, conuulsiones, peripneumoniæ, ophthalmię, & vniuersa propè morborum farrago ceu è fonte vberrimo oriantur: dicuntur enim humores crudi, qui naturæ cultum non susceperunt, nec eiusdem alterationem sunt perpessi, talesque coqui egent: quoniā si vtiles boniq́ue existāt, teste Galeno, nutrire prius quā sint cōcocti nequeūt, sin verò inutiles & ad nutriēdū inepti, à corpore

Tracta. 3. c. 21

Li. 12. meth. cap. 5. iuxta finem.

pore expelli anteaquam concoquantur, & à natura euincantur (vt præcedenti capit. fuit demõstratum) non possunt. Ex quibus clarè intelligitur, coctionem crudis humoribus deberi eisdemque adhibendã esse. Est autem coctio duplex, vna quæ circa alimenta & proficuos humores versatur, altera quæ circa inutiles & alendo corpori ineptos; primam Galenus definit esse alterationem ciborum siue alimẽtorum in propriam ac conueniẽtem eius quod nutritur qualitatem, vt in ventriculi coctione & in sanguificatione priores alimenti qualitates, vt odor, color, & sapor, à calore natiuo partium mutantur in alias. Nec tamen sentiẽdum est, in hac coctione solas qualitates mutari, siue introductione nouæ formæ substantialis, quia vera est generatio, quæ nihil aliud est, autore Arist. quam mutatio huius totius in hoc totum nullo sensibili manente eodẽ: & sic in omni coctione naturali verè corrumpitur forma substantialis alimenti, & verè adest generatio humoris, aut materia informatur à forma viuentis: sed quando definit Galenus coctionem, per mutationem qualitatum alimenti in aliti qualitatem, intelligendum est ad mutationem qualitatum alimenti, vnà etiam eiusdem ali-

Lib. 2. de nat. facul. cap. 4. & lib. 3. eiusdem operis, cap. 4. & 7. & lib. symp. differ. cap. 4. & lib. 3 de sympt causis c. 3.

Coctionis definitio à Galeno tradita interpretatur.

alimenti ſubſtantialem formam mutari; quod ſanè his verbis ſignificauit ipſe lib. 1. epid. part, 2. com. 44. Coctio in concoquentis ſubſtantiam deductio quædā eſt eius quod concoquitur; quo loco per deductionem, viam intellexit, non terminum: quomodo Ariſt. lib. 4. meteoro. definiens coctionem per perfectionem quæ à proprio natiuoque calore ex oppoſitis fit paſsiuis, motum quemdam per quem id quod mouetur perficitur, non rem perfectam accepit: vti Manardus libro. 13. epiſt. 1. efficaciſsimis argumentis probat: nam quemadmodum calfactio motus eſt ad calorem, ſic perfectio motus eſt ad formam quæ eſt perfectio. Nonnulli verò recentiores medici Auerroem ſequentes, perfectionis nomine decepti, concoctionem apud Ariſt. in eo loco, non alterationem, ſed alterationis terminum ſignificare ſunt arbitrati, non animaduertentes eumdem Ariſt. proble. 7. lib. 12. per alterationem, coctionem manifeſtis verbis definijſſe, dicens: coctio rei concoquendæ cõmutatio eſt ſiue alteratio. Rurſus, ait Manardus, quomodo coctionis finem doceret (inquiẽs, tunc maturationem perfectã eſſe quando ea ſemina quæ in pericarpio ſunt tale aliquid facere poſſunt, quale ip-

Quomodo Ariſt. coctionem definierit.

sum pericarpium est) si ipsam concoctionē finē & terminum esse putaret. Ad eum dē modū deductio apud Galenū viā denotat & motū, nam in prioribus coctionibus ea nēpe quæ in ventriculo, ac ea pariter quæ in iecore & venis peragitur, tantū nutritii, qualitates in eo quod concoquitur inducūtur: in tertia tamē quę in singulis nostri corporis partibus perficitur, alimētū quod verè iam alimenti nomē adeptū est, in mēbrorū substantiā facessit, & fit caro, os, neruus, ligamentū, mēbrana, & partes cæteræ. Porrò coctio hæc nó versatur circa putridos, aut febrē efficiētes humores, quia hi benigni adeo non sunt vt verti in aliti substātiā possint nisi in pueris fortassis, in quibus, autore Galeno, per somnū altiorē & lōgiorē, sine euidēti euacuatione aut abscessu celeres in melius fiunt mutationes, quas nónulli volūt etiā nominari iudicationes, & hoc nō fit dissipatis per somnū qui morbū efficiebāt, humoribus (nā ita multo melius illi per vigiliam discuterentur, dicente Galeno, somnū concoquere, vigiliam digerere) sed fit, humoribus ipsis aliquo modo dissipatis seu discussis, maiori tamen ex parte cōcoctis & solidis pueri corporis partib' vnitis atq; assimilatis, quod nō cōtingit in homi-

Lib. 3. progn. com. 1 & lib. 2. prorrh. cō. 29.

Lib. 12. meth. cap. 3.

nibus

nibus alijs sed in puerulis solummodo, quia pueri succis nutritioni idoneis & innato calore abundant, & naturales facultates admodú robustas habent: vnde euenit vt humores huiusmodi conficere & sibi ipsis assimilare non multo negotio valeant, cum tamen in reliquis ætatibus cóstituti nec robore dictarum facultatum polleant, nec succos multos nutritioni idoneos habeant, quo fit, vt per nullam coctionem dictos succos vt corpus alant efficere queant. Atque hæc de prima coctione abundè sint enunciata. Alteram, iam diximus secundum Galeni placita naturæ esse victoriá supra causas morbificas, aut id est humorum putrescentium, esse alterationem cessare facientem putredinem manente substantia. Porrò quemadmodum coctio ita & cruditas, duplex existit, vna iuxta coctionem primam, altera iuxta secundam: quæ enim in prima alimenti commutatione alterationeue citra sanguinem subsistunt, nec exactam elaborationé sunt adepta, cruda nominátur à Galeno 4. de sanitate tuenda, c. eodé, & sic lib. 1. de facultatibus alimétorú cap. de tritico & 10. de compositione medicamentorum secundú locos, cap. 2. & lib. 2. de præsagitione expulsf. c. 1. succú crassum

Lib. 1. epid. part. 2. com. 44.

Cruditas quē admodum & coctio, dupliciter enūciatur.

Quæ in prima cruditatis specie cōtineantur.

& frigidum qualis est pituita, propriè crudum nominabat. Ad eumdem modum cruda dicitur pituita acida, & alimentum quod in ventriculo continetur, dum in chilum conuersum non est. Non tamen pituita salsa, aut bilis flaua aut ichores biliosi in hoc cruditatis significato crudi dicuntur, quoniam numquam quantumcumque coquantur in aliti substantiā verti poterunt, eo quòd supra modum assi, ac veluti exusti hi humores sunt, & à moderato sanguine per superfluentem coctionem plurimum recesserunt: bene tamen in altero cruditatis genere, hæc cruda nūcupantur, toto tempore quo nondum euicta nec à natura ipsa superata extiterint. Et hoc est quod innuere voluit Gale. lib. de constitutione artis med. cap. 21. dicens: si biliosa extiterint, primum purgare deinde per cuté euacuare conuenit; quod si pituita præpolleat, siquidem salsa fuerit purgationem: sin acida, moliri alterationé oportet, naturam ad illius coctionem adiuuantes, dulcis multo facilius concoquitur. Quibus verbis vult acidam pituitam multoq́ue magis dulcem (cum ambæ citra sanguinem subsistant) coquendas esse, & in sanguinem conuertendas, vt conueniens fiat partium nutrimentum. Biliosa

tamen

tamen recrementa, pariter & falsa, quòd verè concoqui nequeant, nec in sanguinē mutari, queāt euacuāda sunt, quia int⁹ manētia, nulli vsui corpori, quinimo maximo incomodo sunt futura; nō tamē illico euacuari debent, sed postquam alterum coctionis genus fuerint assequuta, hoc est postquam à natura ipsa superata euictaque extiterint. Verùm de coctionis significatis hæc nunc dicta sufficiant: superest vt à quibus illa comparetur, disseramus. Galenus libr. de artis medicæ constitutione cap. præcitato, quietem calfactionem moderatam, boni succi ciborum mediocrem esum, vini modicè calidi potionem, frictionemque moderatā, moderatumque aquarum calidarū vsum, cibos ac medicamenta mediocriter calfacientia, coctionē efficere posse, ingenuè fatetur. Quam sententiam in alijs plerisque locis similiter scripserat, verùm hæc omnia non per se neç primario, sed secundario & natiui caloris interuentu coctionem moliuntur: natiuus namque noster calor in coctione efficienda principij vicem obtinet, præcipuumque agens habetur; quemadmodum Aristo. libro quarto, meteor. capte secundo, his ostendit verbis: Atque perfectionis exordium à natiuo

Coctio à quibus comparetur.

1. epid. sect. 2. com 44. lib. de præcogn. ad Posthumū c. 11. & 5. sect. aphor. 22.

tiuo calore prouenit, quamuis ab aliqu
externorum adminiculo ad calcem v
que perduci soleat, quomodo alimen
tum per balnea & id genus alia concoqu
tur, verùm principij vicem internus calo
occupat. Itaque calor naturalis est qui pri
mò & per se coctionem operatur, quan
doquidem, docente Galeno, omnium
operationum quæ in corpore fiunt auto
ipse est & causa. Cætera quæ scripta sun
adiuuare coctionem, natiuum hunc ca
lorem fouendo, & eidem robur præstan
do dicuntur, sed quo pacto horum vnú
quodque hoc efficere valeat, deinceps
enarrare haud ab re erit. Quies idcirco
coctioné iuuat quod difflari corpora nõ
sinat, spiritusque & naturalem calorem
seruet atque contineat, quos, motus im-
moderatior dissipat atque difflat: est
enim quies Galeno, otium & ab exer-
citatione vacatio, aut vt aliqui arbitran-
tur, feriatio quædam, ab omni tum cor-
poreo, tum animi motu. A cibo ob id
hæc imperatur, ne vel præcipiti motu
crudus & fluctuans in ventriculo cibus,
in viscera rapiatur, obstructiones & cru-
ditates in iecore & vasis facturus, vel
reuocato curis, studijs, mentis inten-
tione, ad caput natiuo calore, à ventri-
culo,

Sect. 1. apho. com. 3. & 15. & lib. de artis med. consti. c. 12 & 6. epid. part. 4. com. 13. & 25. & par. 5. cõ. 5.

2. aph. cõ. 13.

culo, & à iecore, à venisque coctionis, munus feliciter minus procedat. Quod probè cognoscens Celsus, literarum studiosos monet, si lucubrandum eis sit, ne post cibum, sed post coctionem efficiant. Porrò quemadmodum moderata quies coctioni prodest, sic exercitatio mediocris eidem non leue adiumentum præstat: vtpote quæ (vel Galeni testimonio) calorem nostrum exuscitās, deducendorum in corpus validum attractum, immutationem magis expeditam, idest facíliorem coctionem, tum nutritionem meliorem, & vt singulæ corporis partes adaucto per exercitationé calore sint perfusæ, efficiat. Debet autem exercitatio alimenti exhibitionem anteire, non subsequi, iuxta Hippocratis præceptū dicentis, labores cibos præcedāt. Nam (vt Galenus lib. 2. de sanitat. tuenda capite secundo, scriptum reliquit) quoniam exiguos meatus expurgat, & excrementa expellit, vtilius est ante comedendum eam adhibere; Quapropter commodissimum ad exercitationem tempus censetur, cum externus cibus duplici coctione iam prorsus sit confectus, & ea quæ in ventriculo, & ea quæ in vasis sanguinis agitur, ac iam demum cibandi tēpus

Lib. 1. cap. 2.

Lib. 2. de sanit. tuenda c. 2.

Lib. 6. epid. par. 4. aphor. vltimo.

instet; quod si aut prius quam duplici hac coctione concoctus sit, aut posterius mul to postquam iam abundè est confectus, exercitatione vtaris, vel crudis humoribus hominem implebis, vel pallidæ bilis prouentum auges. Rursus, si coctio à calore fit temperato, rationi consonum est, vt à temperatè calidis iuuetur. Consequetur autem hoc apposit u fotuum, sacculorũ, emplastrorum, oleorum modicè calfaciẽtium, & robur indendi ventriculo ac visceribus vim habentium; ad quod itidem obeundum, mirum in modum conducit puluinũ ex tenui volatilique pluma, aut ex lana quæ ex panno coccineo tonditur infarctum, & ad hæc leporina pellis ventriculo superinducta: nam Auenzoaris sententia li. 1. Theizir in prooemio, pelles leporũ induere, cõfortat corpora senum & iuuenum. Boni succi ciborum moderatus esus idcirco coctioni opitulatur, quòd euchimi cibi facili negotio à natura superentur, minimeq; excremẽtosi sint; ac præterea superati nostri caloris substãtiã augeãt atq; foueant, vt pote, in quã conuersi sunt. Calor autem per alimenta auctus atque fotus coctionem deinceps ipse melius perficit: ob eamdem sanè causam, vini non valde potentis vsus moderatus, coctionem pro-

Coctio à quibus iuuetur.

promouet, quoniam, autore Galeno, probè, celeriterque, spiritus instaurat, & vires omnes roborat atque confirmat, & si quæ fortè ex frigiditate & humiditate nata sit intemperies, eam securissimè & citra molestiam persanat, non citra rationem autē dictum est, non valde potentis, quia valde potens caput tentat, calorem nimis accendit, spiritus dissipat, fluxiones excitat, & plurima alia incommoda facit; atque de vino hactenus. Frictionis omnis, autore Galeno, commune opus est calfacere, moderata verò vitale robur excitat, natiuum calorem auget ac exuscitat, spiritum & sanguinem in partes trahit, tum efficit vt alimenti distributio in corpus facilior, & nutritio promptior habeatur: verumtamen quemadmodum (quod etiam de exercitatione dictum existit) maximum bonum ad sanitatis tutelam est ante cibū fricari, ita perniciosissima res est, omnis post cibum motio, distribuitur enim tūc cibus ex ventre anteaquam concoquatur. Pari etiam modo, calidarū aquarum vsus moderatus, calorem ad concoquendum idoneum efficere valet, siquidem balneū aquæ dulcis modicè calfactæ calorem natiuum nostrum sympathia quadam fouere videtur, tum quæ inæqualia sunt

2.apho.com. 18 & lib. 3 de t. m c. 2. lib. iten. 8. de comp. med. localium c. 7.

Lib. 2. de san. tuenda c. 4.

Balnei aquæ dulcis commoda.

æquat, cutem laxat, & multa quæ sub ea detinentur euacuat, & æqualem per totũ corpus calorem diffundit, siccitatemque corporis temperat. Verumtamen quod in exercitio & frictione dictum est, id etiã in balneo obseruari debet, ne videlicet à cibo assumpto administretur, diffunditur enim tunc in tempestiuè in omne corpus crudum alimentum in ventriculo existẽs, quemadmodum Galenus nos docet lib. 1. de differ. febrium cap. 4. vbi de cruditate verba faciens in hunc scribit modum: Ijs qui motus fortiores sustinuerint aut in sole æstiuo steterint, aut in balneum calidum dulcium aquarum descenderint, cibi corrupti in vniuersum corporis habitũ transumuntur. Verumtamen obijciet aliquis, si balneum, exercitium & frictio, statim post cibi ingestionem administrata coctioné interturbant, eamque summoperè interpellant, cur ad eam iuuandam hæc à Galeno imperantur? Cui respondẽdum, ista suo tempore adhibita vt carnis excrementa euacuentur efficere, ac insuper calorem nostrum natiuũ accẽdere & suscitare, sicque ad concoquendum idoneum reddere qui antea velut sopitus persistebat: calor autem ab eis accensus ac roboratus alimentum quod post ingeritur faci-

Obiectio.

Obiectioni respondetur.

facilius ac melius concoquit, præsertim si non statim ab exercitio, frictione & balneo cibus assumatur, sed postquam calor ad interiora sese collegerit, & ad viscera reuocauerit. Adde, prædicta sanguinem in partes nutritione egentes trahere, earumdemque coctionem adiuuare. Porrò quemadmodum cuncta hæc coctioni naturali adminiculantur, ita & ei quæ circa noxios humores consistit, opem ferunt, vt ex Galeno elici non obscurè potest libr. 2. epid. part. 2. comment. 44. hunc in modum scribente: Manifestum quidem est maturationes mediocriter calfacientia omnia operari, vt alimenta, fomenta, cataplasmata, & de eis sunt frictio moderata, & balneum. Verùm horum istorum in libris est methodi medendi explicatus vsus. Hæc Galenus, quæ sanè fieri Hippocrat. voluit libro quarto, de rat. vict. in morbis acutis comment. 44. quando inter febris initia, tenuibus vrinis existentibus, corpus quieti permittere, vngere & æqualiter contegere præcipiebat. Et Galen. similiter libro primo, de differ. febrium cap. 4. ijs qui cruditate laborant, si quiescant ac foueant, ad iecur & ad ventriculũ attinentes partes in febrem non incidere, scri-

Quæ noxiorum coctioni opem ferant.

ſcriptum reliquit, eo quod(vt ipſe ait)in iecore & ventre manet quidquid corruptum eſt, ac deinde temporis ſpatio paulatim concoquitur atque benignum efficitur vi caloris naturalis à fotibus adiuti. Cęterum obijciet aliquis, his aduerſari Galenum videri lib. 12. metho. cap. 3. dum ait: Sanè dictum à me etiam in ſuperioribus eſt, qui cataplaſmatis & perfuſionibus aſſiduè præcordia vexant, ipſos in huiuſmodi affectibus phlegmonas accerſere. Minime igitur eſt his vtendum, priuſquam ſuperuacua magna ex parte partim vacuata ſint, partim concocta; tum vero etiam his vtaris licet, non tamen dumtaxat relaxãs, ſed ex abſinthio mediocriter perfundens, ſi tamen febris non plane ſit magna. Dixerat enim hoc lib. 11. metho. cap. 15. ſub hac verborum ſerie, Calfacere præcordia cataplaſmatis aut perfuſionibus, non eſt perpetuò tutum, ſed in ijs tãtùm ægris, quibus in toto corpore nullum errat ſuperfluum cæteris omnibus extrema eſt pernicies. Nam ſiue redundantia vtrauis ſit, vel quæ ad vires, vel quæ ad vaſorum continentiam comparatur, ſiue etiam in vna parte pluribuſue vitioſa excrementa ſint omnia ad partem excalfactam trahuntur. Cui reſpondendum, Galenum iſtis in locis

Obiectio ex Galeno.

Galen interpretatur.

locis non de omnibus perfusionibus & cataplasmatis fuisse locutū, sed de ijs quæ cum hoc, quod admodum calfaciunt rela xare etiam possunt: Talia namque quia ex toto corpore humores in viscera euocant anteaquam concoctionis signa sese ostenderint, & maior redundātium humorum pars fuerit euacuata, admoueri nō debēt. Quod Auicenna planè significauit dicēs, & non oportet vt fiat inūctio cum vnguētis resolutiuis, & nec embrocatio fiat cū embrocis subtiliatiuis cùm ægritudo est in principio, & humor est in corpore ambulans, ipsa enim mollificant viscera, sua calfactione humida. Hæc Auicenna: sed quę modica adstringendi vi, ac temperato sunt prædita calore, quæque naturam roborare, & coctioni suffragari queant, cur in principio vsurpari haud debeant, certè non video. Balneare tamen eos qui crassos terreosque humores continent, præter rationem non est. Nam, teste Galeno, aquæ dulcis balneum humores fundit, ac si qua in parte contentum durumque corpus fuerit, relaxat atque emollit. Quapropter nondum purgato corpore, balneum ad hos vsus conducet, vtpote dictis humoribus & vijs ipsis fluxibilitatē pariens. Atque hinc est, vt dicat Auicenna: Balneo

1.4.tra9.2.c. 55. prope medium.

Lib. 6. epid. part. 5. apho. 29.

4 1. cap. 5.

etiam

etiam vti anteaquam alui solutio fiat, per aliquot dies, inter remedia attenuantia & præparatoria connumeratur. Desumpsit sanè hoc ex Hippocrate lib. 6. epide. dicente, veratrum epotum, si celerius purgare velis, lauare, aut cibum sumere oportet. Quibus verbis non vult, ab assumpto pharmaco balneandum esse, id enim alienum à ratione est, & Galeno & Auicennę aduersum, siquidem Auicenna 4. 1. cap. 5. sic ait; Medicamento verò epoto, nemo balneum ingrediatur, cùm materiam ad exteriora euocet, ac potius aluum sistat. Quod multo ante docuit Galenus dicens, ea quæ per ventrem subducuntur balneum sistere, ad corpus vniuersum reuellens: atque hac occasione detrimentú afferre. Sed Hippocratis in præfata sententia mens est, eum qui elleborum bibit, si velis vt celerius purget, anteaquam id bibat, comedere aut balneo vti præcipei. Aduertit tamen Auicenna, inter balneum & pharmaci potionem aliquod intercedere temporis interstitium debere, vt humores qui purgari debent, intus permeent, & ad ventrem reuocentur; Eiusdem etiam balnei vsus itidem in eis vtilis habetur, quos humores acres & mordentes infestant, dummodo totum

Part. 5. aph. 29.

Lib. 3. de victu acuto. có. 59. & libr. 4. aphor. com. 5.

cor-

corpus plenum non sit, aut valde impurum, vel in prima corporis regione, & circa viscera, crudorum succorum copia non subsit. Nam tunc (si Galeno credi- tus) abstinendum à balneo est, ob eas quas supra attulimus causas. Sed institutum prosequamur. Sunt qui putent, pleniorem victus rationem, præparationi humorum ad expeditiorem purgationem conferre, nam illa, humectationem corpus assequitur, qua meatus laxantur, & humores fluxibiliores redduntur. Quod Hippocratē voluisse tradunt, lib. 6. epid. vbi dixit, eum qui veratrū bibit, citò purgare si velis, lauari & comedere cōuenit. Et apho. 13. sectionis 4. dicebat, ad elleboros, qui non facilè supra purgantur, ante potionē, pluri cibo & quiete præhumectare corpora oportet: Est enim de natura cibi omnis, ea ratione qua cibus est, humectare, & partes nutritione egentes, reficere. Verùmtamen Hippocratis mens valde dissita est à sententia illorum, siquidem ille non absolutè protulit, ante purgationem pluri cibo humectanda corpora esse, sed ea tantùm quæ elleborum debent sumere, vt humectatione quam ab escis adquisierent, conuulsioni ex siccitate quam elleborum inferre paratum est, obsi-

Lib. 6. apho. com 31. & 4. de sanitate tuenda cap. 5.

part. 5. texta. 29.

obsistant & reluctentur. Dicitur enim elleborus (si Ruelio creditur) ἀπὸ τοῦ ἐλεῖν τὴν βορὰν, quod idem est quod eripio, quasi cibum corporis eripiat atque exhauriat: hanc enim ereptionem humectata corpora minus sentiunt, quam quæ humoris expertia sunt. Adde, Hippocratem non simpliciter ad purgationem quamcumque, sed ad eam tantum quæ per vomitũ fit, elleborũ porrigere, cui multitudo ciborum subsidio est, quoniam sub tanto onere grauatus ventriculus, ea quæ in ipsius cauitate continentur, maiori impetu per gulam expellit. Ad infernã verò purgationem quam necessaria conuenien(s)q; sit tenuis victus ratio testimonio Galeni probari facili negotio potest, dicentis, sibi difficiles purgationes non obtigisse ob id quoniam anteaquam dejectorium pharmacum propinaret, tenui victu fuisset vsus. Ex quo loco elici videtur, hac sola ratione eũ corpora ad purgationẽ præparasse, fluidaq́ue fecisse. Et lib. de attenuante victu, plurimos cõtumaces sanatuq́ue difficiles morbos recenset, quos solo victu tenuante sanauerat, cùm sit nimirum hic maxima euadendi à morbis causa, quemadmodum præcipua ægrotandi occasio, nimietas ciborum esse censetur. Vnde

Arist.

Lib. 1. de natura stirpiũ cap. 20. in fine.

2. aphor. 9.

Aristot. problem. 47. sectionis primæ ab Hippo. edoctus, summa cum ratione inquirit, cur cibum minuere, laborem autẽ augere salubre sit: & respondens, ait, quia causam ægrotandi excrementorum habet nimietas, quæ tum certè exultat cùm aut cibus superest, aut labor deest. Quocirca præcipuum ad facilem purgationem cõparandam, humoresq́ue ad eam disponendos instrumentum, tenuis victus ratio existit, vtpote quæ (vt Fernelius etiam annotauit) corpus peruium patensq́ue reddit, obstructiones expedit, flatus, alui fæces, vrinas, cerebri omniumq́ue partium excrementa mouet & excludit. Atque si impurum corpus vitioso humore perfunditur, cruditates concoquit, & emendat, tenues humores atque inutiles exhaurit, aut halitu dissipat, Crassos verò cuiq́ue parti tenacius inhærentes prorritat atque mouet. Itaq́ue vitiosos omnes humores exterit, concoquit, atque domat, & in vias deducit per quas naturæ impulsu à corpore exturbentur, huius ope aliquando morbi periculosi & ancipites felicem, eumq́ue admirabilem exitũ inuenerunt, ad quem ars nulla dirigere sciebat, idq́ue multo mitiùs ac blandiùs quam dum corpus aliena medicamentorum qualitate lacessitur,

Hipp. libr. 6. epid. par. 4. apho. 10.

Lib. 1. path. cap. 14.

Cum tamē à victu crassiore natura à morbi coctione auertatur, excrementa succrescant, febrilis caliditas augeatur, obstructiones impinguentur, symptomata intendantur, & morbi causa maior fiat. Num verò syrupi, humores infestantes concoquant, controuersum apud medicos est, nonnullis concoquendi vim eis tribuentibus, alijs adimentibus. Manardus lib. 13. epist. censet, paucos ex illis esse qui vel ex accidenti coctioni deseruire dici mereantur, eosque solos hoc munus facere opinatur, qui moderato calore, odore & adstringendi vi, vel somnum conciliādo, natiuo nostro calori adminiculantur: & frigidos ac siccos, seu putredini contrarios humores, ne putrescant prohibere potius, quā putrescentes concoquere. Verumtamen, vt ego arbitror, si aliqui ex accidenti coctionem efficiunt, omnes hoc modo eam efficere queunt: Nam si coctionem moliuntur, non per se, sed quatenus naturali calori adminiculum ferunt, & cuncti possunt naturali calori adminiculari, omnes eiusdem interuentu dicentur coctionem facere, hoc est, possunt esse causa vt coctio melius peragatur, nam quisque suo modo potest illi subuenire, eidemque opem ferre. Quocirca si calidum

Nam syrupi vim habeant humores cōcoquendi.

Epistola prima

dum innatum languidum est ob caloris remissionem & defectum, ea quæ modicè calfaciunt & adstringunt, illud corroborabunt: Si verò propter eiusdem caloris nimietatem & exuberantiam imbecillum est, ea quæ infrigidant & ad mediocritatem reducunt, firmare id poterunt. Nec mirum videri alicui debet, medicamenta frigida natiuum calorem cùm supra modum ardet, & propter caloris excessum, à propia temperie plurimum exorbitat, fortius reddere posse, cùm dicat Galenus, in febribus synochis naturam, aquę frigidę potu roboratam, prætenuatos iam humores aggredi, eosque qui vtiles sunt & ad nutriendum habiles, hos quidem ad se attrahere, inutiles verò vel per ventrem vel per cutem eijcere. Si namque (docente Galeno) robur facultatis, temperiem sequitur, & eiusdem imbecillitas intemperiem, sequi par est, refrigerantia remedia nostri corporis partes roborare, quando illas supra modum calfactas & ab ardore nimio lacessitas attemperant, & ad mediocritatem reducunt. Porrò si coctio fit à calore non absoluto quidem nec igneo (nā si ab hoc fieret, testimonio Galeni multo citius & melius in

9. metho. c. 5.

Lib. 3. de præsagitio. ex pulsibus, c. 3.

Lib. 8. de placitis Hipp. & Platonis, c. 7.

febrientibus absolueretur) sed à moderato benigno & halituoso quippe hic in pueris copiosissimus existens, vt idem Galenus ait, omnes actiones naturales adauget. Ergo quæcumque refrigerando in febribus ardentibus ingentem illum calorē remittunt, & de eius intensione detrahūt, faciuntque vt moderationem natiuus calor seruet, coctionem iuuare dicentur quemadmodum & quæcumque coctionem impedientia tollunt, eidem coctioni adminiculantur. Quocirca si propter putredinem coctio impediatur, frigida & sicca putredinem abigentia, coctioni opem ferre nemo inficiabitur. Ad eumdem modum si propter lentitiā & humoris crassitudinem calor naturalis coctionem perficere nequit, quæcumque dissecant & attenuant eādem operam præstabunt. Vnde Auicenna in curatione phlegmaticæ ait: Et quandoque adiuuant vnguenta resoluentia ad concoctionem & resolutionem cum virtute forti, & sunt conuenientiora in hac ægritudine quam in reliquis febribus. Ex quibus clarè deducitur, serapia, vnguenta, emplastra & cataplasmata, aliaque huiusmodi, coctionem efficere: nō primo quidē & per se, sed secundario & ex accidenti quodam, quatenus videlicet calori

Li.5.de simp. medic.facul. cap.9.

1 4.tract. 2.c. 55 in medio.

lori

lori naturali adminiculum præbent, hic namque calor, primarius coctionis est autor atque opifex, vt ex Aristo. etiam constat dicente, coctionem perfectionem esse quæ à natiuo proprioque calore ex oppositis fit passiuis, quam deinceps in elixationem, maturationem & assationem diuidit. Intelligit autem per opposita passiua humiditatem & siccitatem, quæ propria cuiusque materies existunt. Quocirca coctio apud Aristo. nihil aliud erit quã operatio quædam naturalis caloris in qualitates passiuas. Verumtamen obijciet aliquis assationem fieri ab alieno calore, quemadmodum idem Aristo. est autor; ergo aut non omnis coctio fit à naturali calore, aut assatio inter coctionis species recenseri nõ debet: quod itidem de elixatione dici potest quæ ab alieno etiã calore fit, in hoc ab assatione differens, quòd hæc ab externo calore arido, illa ab humido efficiuntur. Cui respondendum est, Aristotelem in definitione coctionis, per naturalem propriũque calorem, intellexisse vel rei quæ concoquitur, vel ipsius concoquentis: rei quæ concoquitur, veluti in fructibus omnibus videre est, qui à suo proprio calore coquuntur & maturationem accipiũt, & si à calore ambientis adiuuentur: eius, inquam,

Li. 4. meteo, cap. 2.

Li. 4. meteo: cap. 3.

Quid per proprium naturalem què calorem Arist. in definitione coctionis intellexerit.

inquam, qui concoquit, veluti ignis assan tis & elixantis: nam igneus calor & si alijs sit præter naturam, & alienus, his tamen actionibus naturalis est & proprius, qualisque conuenit habetur. Adde nihil à suo ipsius calore assari posse, quia hic languidus est, vt tam vehementem actionem efficere valeat: quapropter alieno igneoque ad assationem est opus. Aliqui asserunt, Aristotelem, de coctionibus quæ in humano corpore fiunt, tantũ verba fecisse, sed isti non loquuntur eidem Aristoteli consentanea nec vera: Nam is ait, cum autem concoctio, perfectio quædam sit, tũ maturatio perfecta est, cũ semina quæ in fructuum genere sunt, aliud eiusmodi quale ipsum est, efficere queunt. Hæc igitur maturatio fructuum, arborũ est. Talia Aristoteles. Rursus cũ inquit, in assis partes extimas intimis fieri aridiores, in elixis contra euenire; & ad hæc cũ dicit, quæ manuũ beneficio cõfici solent, plus assationẽ negotij q̃ elixationẽ inuehere solere, quippe cũ summas & internas rei partes æquabiliter excalfacere per arduũ sit: nam quæ igni viciniores sunt, semper ocyus siccent quare & impẽsius: clarũ est, nõ de alterationibus, quæ in homine eueniũt, illũ fuisse locutũ. Accedit eò, assationẽ, quę in nobis fit,

Assatio quæ in nobis fit, coctio nõ est

fit, perfectioné nõ esse, quia nõ à naturali, sed ab extraneo, & præter naturam calore parté, aut humoris naturã destruẽte, prouenit, vti in anthracibus & feruẽtissimis febribus videre perspicuè licet. Reliquę duę coctionis species, maturatio & elixatio, in humano corpore à natura efficiũtur: maturatio quidẽ in tuberculis, seu pręter naturam tumorib⁹, qui à naturali calore alterationẽ accipiũt, vt ex Aristotele cõstat, li. 4. meteororũ c. 3. dicẽte tuberculorũ pituitę, & cęterorũ id gen⁹ maturatio, cõtẽti humoris concoctio q̃ natiuus calor efficere solet, existit; nihil enim nisi præualeat ac superet determinare quicquã potest. Cui sentẽtię subscribit Gale. li. 5. de simp. med. facul. c. 9. his sanè verbis: Vnũ ex naturalibus operib⁹ est, ea quę in pus fit cõuersio, nã & illic quędã perficitur coctio, cũ autẽ quicquã coquere cõsiliũ est, quã plurimũ (meo iudicio) spirituũ seruari intus oportet. Sed quæ coctio in animali elixationi ꝓportione respõdet? Sanè ea quę in vẽtriculo peragitur: vti Aristoteles testatur inquiẽs; Cibi in corpore cõcoctio, elixationi persimilis habetur: quippe cum in calido & humido à corporis calore fiat à quo Galenus accepit, li. 3. de naturalibus facultatib⁹, c. 7. nõ lõgè à fine, & li. 2. de ratione

Li. 4. meteor cap. 3.

victus in morbis acutis com. 22. id ipsum confirmare videtur, dum ait: Cæterùm quod circa dictionis finem cibi confectionem elixationi similem esse oporteat, manifestè ostendit, tamquam à calido fiat, non sicco squalentique, cuiusmodi est febrilis, sed ab humido vaporoso, cuiusmodi est, qui in animalibus secundùm naturam continetur. Hæc Galenus, & vt cibi hanc coctionis speciem quam elixationẽ vocamus, subire melius possent necessarius fuit potus, quem assiduè bibimus, quo esculenta perfusa, in ventriculo elixã tur, non secus ac carnes in olla elixari videmus. Ex quibus clarè intelligitur verũ esse quod supra dicebamus, coctionem fieri itidem à proprio & naturali calore rei concoquentis: Quod in hac coctione fit manifestum; nam cibi à suo ipsorũ calore coqui nequeũt, à vẽtriculi calore queũt, etiãsi cõtrariũ aliqui cõtendãt, fieri nẽpe coctionẽ ciborũ ab ipsorũ calore & non à calore vẽtriculi: Sed falso, nã cibi frigidi, vt lactuca & portulaca, seris, cichoriũ, & lac calorẽ nõ habẽt à quo coqui possint. Rursus, si vt illi arbitrantur eueniret, alimenta æquè bene concoquerentur in febricitãtibus ac insanis, & extrinsecus ipsa per se sine alterius adminiculo in vasis in quibus

Ita enim legendum esse interpretatur Musa

Quorũdam opinio cõfutatur.

bus continentur coqui etiam possent, quod falsum est. Sed nonne vident Aristo tel. 4. mete. cap. 3. dicentem; ciborum coctionem à corporis calore fieri? Verùm quia hanc opinionem ab alijs etiam explosam reperio, idcirco in ea confutanda non opus est plus temporis conterere, præsertim cùm de natura coctionis & de eius speciebus sigillatim disserere præsentis instituti non sit, sed tantùmodo docere, naturalẽ calorẽ huius actionis primariã esse causam: serapia verò & reliqua medicamẽta, secundariam & ex accidenti quodam, quatenus videlicet natiuo calori subueniunt, eidemque adminiculum aliquod afferunt. Præparationem tamen qua corpora ad faciliorem purgationem fluida fiunt, quamque nonnulli per abusionẽ coctionem etiam appellant, serapia per se moliuntur: nam oxymel primario incidit & quæ crassa ac glutinosa sunt dissoluit: & serapium ex radicibus per se reserat, meatusque ab obstructione liberat: quẽadmodũ rhodomel primo detergit & syrupus ex adianto attenuat.

Num sanguis ex genere eorum sit, in quo expectetur concoctio. Cap. X.

Trac. 2. c. 7. parum post medium.

Videri alicui posset, sanguinem ad suã euacuationẽ coctione nõ egere, siqui dẽ Auicẽna. 1. 4. sic ait: Et scias ꝙ phlebotomia quãdo est intentio sanguinis, non est ex genere eius in quo expectatur concoctio expectatione quæ est in solutiuis; & non expectatur cõcoctio nisi in humoribus alijs. Quibus verbis perspicuè innuit, coctionem, quam ipse digestionem vocat, in sanguine ad hoc vt euacuetur, attendendam non esse, sed tantum in humoribus alijs qui à sanguine diuersi sunt. Et meritò quidem, cum sit nimirum sanguis, autore Galeno, omnium quæ in corpore sunt maximè nobis familiaris: est enim cunctorum humorum mitissimus, & ad naturæ opera accõmodus valde, vt qui vitæ nostræ fomes sit, & alimoniæ nostri corporis partium conueniens aptaque materia, mitissimasque habeat qualitates quibus naturæ maximè gratus existat, calorem temperatum, humiditatem similem, dulcedinem insignem; & permeabilem in omnes vias, & ductus, etiam angustissimos substantiam, facileque se naturæ præbeat obsequentem: vnde sequitur vt exiguo negotio concoqui humor hic possit, & qui ab eo morbi fiunt, facilè etiam à natura su-

Li. 6 de loc. affect. cap. 4.

ra superari queant, quo fit vt cùm propter sui exuberantiam & nimietatem à corpore expellendus est, præparatione alia opus non habeat, vtpote qui à natura valde præparatus ac probè concoctus existat, nec dispositionem ars vlla ei præbere possit ea meliorem quam ipse à natura est adeptus. Humores tamen reliqui cùm longè à natura recesserint, nec bonam, vt sanguis, elaborationem sint nacti, præparatione egent vt quod à natura defectum est id arte suppleatur. Verùm cùm idem Auicenna alibi in febre sanguinea mox à principio curationem auspicetur à parca sanguinis missione, copiosiùs verò vberiusque cruorem extrahere præcipiat, coctionis notis euidenter apparentibus: & prima quarti in curatione huius febris, cùm dicat, euacuationem non esse aliquam sicut phlebotomia quacumque hora accidat, modo non expectetur crisis, nec digestio, & in eodem loco scribat, scopum in curatione febris sanguinis esse euacuationem plurimam vsque ad animi deliquium & in crassationem substantiæ sanguinis si fuerit tenuis, valdè aquosus aut biliosus: & attenuationem ipsius si fuerit crassus, & digestionem materiæ

4.1.c.20 nõ longè à principio

Tract.2.c.45.

facien-

facientis febrem eiuſque reſolutionem; certè ſub controuerſia conſtituta hæc res exiſtit, quam nos in præſentia breui diſcutiemus, decernemuſque quid in ea tenendum ſit. Interim tamen monitum lectorẽ velim, quæſtionem hanc non verſari circa ſanguinem extrahendum per alui deiectionem, quia non datur medicamentum quod ſit ſanguinis eductorium, aut ſi detur, vſurpari non debeat, cum tale in venenorum genere reponatur, vt ſupra li. priori fuit demonſtratum. Verùm quod modo diſquirimus eſt vtrum ſanguis ante venæ ſectionem ſit concoquendus, aut modo aliquo præparandus quemadmodum reliqui humores ante purgationẽ coquuntur & ad illam rectè capeſſendam diſponũtur. Cui dubitationi nunc ſatisfaciã hinc ſumpto ſermonis exordio. Si ſanguis ſincerus eſt, ac verè ſanguineus, nec per diminutam coctionem infra alterationis mediocritatem plurimum ſubſiſtat, nec per ſuperfluentem vltra eam nimis progreſſus ſit, ſed ſola tantum abundantia & aucta quantitate naturæ infeſtus exiſtat, ſine cũctatione aliqua mittendus eſt, dummodo non ſit aliquid quod eius vacuationem remoretur, nimirum ciborum in ventriculo exiſtentium cruditas, aut fæces in aluo deten-

Circa quid vertetur quæſtio.

detentæ, nam tunc, præcepto Galeni, lib. 9. metho. cap. 5. tanto tempore differri venæ sectio debet quantum satisfacere, tum ad illorum coctionem, tum vt excrementa descendãt, videbitur. Huiusce etiam generis sunt noxiorum humorũ colluuies in prima corporis regione contentorũ; ac os ventriculi nimio opere sentiens aut imbecillum: Hæc certè, testimonio Fernelij, non omnino venæ sectionem prohibent, aut excludunt, sed tantum eius apertionẽ remorantur, quo vsque illa arte sint sublata: quippe sanguine misso, vitiosi aut crudi succi ex ventriculo & primis vasis in venas sectione inanitas facilè rapiuntur, & si os ventriculi imbecillum est, aut amara bile opprimitur, promptè syncope, lipothymia, conuulsio, aliaque symptomata metus & terroris plena aduenjunt. Verũtamen cùm citra hæc, febris solo sanguine redundante fatigat, cum ille ex se aperta vena fluere paratus sit, nulla preuia coctione, aut præparatione alia, copiose (si vires id patiuntur) mittendus est, quippe nisi id fiat protinus idẽ sanguis corrũpitur, trãspiratio inhibetur, meatum obstructio augetur, ac putredo intenditur; & hinc est vt dicat Galenus, festinare ad sanguinem detrahendum oportere, quo venarum natu-

Lib. 2. therapeuuces metho. cap. 14.

9 metho. c. 5.

ra ex

ra ex transpirando, ventilandoque, natura lem temperiē seruans humoribus eo quo inter initia modo dominetur, quando si ad in temperiē versa laborabit, metuendū est ne hi putrescant. Excitatur autē intēperies in ea ex febris calore quē si quādo rudis quispiā medicus, auxit non vacuata stipationis causa in incerto reliquū omne remediū est. Et cōsequenter subdit: vbi nā que emitti abundantia postulat, calor autē refrigerari, pugna discordiaque inter ipsa sanandi oritur remedia, scilicet, ijs quæ refrigerent, quamuis tēperiē naturæ concilient, saltē abundantiā intra corpus detinētibus; quo vero rarefacienda cute hanc educant, omnibus calfacientibus, sic vt si abundantiam mittere velis, febrē augeas: si febrem refrigerare, abundantiam moreris. In hanc consilij inopiam deueniunt qui statim ab initio non vacuarunt, Erasistrati persuasione inducti, qui nec spontanea sanguinis profluuia potuit imitari. Et lib. curatiuo per venæ incisionem id ipsum confirmat inquiens: vbi feruescentis inest sanguinis plenitudo acutissimam accendens febrem, subitò ac simul euacuare expedit. Ex cuius verbis clarè intelligitur in febribus ex sanguinis redūdantia obortis protinus ab initio, nulla humoris fe-

Cap. 12.

brem

brem facientis coctione expectata, vacuãdum esse: quod multo celeriùs faciẽdum est si putredinis labe contaminetur, vtpote ipso duplici modo infestante, quantitate videlicet & putredine. Verũ si sanguis qui mittendus est, crassus existat, pariter ac frigidus crudusque, ante venæ sectionem extenuari, & coqui debet: ad hoc vt fluxilis fiat, ne in motu cunctetur aut partibus hæreat. Hoc Auicenna voluit, 4. 1. cap. 20. non longè ab initio dicens: si verò mali humores crassi fuerint, antiqui præceperunt vt æger balneetur, & in suis ministerijs moueatur, & dabant ei ad bibendum ante phlebotomiam, & post ipsam ante secundationem syrupum acetosum, subtiliatiuum, & decoctionẽ cũ hyssopo & thymo: desumpsit sane hoc ex Galeno lib. de sanguinis missione c. 12. vbi sic ait: Quibus crudorum humorum copia inest, ijs pauculo sanguine detracto protinus melicratũ exhibeo probè coctũ cũ incidentium medicaminũ quopiã, velut hyssopo, origano, & interim etiã nepita aut pulegio, aut certè cum melicrato oxymel, aut oxyglycy, ac sic rursum sanguinem minuo, vel ipso eodem nonnumquam die, interdum die postero, in quo rursum exhibito propositorum medica-

Si sanguis qui mitti debet crassus est ac frigidus, quid ante venæ incisionem faciẽdum.

men-

mentorum quopiam iterum de sanguine quid aufero, ac rursum tertio die similiter bis. Clarius verò atque manifestius hoc docuit lib. 6. epid. part. 5. com. 29. quo in loco enarrans Hippocratis sententiam (veratrum epotum si celerius purgare vis lauare aut cibum sumere oportet) sic ait: Quemadmodum igitur quibus sanguis crassus est, ijs prius lotis nos venam rescindere, sic & his qui purgandi sunt, balneo prius vti præcepit, quò celerius simul ac minus molestè purgatio fiat, qua serie perspicuè innuit, sanguine crasso existente, si vena secanda est, ante eius sectionem vtendum esse balneo vt sanguis attenuetur & fluxilis euacuationi reddatur. Cæterum sibi aduersari Galenus videtur lib. 7. aphorismorum, nam exponens Hippocratis aphorismum: dolores oculorum, post meri potionem, & aquæ calidæ balneum venæ sectione curato; dicit se nescire sententiam hanc in rectum sensum ducere, nam excogitans ipse dispositionem aliquam, in qua hæc tria remedia simul conueniant, & per hunc ordinem, vt potus vini & balneum præcedant, venæ sectio sequatur, inuenire non potuit: reprehenditque quosdam, dicétes, in quibus crassum est id quod superabundat, atque ideo euacuatio-

Numero est 46.

cuatio-

cuatione indiget, melius esse sanguinem prius fundere atque eliquare, deinde scindere venam, quoniam dispositio plethorica, nec balneum nec vinum tolerant sine magno detrimento, hæcque præsidia esse asseuerat crassi sanguinis in aliqua parte compacti sine totius corporis plenitudine. Vnde si in toto corpore plenitudo sit, prius oculorum tunicę dirumpentur inter lauandum atque bibendum quàm ad venæ sectionem perueniatur. Quocirca infert, in dolore absque plenitudine existente, sed tantummodo propter obstructionem & crassi sanguinis compactionem vexante, rectè conuenire lauare & vinum bibere, venam autem secare nō conuenire: at si multitudo adfuerit, rectè venæ sectione vtentur, non autem rectè lauabũt nec rectè vinũ dabũt: quæ sanè cũcta qui ad vnguē perpēderit, vix à cōtradictione Galenũ vindicare poterit: nā li. 6. epid. dicit: sanguine crasso existēte, ante venę sectionē balneo esse vtendũ vt sanguis fundatur ac fluxilis ad euacuationē fiat: hocq; argumento probat, idē in purgatione esse faciendũ: at in com. præcitati aphorismi scribit, in quibus sanguis mitti debet, balneo vtendum non esse: certè hæc non benè cohærent, quibus sanguis crassus

Part. 5: com. 29.

sus est, ijs prius lotis, nos venam rescinde re oportere: & eos quibus similis sanguis abundat balneandos non esse, sed citra lotionem eis venam esse tundendam. Verũ à contradictionis vitio Galenum liberabimus, si dixerimus, crassi sanguinis abundã tiam, vel esse exiguam vel admodũ adauctam: in prima, oportet prius lauare, deinde sanguinem mittere: in secunda, balneo vtendum non est, sed protinus à sanguinis missione est inchoanda curatio: nam quando turgent humore venæ, aperto vase, maiori impetu sanguis erumpit, quam cũ turgidæ nõ sunt, quoniã immodica plenitudo fluxus impetũ adauget, vt in vtribus humore plenis videre quotidie licet. Si verò illa præsente balneo vtamur, fusi humores maiorem locum occupabunt, & vasorum tunicæ illos continentium in tã tam deuenient distensionẽ, vt rumpi aut reserari periclitentur. Dicendum rursus, in oculorum inflãmatione cum plenitudine (& si exigua) non esse ante sanguinis detractionem balneandum, ne sanguis lique tur, liquatusque in oculos procũbens inflammationem adaugeat, & ipsorum tunicas dirumpat. Verum si absque inflãmatione simili, plenitudo non admodũ magna infestet, & sanguis per eã nimis sit ter renus

A contradictione vindicatur Galenus.

Plenitudine magna existẽte, si ante venæ sectionẽ balneo vtamur, quæ incommoda sequantur.

renus ac crassius, qualis per febrem quartanam & melancholiam morbũ sæpè videri solet, nihil inconuenire arbitrarer ante eius missionem ægrotũ balneare aut aliquo alio remedio melancholicum sanguinem liquandi ac fluxilem reddendi vim habente, vti: In sanguine pituitoso lauare nõ admodum conueniens est, sed ea quę supra retulimus extenuantia, & incidẽtia medicamenta ex vsu magis sunt: Conueniens tamen est lauare in sanguine terreo ac melancholico, quem maximè aquæ dulcis balneum fundit ac liquat, fluereque facit; verùm quia de istis quantum præsens patitur tractatio, satis dictum est, idcirco ad ea quæ differenda supersunt, adeamus.

Num ab hausto medicamento purgante, dormiendum: & qua forma susceptũ magis operetur. *Cap. XI.*

NVm dormire an vigilare die purgationis oporteat, & si dormiẽdũ est, quantum, & quo tẽpore somno sit indulgendum, hoc in loco definire conuenit. Recẽtiores medici ab assumpto pharmaco triplex cõstituunt tempus, actuationis seu reductionis ipsius in actum, eua-

euacuationis, & illud quod euacuationẽ subsequitur: in hoc postremo, ab omnibus vtilis somnus iudicatur, qui tũc purgatione absoluta, placidus & multo quã antea arctior citra vllum tamen veternum obrepit, non quidem ex virium imbecillitate, sed (vt Fernelius ait) inde obortus, quòd ex morbo perinde atque ex labore fatigatum corpus, mox vt ab infestãtibus humoribus quasi à sarcina deoneratur, se dato spirituum impetu, leui somno conquiescit. Atque ita quidem de vltimo purgationis tempore decerni debet. In secundo, somnus valde nociuus habetur, quia dormientibus purgationis opus subsistit, dicente Auicenna, somnum omnes fortiter retinere euacuationes vno dempto sudore: Verum eas potissimum excretiones cohibet quæ facultate animali, naturali adminiculante, efficiuntur, quales sunt alui deiectio, mictio, vomitio, atque excreatio idque duplici de causa, & quia actiones animales (motum inquam & sensum) quibus huiusmodi euacuationes complentur, aufert, aut saltem languidas admodũ reddit, & quia sublato sensu tollitur irritatio quæ ad expulsionem exigitur. Quapropter tempore purgationis arcẽdus omnino à somno æger est, quemadmodum

Lib 3. methodi medendi cap. 15.

3. 1. doctri. 2. cap. 13.

Auicen-

Auicenna testatur 4.1.cap.5.dicens: cum autem actionem suam edere medicamentum incipit, vtcumque fuerit, tutius erit non superdormire: quod intelligendum est nisi superfluerit purgatio aut necessitas vrgeat cohibendi euacuationem, ita enim inquit Hippocrates: cum sistere volucris, somnum homini inducito, nec moueto. Quam præceptionem Auicenna deinceps confirmat, dicens, sed nec dum purgat dormiendum, nisi purgationem cohibere in animo est. Atque in his quidem medici omnes consentiunt: in quo tamen non parum dissentiunt, primum tempus existit. Verumtamen Auicenna, iudicio meo, illorum dirimit controuersiam, dum inquit: super pharmacum fortè somno esse vtendum, minime verò super debile: censet itaque super validum medicamentum dormiendum esse anteaquam operetur, vt illius vis in somno excitetur & in actum prorumpat: nisi enim natura (quemadmodum idem scribit) in ipsum egerit medicamentum, nec hoc quidem in naturam aget. Ad medicamenti fortitudinem & imbecillitaté, forma etiam qua porrigitur attinet, nam idem pharmacum in forma solida exhibitum, se ipso valentiùs est quàm in liquida propinatum,

Aphor 15.sectionis 4.

4.1.cap.5.

4.1.cap.5 pariter & Mesues Teoremate.3.tit.1.&.2.

 etiam

etiam si Fernelius contrarium teneat: liquidum nempe altius penetrare, in omniaque subire, potentius detergere, & infarctus expedire: solidum verò diutius circum præcordia hærens, tardius minusque efficax existere; Sed qua ratione ille hoc dicat nescio, quia solidum maiori eget vi vt dissoluatur & in actũ reducatur, liquido multo minor sufficit. Quemadmodum enim autore Hippocrate potu quã cibo impleri facilius est; sic medicamẽtũ liquidũ faciliùs à natura alteratur ac in energiã reducitur. Et vt aliméta solida difficiliùs coquũtur, tardius nutriũt, sed potẽtiùs nutrimẽtũ corpori præbẽt, & nutritio quę ab ipsis pręstatur diutiùs durat, sic medicamẽta in forma solida sumpta, vt ęgri⁹ alterãtur & tardiùs in energiã vertũtur, sic efficatius purgant & magis in purgando cunctantur: drachma vna catapotiorum aggregatiuorum vehementiùs purgat in pilulas redacta, quam iure vel liquore alio dissoluta: & quanto in pauciores pilulas digesta fuerit, potentiùs adhuc educit quàm in plures, quia pauciores mole maiores cum sint magis in ventriculo detinentur ac vehementiùs attrahunt & plus perdurant in attrahendo. Vnde Auicenna, l. 5. tractat. primo, capit. 29. in capi

Lib. 3. methodi medendi cap. 14.

Aphor. 11. sectionis 2.

tis affectionibus iubet vnā magnam pilulam assahaiaret deglutire, vt paruo cum pondere indissoluta diutiùs in ventriculo persistens, validiùs atque potentiùs noxium humorem ex capite attrahere valeat. Quod si contingat aliquando, idem met medicamentum in forma fluida propinatum, magis purgare quam sumptum in forma solida, id certè ratione virtutis assumentis euenit, non ipsius medicamenti ratione: nam ægri facultas si languida est, solidum medicamētum actuare nō valēs anteaquam munus suum cōpleat elabi sinit: liquidum, potens, facit vt magis operetur. Hæc sanè cuncta ob id attuli vt intelligatur, super idē medicamentū in forma solida oblatum magis esse dormiendum quā si in forma liquida offerretur, ob id inquam quia soliditas medicamento fortitudinem addit. Quod si vnà solidum sit & fortè, veluti catapotia habentur, multo magis superdormire est necesse: Si verò pharmacū debile fuerit, melius esse dicit Auicēna, super illud nō dormire: nisi (quē admodū ego intelligo) assumētes etiā debiles existant, aut vomitio timeatur, nā tunc à debili assumpto medicamēto exiguus somnus cōceditur qui aliàs haudquaq̄ permitti debet, quoniā natura debile medica-

Vnde eueniat quod medicamentum in forma fluida sumptum interdū magis purget quam in solida.

mentum per somnum conficiet: præsertim si præterquam quòd medicamentu ipsum imbecillum est assumentis naturam validam esse contingat, & ad hęc famelicą adfuerit dispositio, nam eo tempore abstinendum à somno magis est: posset enim natura per somnum medicamentum nõ alterare modo, sed & commutare in totũque vincere quo dato purgatio intercideret & aboleretur. At opponunt, Auicennã 1.4.cap. de causi curatione, iubere ægrũ dormire apud teporem paruum febris super aquam tamarindorum; quibus verbis nonnulli ex medicis eum sequentibus nixi, super quodcumque pharmacũ somnũ cõcedunt. Verũ isti nõ animaduertũt, Auicẽnã nõ ad purgãdũ sed ad refrigerandũ & febris calorẽ attẽperãdũ tamarindos exhibere, quẽadmodũ nos accessionibus febrium biliosarum declinare incipientibus, potiones refrigerantes, eosdem itidem tamarindos suscipientes, ægrotis propinare solem. Quòd si aliquis objiciat ab huiusmodi potionũ exhibitione ægrotãtes arcendos esse à somno, quandoquidẽ febre hectica laborantes à lacte exhibito (quod non solum nutritionis sed & refrigerationis gratia præbetur) arceri à medicis solent: dicendum secus esse in lacte ac in po-

Obiectio 1. Tract. 2. cap. 42.

Obiectioni respondetur.

in potibus è tamarindis; nam hi non faci le corruptibilem substantiam obtinent, nec vapores mittunt ad caput: quare nihil inconuenit super eos dormire. Verum lac cum facilè corrumpatur, & ad hæc in vapores abeat, ab eo hausto iubet Aetius dormiendum non esse. Cæterùm Ludouicus Mercatus Doctor eximius & Vallisoletanæ Academię primarius Medicinæ professor, vnusq; ex viris totius Hispaniæ doctissimis, in lib. de febribus nuper ab eo edito censet, vna aut duabus horis à suctione lactis superdormiendum esse: nec ab re quidem nam ait eo tempore nullum esse periculum euaporationis ad caput, nec corruptionis ipsius, verũ de his alibi fortè opportunior dabitur differẽdi occasio. Nunc verò ad propositum redeũdum. Tamarindi cum purgationis gratià exhibentur, super eos dormire non expedit. Pariter etiam dormiendum non est super pharmacum venefica admodum præditum qualitate aut super illud quod vomitiuũ existit vt insinuat Hippoc. aphor. 14. sectionis 4. dum ait: cum biberit quis elleborum, ad motiones quidem corporũ ducere magis, ad somnos verò atque quietem minus. Sed de hoc capite satis.

Lib. 1. ser. 2. cap. 93.

Deiectorium medicamentum tepidum esse bibendum, quibusque præsidijs eius vomitio coerceri debeat. *Cap. XII.*

QVam temperiem in frigore & in calore purgans medicamentũ, cum sumitur, seruare actu debeat differendũ deinceps est: nã circa hoc hæsitare etiã medici solent: verumtamẽ (iudicio meo) huic dubitationi satisfecit Auicẽna 1.4.cap 5. vbi de præceptionibus in purgatione obseruãdis verba faciens, inquit: oportet autem vt potiones & decocta tepida propinentur, pilulæ verò ex aqua tepida sumãtur. Quibus verbis innuit clarissimè catapotia (quę ipse, & medici ferè omnes, pilulas vocãt) cum aqua tepida esse deglutienda, purgãtes verò potiones & deiectoria medicamẽta quæ in forma liquida bibũtur, actu tepida bibi debere, non calida nimis aut frigida: vehemens namque calor præterquam quod medicamenti vires dissipat ac dissoluit, insuper etiã vias claudit, & partes per quas vis purgatrix permeare debet, densat atque constipat, quo fit, vt humorum iridem deductioni impedimento existat, dicente Auicẽna 2.1.cap. de balneo, cũ eius aqua multæ fuerit caliditatis, cutis ex ea horri-

2.1. doctri.2. c.19 in principio.

horripilatur & inſpiſſantur meatus, quare ex eius humiditate nihil vadit ad corpus. Quod multo ante Auicẽnam docuit Galenus li.7.meth.cap.6. quo loco inter alia multa quæ de balneo ſcribit, ſic ait: Eſto autem aqua ad vnguem temperata, cum quæ frigidior eſt, latenter frigus corpori infirmo inſinuet, calidior autem cogat cõſtringatq́ue tenues meatus ac denſet. Frigiditas verò medicamenti, ob id purgatio nibus aduerſatur, quia impedit ne id energia fiat quod in potẽtia eſt; fit enim huiuſmodi medicamẽti in actũ reductio (ſine qua nihil illud efficere valet) à natura & naturali calore: nã vt Auicenna inquit: niſi natura in medicamentũ operata prius fuerit, medicamẽtũ ipſum nõ operabitur in naturã. Promouetur hæc medicamẽti & naturæ operatio à calore, impeditur à frigore, vltra hoc quod idẽ frigus vias etiam per quas purgatio fieri debet occludit atq́ue condenſat & humorũ motui obſtaculo itidẽ eſt, quia docente Galeno, frigidi eſt cõtrahere, & conſtipare, & ſubſtãtiã reddere immobilẽ aut ęgrè immobilẽ. Atq́ue hæ potiſſimæ cauſę ſunt propter quas purgans medicamentum actu frigidum ſumi nõ debet: quod intelligendum eſt dũ modo morbus non ſit vehementis calidi-

4.1.cap.5.

3 li. de ſimpl. medic. facult. cap.5.

tatis

tatis, nam hoc casu potest frigidum exhiberi: quapropter cum medicamentum actu calidum vel frigidum propinatum noxis non careat, tepidum sumēdum est. Ita enim blando illo calore naturalem calorem fouet, humores liquat, vias patefacit, per quas tenuiores medicamēti partes in vaporem solutæ quoquouersum in omne corpus diffunduntur, & humores infestantes ab eiusdem medicamenti partibus crassioribus in ventriculo detentis atque relictis, propensiùs faciliusque trahuntur. Quod si obijciant Galenum libr. 8. metho. capit. 5. scribentem quæ tepida sunt omnia ventriculi firmitudinem dissoluere; cui Auicenna consentit, dum inquit, omne tepidum esse mollificatiuum & virtutem resoluere. Dicendum, verum hoc esse, iuuamentū tamē quod ex tepore prouenit, nocumentis hisce præualere, præsertim cum id quod ex vnica exhibitione euenit, non magni momenti sit, præcipuè ea die qua purgatio exercetur, nam ventriculum emollire ac laxare adiuuat ad deijciendum. Quapropter die illo tepens medicamentum exhibere verendū non est, dummodo non timeatur vomitio, nam si timetur citra vel vltra teporem propinari pharmacum debet, habita ratione tem-

l. 4. tract. 1. c. 26. de curatione febris ephemeræ ex euacuatione & 13 3. tract. 2. cap. 4.

ne temperaturæ laborantis & temporis anni ac similium. Si namque biliosus homo sit, & tempus fuerit æstiuum tepido frigidius bibi medicamentum debet; sin verò pituitosus frigidusque existat, tepido calidius id sumat, præsertimq; si hyeme ęgrotet. Danda enim modis omnibus opera est vt medicamentum quod semel in ventrem ingestum est, vomitu non reijciatur, ne purgatio intercipiatur & medicus suo fine frustretur, qui erat infestantes humores euacuare. Adde (teste Galeno) purgantia cuncta ventris osculum (quòd maximè sensile neruosumque existat) dũ hauriuntur affligere ac maxime lædere, quare idem efficient dum euomuntur, & sic duplici tempore illud lædent eidemque negotium facessent: Atque ob has quidem causas ingesti iam pharmaci impedienda vomitio est: impedietur autem sublatis causis quæ illam efficere queunt, quarũ vna est fæcum in intestinis retentio, hæ enim non solum medicamentum deorsum illabi non permittunt, sed plerumq; occasio sunt colici doloris vehementissimi: quapropter Auicenna in huius mali principio infarctis excrementis intestinis prohibuit purgantia medicamenta desuper assumpta, ne attractis materiebus supra

Lib. 2. de victu acutorũ com. 11.

16. 3. tract. 4. cap. 1.

pra vias clausas, dolorem & obstructioné adaugeant. Eadé certè incommoda sequé tur, si stercore nõ euacuato sed intus detẽ to, medicamẽtum hauriatur: atque hinc est vt dicat Auicenna, periculosum esse sumere pharmacũ deiectoriũ, excremẽtis aridis in intestinis existentibus. Quapropter cõsuluit idé, hæc prius esse eluenda clystere molli aut saltẽ iure aliquo emolliente; quod etiã medici nunc facere solent, nam in vespere medicamenti exhibitionem antecedente præmittunt clysterem ex oleis & decoctis prædictæ lenitioni conuenientibus. Succedit quandoque à pharmaco hausto vomitio, non ob feces quidem sed propter humores in ventriculo contentos, quorũ copia simul ac medicamenti insuauitate obrutus ac lacessitus ipse, illud à se excutit, quo tempore vnà cum medicamento vitiosorum eorumdem humorum portio haud exigua excernitur. Accidit interdum, pharmaco intus detento, humores solos euomi, quo casu purgatio non intercipitur etiamsi excreti humores ob nonnihil medicamenti eis affricati, atque idcirco ipsius qualitates referentes, nõnullis imponant, putantibus pharmacũ fuisse euomitum: Verumtamen ipsius vomitionis quantitas (quæ sæpè quã assumpti

4 li. cap. 5. in initio.

medi-

medicamenti quincuplo maior existit) ac præterea eiectorum humorum color & consistẽtia manifestè rẽ ipsam declarát. Nihilo seccius etiam procedet purgatio si pharmacũ nõ protinus sed tribus quatuor ve horis postquã ingestũ fuerit, vomatur. Igitur si intellexerimus noxios humores in ventriculo contineri (testimonio Halyabbatis,) duobus ante diebus vomitu educi debẽt; in quã sententiã impegit Auicenna 4.1.cap.5.propè finẽ, dicẽs; præterea si quis vereatur ne à pharmaco hausto nausea superueniat aut anxietudo aliqua, duobus vel tribus diebus ante potionẽ vomitum moueat cũ decocto radiculæ. Præsertim verò ante medicamentũ vomitio cienda est quibus summo manè euomere est consuetũ. Hi namque non solum ante purgationis diem, sed eo ipso quo pharmacũ sumẽdum est die, vomere debent, vt ventriculus à noxijs humoribus purus vacuúsque medicamentũ excipiat, idque faciliùs contineat. Nonnumquam verò ventriculo à talibus humoribus libero, vomitus à medicamento succedit, quòd stomachus nimis sit sensilis aut valde imbecillus, vnde pharmaci molestiam sustinere nequiens, illud foras detrudit. Quapropter modis omnibus abigẽda hęc omnia

2.practicæ.c. 56.non lõgè à principio.

sunt

sunt vt medicaminis in ventriculo fiat retentio, si enim propter sensus acrimoniã vomitus cõtingat, quatuor quinque ve ante medicamentũ horis interior ventriculi tunica leui blandaque sorbitione obliniẽda est: Si propter imbecillitatem, foueri stomachus debet oleis ad id efficiendum idoneis; calidus, frigidis, rosaceo nimirum & citoniorũ: frigid', calidis vt mastichino, mẽthaceo, absinthij & nardino, ad quod etiã facit panis sectiũcula tosta, odorifero vino irrorata ac insuper insperso cinnamomi & garyophyllorũ puluere vẽtriculo ipsi applicita. Esto autẽ (Galeni documẽto) abundè calẽs quidquid ventriculo imponitur, siquidẽ quæ tepida sunt omnia ventriculi firmitudinẽ dissoluunt. Quòd si experientiã habuerimus nihil horũ sufficere efficax remediũ est ab hausto medicamẽto cucurbita ventriculo affixa, ita enim haud dubiè vomitio impedietur: Cũ sit nimirũ cucurbita (eodẽ Galeno attestante) instrumentũ ad violentum attractum à medicis excogitatum.

8. meth. c. 5.

4 metho. in fine.

Medicamentum purgans ieiuno, non tamẽ famelico existente ventriculo, esse sumendum. Ac quid ipso purgationis die faciẽdum. Cap. XIII.

Dixi-

DIximus superius, eum qui deiectorium medicamētum haurire statuit (nisi quid vrgeat) manè & ieiunum hauri re debere, ne cibo, potusque humore illius vis exolescat imbecillaque fiat, & alimenti benignitas ipsius permistione vitietur: quod semper obseruandum est dū modo ille qui pharmacum assumit admodum calidæ temperaturæ ac raræ contexturæ & debilis stomachi non existat, nā si talis extiterit (documento Auicennæ) ei anteaquam illud ingerat, melius erit leue aliquid edere, veluti ptisanæ cremorem, vel mali punici succū, aut ex iure aliquo sorbitionem, aliudue tenue & leue alimē tum, idque potissimum æstatis tempore faciendum: tales namque (vt ille ait) nisi tunc aliquo dictorum præmuniantur, ex potu purgantis medicinæ, magna ex parte, in febrem incidunt, cæteros autem qui huiusmodi nō sunt, ieiunos bibere præcepit: ieiunos enim dixit, nō famelicos, quia in fame nec venę sectio, nec purgatio, nec clysteris iniectio conueniunt. Primò quia vt sectione prima aphoris. com. 17. scribit Galenus, defectus adiectionem exigit non subtractionem; secundo, quia si teste Hippocrate apho. 16. sectionis 2. in fame non est laborādum, multo minus sanguis

Cap. 5. libri huius.

4. 1. cap. 5. in medio.

erit mittendus, aut purgandum, aut subluendum, aut quouis alio modo corpus vacuandum. Tertio, quia natura eo tempore auara nimis in retinẽdo redditur, vnde ventriculus, ac reliquæ corporis partes non solũ humidũ substantificum sed & excrementitium foras pellendũ, fortiter continẽt; nã in ieiuno humidũ chylosum ventriculi deficit, superstite substãtifico, at in esurie vtrumq; absumptũ est: quare natura tunc quicquid excrementi in corpore existit aut continetur, cũ nihil aliud obtineat, tenaciter retinet nec euacuari foras sinit: Nam, docente Galeno, quemadmodum esurientia animalia, aut limũ aut quid aliud tale propter famem ingerunt, ita quęlibet pars proprio sibi destituta alimento, & necessitate coacta, propter innatam sibi ipsi appetentiam aliquid etiam attrahit ex ipsis prauis humoribus. Accedit eò naturam eamdem ex fame languidam nimis reddi, quo fit vt nec medicamentũ actuare, hoc est in actum redigere, nec sequentem vacuationem citra magnam sui noxam sustinere queat: atque hæc potissimæ causæ sunt propter quas ieiunus quidem, non autem famelicus qui purgatur, sumere medicamentum debet. Nec statim eo assumpto (vt Auicenna ait)

Lib 9. de vsu partium c.1.

4 1.c3.f.5.

ait) corpus moueat, sed quieti sese tradat, vt natura illud melius complectatur agatque in ipsum: surrectus existat, nam si decliuis tunc aut in alterum laterum, & præsertim in sinistrum decumbat, facile medicamentum euomet eo ad os ventriculi (quod autore Galeno, versus sinistram partem locatum est) irruente. Protinus vt pharmacum hausit os aqua frigida colluat eiusque vel ptisanæ cremoris vel succi mali punici vel melicrati, vel saccharatæ aquæ aut alterius cuiuspiam conuenientis liquoris non nihil bibat, vt medicamenti reliquiæ quæ inter deglutiendum faucibus & gulæ hæserunt detergantur, deorsumque deijciantur. Degustet malum cotoneum, aliudve pomum acidum, aut oliuam sale conditam, aut gallinæ ventriculum assum, vel quid aliud stomacho ipsi gratum, quod præsertim faciendum est cum ob pharmaci horrendum saporem aut odorem grauem, suspecta vomitio est. Ad quod etiam (Auicennæ sententiâ) cõfert ea odorare quæ nauseã arcent, veluti mẽthã, rutã, apiũ, malacotonea, vel terrã lẽniã aqua rosacea & modico aceto perfusam: extrema itidem vinculis astringere, & summos digitos manuum aqua

Lib. 4 de vsu partium cap. 7. & li. 6. eiusdem operis cap. 6.

4. ti cap. 5.

 frigi-

frigida immergere, aut eàdem faciem inspergere. Quod si quis pharmacū ob eius grauem odorem assumere renuat (eiusdem Auicennę cōsilio) nares comprimat, etsi ab eo aliquam insuauitatē abhorreat, modicum alterci mandat vt oris sensificá facultatem stupidam reddat. Quòd si horribilis pharmaci odor nimis infestet, præstat ore vasis, panno lineo aceto madefacto semicooperto medicamentum hauri re, ipsumque adeo acetum naribus apponere. His peractis, quiescat, & si ingestum medicamentum alimentosum non est, tātisper dormiat. Medicaminis enim potionis principio (vt inquit Halyabbas) importunus leuis somnus non est; haud tamen illico ab eius haustu dormire debet, sed transacto semihoræ spatio; quo tempore grauis somnus premere solet, dormiat alteram semihoram: cùm autē cœperit medicamētum laxare, caueat à somno. Somnus enim, quemadmodum scriptum relinquit Halyabbas, medicaminis virtutem & actionem amputat. Verùm de somno definitum abundè supra est. De cibo verò censet Hippocrates, purgatione media dādum non esse, sed postquam purgatio desierit: quod itidem Paulum voluisse constat: nam lib. 7. cap. 6. sic ait: summatim in omni

2. practicæ c. 56. no lōge a principio.

Vbi supra

2. de victu acutorū text. 12.

omni purgatione efficaci, cibo omni &
potu abstinere vsque ad consummatā pur
gationem compelles. Auicenna itidem,
4.1. capite. 5. sumpta medicina (inquit)
nihil edendum aut bibendum donec ex-
pleuerit actionem suam, & hoc ne natura
ad eius quod vescitur concoctionem di-
strahatur & ab euacuādo desistat: ob quā
quidem rationem thymiamata, & ea quæ
iucundum spirāt odorem, dum purgatio
fit, sunt abdicāda: diuertitur enim ad odo
ris suauitatem natura & commissi operis
obliuiscitur. Accedit eò, alimenti permi-
stione medicamenti acrimoniam retundi
languidioremque ipsius facultatem red-
di, & escam ipsam pharmaci comertio vi
tiari. Verumtamen ad cibum purgatis of-
ferendum, satis esse putant aliqui pharma
cum è ventriculo excidisse, ita vt nullus
eius odor nullus ructus, nulla nausea, nul
laque stomachi rosio subsit, etiamsi illud
suo munere in totum perfunctum nō fue
rit, nam si è ventriculo dilapsum medica-
mentum iam est, nec cibus quidem eius
permistione corrumpetur, nec purgatio-
ni impedimento erit, præsertim si ægro-
tans sitim iam aliquam persentiscat: quod
Halyabbatis placitum fuisse reperio, nam
lib.2. practicæ cap. 56. inter alia quæ de re

gimine bibendi laxatiuum scribit, ait, non esse re aliqua quempiam reficiendū quamdiu in visceribus medicaminis saporē senserit & quādiu sitis non vrget: vbi autem viscera residerunt & iucunda facta sunt, sitisque infestare incipit, opportunū eum qui purgatur, cibandi tempus instare innuit. Cōmuniter autem inter medicamētum & cibi exhibitionem quatuor horarū interstitium interponi solet; primus autem cibus, ex iure gallinæ sit sorbitio, quę pharmaci reliquias eluat & deorsum impellat, simulque ventriculi interiora obliniēs omnem medicamenti qualitatem tædiaque demulceat, quę si rudiore saccharo sit dulcorata, vt ex Manardo constat, plus deterget & ad deducenda excrementa ex vsu magis erit. Iusculū autem quod sumitur, exiguum contineat sal, nę nimis salitū sitim excitet, & plus æquo retentū longiorem morā in ventriculo trahat, viasq; coegat atque coarctet: quod Auicennæ testimonio probari non obscurè potest, dicētis, eū qui medicinā purgatricē sumpturus est, salis copia in edulijs suis vti nō debere: & quod de illis qui pharmacū sumpturi sunt, scribit: dē etiā de eis qui illud hauserūt, sunt intelligenda, vt scilicet modico sale in escis quibus vescūtur, vtātur.

Manard. 20. epistolarum epi. 1. post medium.

4. 1. cap. 5. nō longe à fine

Ius-

Iúsculum tamen nõ omnino insulsum vt vulgus factitandũ censet, sed modico respersum sale est offerẽdũ, cũ Dioscoridis & Galeni sententiã, sal ipse detergẽdi, incidẽdi, attenuandi atque purgandi vim obtineat: vnde Mesues lib.2.c.16. salẽ purgãtibus additũ, vigorẽ addere, & eis qui tarde ac imbecilliter purgant medicamentis, stimulos indere scriptum reliquit. Transacta à sorbitione hora, edat pullæ extremitates, alas nẽpe, & collũ, ac quicquid aliud ex ea præsenti medico conueniens ægrotanti videatur. Cibi autẽ qui sumitur quãtitas (si Hippocrati creditur, lib.2.de victu acutorũ tex. 13.) consueta minor esse debet, quoniã, vt in eius enarratione scribit Galenus, corporum quæ expurgata sunt natura, à purgatione agitata labefactataq́;, tolerare alimoniam non valet, nec probe eam cõcoquere nisi omnino parca fuerit: quapropter purgatis tantum alimenti in die purgationis Hip. dare præcepit, quãtum domare possint, deinde paulatim sensimq́ue adaugere oportet si & dolor, vt inquit, cessauerit, & nihil aliud obicem fecerit: quod Hippocratis documentum posteriores medici corruperunt, nã hi, quemadmodũ Galenus cõqueritur, post quã vacuauerunt, copiose nutriunt, &

Dioscorides lib.5.cap 57. Galen. lib 9. de sim. med. facult.

valentiora alimenta ægrotis præbent,cùm contrarium potius Hippocrates faciendũ censeat.Potus quantitati cibi respondeat, nec enim sit adeo parcus vt ingestorum coctioni non sufficiat,& æger implacidus nimis supersit,nec adeo vber vt fluctuationes excitet ac cibum in ventriculo innatare faciat.Contendunt nonnulli,vinũ ipso purgationis die propinandum non esse,dicentes nequaquam id cõuenire corpori à pharmaco calfacto & exiccato , sed potius tunc extinguendo calori esse studendum potionibus refrigerantibus, iuxta Galeni præceptum cap.89.artis medicinalis dicentis, vnamquamque causarum abscindẽdam esse prius, deinde ad factam intemperiem deueniendum. Cæterum si vinum quod die purgationis offertur,vehemens & meracum esset (iudicio meo) rectè dicerent , verum cum non istud sed pauciferum satisque dilutum exhibeatur non possum illorum sententiam probare: nam hoc tãtum abest vt calfaciat & exsiccet , quòd corpora calfacta refrigeret & substantificè humectet , & ad purgationẽ reliquiarum humoris conducat , ad quod comprobandum multa Galeni extant testimonia, quæ quia in commentarijs in 3. librum de ratione victus in morbis acutis

attuli,

attuli, in præsentia omitto, vnius tantum Auicennæ mentionem faciens, 1.4.tract. 2.cap.39. de tertianæ puræ curatione in hunc modum scribentis: Et non timeas post declinationem potare eos vinú, pluri mum commistum; vinum enim habens caliditatem confractam per cōmistionem confert quantitati remanenti ex eo, in resoluendo illud cuius necessaria est resolu tio: & succurrit aquæ penetranti cum fortitudine sua & permistione eius quod est in eo de calfactione pauca, quare infrigidat vehementer, & humectat. Ex quibus Auicennæ verbis ego non video cur vinú dilutum die purgationis dari nō debeat, si maior cacochymiæ pars est expurgata, & nec febris incendium, nec interna inflam matio, nec pasio aliqua delirare faciens eius exhibitionem prohibuerint, cū præter commoda iam dicta, spiritus ex vacuatione deperditos instauret, vires organorum adaugeat, expellendis excrementis viam faciat, & cibi coctioni, quæ eo tempore à natura labefactata (vt Galenus ait) ægre fit, opē ferat. Ab esu tamen aceti pur gatus tam ea die qua medicamentum sumit, quam postridie purgationis die, summopere cauere debet, quoniam intestina tūc pura, mundaq; , & alienæ humiditatis

Propè finem capitis.

Lib.2. de victu acutorū com.12.

expertia cùm sint, facile ab aceti acrimonia offenduntur, mordicantur, & exulcerantur, vnde vehementissimos dolores persentiscere solent: quæ Auicennæ est sententia, 4.1.cap.5, vbi sic scribit: At verò si febris quæpiam à pharmaci potione inuaserit, nihil præstãtius est aqua hordeacea, syrupus enim acetosus intestina ipsa abradit quocirca postponi debet in secũdũ aut tertiũ diem donec intestina in pristinum restituantur statũ. Oportet etiam (quemadmodum idẽ Auicenna animaduertit) vt aer in quo existit ille qui medicamentũ hausit, ad leuẽ quãdam caliditatẽ declinet, ne calidus nimis sudorem eliciat aut angustia aliqua afficiat. Danda insuper opera est ne is qui purgatur, frigidiorẽ aerem admittat, eo quod ex eius contactu noxæ graues euenire solent: coarctãtur namq́ue meatus, stipantur succi, & inepti ad euacuationẽ redduntur, & dolores tormina, febresq́ue ægrotantẽ exercẽt, ac non raro mors inde sequi solet. Altera à purgatione die si non satis vacuatio processit, confert molli clystere intestina abluere & relictam à medicamento noxã adimere. Quod præsertim faciendum cũ medicamentum ex eorum est genere quę scãmonium aut colocynthidẽ suscipiũt,

quo-

quorum portiunculæ quædam in rugis inteſtinorū ſolent relinqui atque ita teneſmum vel tormina punctione ſua non raro inferre, quod ne fiat clyſmate detergente poſtridie purgationis die vti cōueniet: quo tempore congruum etiā eſt liquorē ſtillaticiū cichorij vel bugloſsi, multoq; magis hordei aquam bibere, quippe hæc poſt ventris ſolutionem bibita (teſtimonio Auicennæ) malitiā expellit ſolutiuæ medicinæ & lauat quidquid in inteſtinis adheret retentū ve eſt, quod magis preſtare poterit ſi vnà cū ſaccharo trāſglutiatur. Optimū etiā eſt radicē ſcorconeræ ſaccharo conditā, vel bugloſsi radicē eodē ſaccharo cōcinnatā mandare. Roſaceū verò ſaccharū quod altera à purgatione die à noſtris medicis offerri ſolet, cū nō lauare ſed adſtringere & corroborare ſit aptū, ijs qui exactè purgati ſunt aut ſupra modum purgātur ex vſu eſſe poterit, ſiquidē (docēte Galeno) non ſolum euacuare quæ præter naturam ſunt, oportet, ſed partem quoque euacuatam roborare ac confirmare. At ijs tamen qui diminutè aut non integrè purgati exiſtunt, nocuum eſt, quoniam materiæ quæ euacuari debent non expellūtur ſed intra corpus manent partibus ipſis magis affixæ ac adhærentes

At

4. 1. c. 5. propter finem.

Lib. 7. de ſim pl. med. fac. cap de cētauro maiore.

At inquiunt rosarum conditum detersoria pollere facultate, propterquã in phthisicis summopere à medicis commendatur & præsertim ab Auicenna 10.3. Detergit enim quicquid in vlcere sordidum purulentumq́ue est; quibus respondendum, verum id esse: cæterum ijs qui purgati integre non sunt, alia ratione nocere, ea nẽpe qua adstringit: quæ virtus in antiquo conspicua magis est sicuti in recenti detergens magis elucet. Egent phthisici duplici hac facultate, siquidem pulmonis vlcus expurgari & consolidari opus habet; expurgatur detersoria; adstringente autem consolidatur; at quibus multa recrementa euacuanda supersunt, adstringens qualitas noxia est, cum vitiosi succi excerni, non retineri exposcant. Nec quicquam dicere præstat, frigidum cum sit rosarum cõditum, febris calorem refrigerare, quia in febribus putridis non est cum adstrictione id faciendum, vt ex Auicenna constat, 1.4.tract.2. cap. 7. non longe ab initio dicente: cum infrigidas in istis febribus, nõ infrigides cum eo in quo sunt stypticitas & inspissatio sicut sunt trochisci refrigerãtes, nisi post digestionem & euacuationẽ; & hæc vt arbitror causa est cur ab vsu rhodosacchari (quod itidẽ annotauit Auicẽ-

tract.5. c. 5. propè mediũ

10.3. tract. 5. cap. 5. propè medium.

na)

na)febris quandoque inflammetur, & nó quia dulce est & facile inflammatur, nec quia propter exsiccationem calor acuitur quemadmodum censuit Gentilis (quoniam nec omnino dulce est, sed cóspicuę etiam austeritatis particeps, nec exactè sic cum, cum alimentũ sit ac nutrire corpus queat) sed ob id quòd adstrictione calor cohibetur & putrescentium humorum fluxus transpirare non potest; qua ratione frigida intépestiuè exhibita (vt Galenus ait) ad præsens quidem non paruum affert leuamen, propterea quod iam accensam febrem extinguit. verùm cum causa eius adhuc persistet, aliam denuò accendi est necesse, ac ea quæ præcessit nonnúquam difficiliorem, propterea quod densatum ex frigida corpus est. Cuius rei Cicero nó fuit ignarus, nam oratione. 1. in L. Catilin. propè finem sic ait: Qui æstu febreque iactantur, si aquam gelidam biberint, primò releuari videntur. sed deinde multò grauius vehementiusque afflictátur.

Li. 9. metho. cap. 5.

Si hausto purgante medicamento non succedat vacuatio, aut immoderatè & multo largior quam necessitas postulet succedat, quid moliẽdũ. Cap. XIIII.

Sym-

SYmptomata formidanda, quæ multorũ malorũ interdumq; mortis acerbæ sunt causę à medicamẽto purgãte oriri sæpè solent, quibus omni studio & diligentia cunctisque modis occurrendũ, ne talia cum superuenerint, nostro adscribantur errori: nã vt vetustissimus Hippo. ait, turpis enim est calamitas, medicamento purgante dato, hominem mori. Periculosa autem symptomata quæ purgatis nonnunquam accidere assoleẽt, sunt, humorũ prauorum cõmotio citra euacuationẽ, vacuatio effrænis, & immodicissima, febris, cephalalgia, vertigo, visus imbecillitas singultus, cardialgia, hoc est ventriculi dirus dolor, intestinorum exulceratio, tenesmus, lassitudo, seu corporis imbecillitas, conuulsio, de quibus quia Mesues quantũ ad hoc propositũ attinet, exactissimè pertractauit, in præsentia dicere supersedeã, dẽpta humorũ pessimorũ agitatione absque euacuatione, & vacuatione immodicissima, quarum quia tamquam è caudicibus ab eis cætera pullulant atque nascũtur, nunc tantum mentionem faciam, & prius purgationis nõ procedẽtis aut tarde pigreque ab assumpto medicamẽto euenientis. Porrò hãc promouebimus si causas quę illã impedire queunt, ad vnguem tenuerimus;

Lib. de medicamentis purgantibus.

mus; consistunt namque hæ nonnumquam in ipsius medicamenti actione, aliquando in assumentis facultatibus & temperamento, interdum in humorum expellendorum natura flatibusque commistis & præsenti corporis dispositione; itaque Mesuæ sẽtẽtiã, medicamẽtũ purgãs prauos humores cõmouet sed nõ vacuat, aut tardius segniusq; vacuat, ob ipsius actionẽ remissã & debilẽ, vel ob materiã expelli cõtumacẽ, quæ cõmouetur quidẽ sed expulsioni resistit, idque vel propter sui crassitudinẽ, multitudinẽ aut viscidirarem, vel quia latius in corpore spargitur, & increscit, aut ob imbecillã sumentis virtutẽ nõ potẽtẽ in medicamẽtũ agere, quo fit vt nec hoc in ipsam (quẽadmodũ dictũ sæpè est) agat, vel ob flatus crassos medicamẽtũ subleuantes, vel in corporis meatus aut in partes principes impingentes: vnde (vt Mesues ait) febres putridæ, syncope & mors festina; vel ob excretricis facultatis imbecillitatẽ, vel propter obstructionẽ & cõstipationẽ viarũ per quas fieri purgatio debet. Quib⁹ omnib⁹ qua ratione sigillatim sit ꝓspiciẽdũ, succinctè breuiterq; differẽdũ deinceps est. Si nãq; pharmaci imbecillis occasione id euenit (est.n. imbecillũ Auicẽne, l. q̃a naturã tale est vel

Cur medicamentum prauos humores commoueat, sed non euacuet.

Lib. 2. c. 618. de scamonio.

quia ipsius pro humore vacuando, corpo ris natura, & reliquis considerationibus necessarijs, parua est exhibita quãtitas) alio medicamento purgante exhibito adiuuã da eius actio est, quod illi calcar adhibeat: Datur in euentu hoc semihora ante prandium vncia vna & semis mannę electæ, iu re pulli, liquoreue alio dissoluta, vel rhodosaccharũ alexandrinũ eodem põdere, aut saccharum violaceum sine vnguibus concinnatum, aut quinque vel sex pruna sennæ infusione condita, vel quid aliud simile. Sit autem omnino clemens & benignum quidquid tunc exhibetur; nam (docente Auicenna) duo medicamenta deiectoria eodem die porrigere, vt metu plenum est, ita à ratione alienum. Quod itidem confirmat Halyabbas, inquiẽs; nõ oportet autem duo laxatiua vno die sumere, maximeque ea quæ fortius laxant. Si tamẽ medici curantis inscitia vijs constipatis, & humoribus crassis non attenuatis, nec viscidis incisis pharmacum fuit exhibitum, indeque anxietates & intestinorum torsiones oriuntur, pannis igne calfactis venter foueri debet, & insuper illiniri adipe suillo, vnguento deobstructorio succorum, simplici dialthea, oleo amygdalorum dulcium, similibusque

4.1.c.5. parũ post mediũ.

2.pract.c.56. parum ante medium.

que emollientibus & meatus laxare ac hu
mores fluentiores reddere valentibus; vbi
autem propter expultricis facultatis imbe
cillitatem purgatio non procedit, cibo na
turam roborante dato mox promouebi-
tur, præcipueque id fiet si medicamentum
ex eorum genere sit quæ lubricando eua-
cuant. Et si eadem facultas excretrix igna
ua existit, acrioribus balanis est irritanda:
si verò ob alteratricis defectum nequeun
tis medicamentum in actum redigere id
accidat, aut adest frigida aliqua ventriculi
intemperies (Pauli decreto) panis ex vino
sumptus prodest, dummodo febris non
adsit: quæ si adfuerit, sorbitio ex iure pul-
lę aut ex ptisanæ cremore aut ex chondro
vtilis erit: si ob flatus & prauam humorũ
qualitatẽ assumptum pharmacum nihil
profecerit, clysteribus deorsum versus hu
mores pessimi sunt reuellendi, & per se-
dem euacuandi, deinde flatus dissipandi
& mala qualitas contrario est alterãda. Præ
stat in hoc casu malum cydonium, vel py
rum, aut aliquid aliud quod adstringens
sit vorare, vt ore ventriculi roborato atq;
compresso, medicamentum pariter & hu-
mores inferius trudantur, visceraque infe
stare desinant. Cum tamen pharmacũ epo
tum, molestiam, nauseã, animi deliquiũ,

Lib. 7. cap. 6.

Mm cordis

cordis tremorem, oris ventriculi oppressionem & tormina affert, aut sudorem, anxietudinem, æstuationem, conuulsorium quemdam motum, capitis dolorem, vertiginem, doloresque oculorum tam vehementes vt foras elidi videantur (Auicennæ, Mesuæ & Halyabbatis sententia) necesse est ægrotantes cogere vt illud celeriter euomant, sumpta (vt Halyabbas inquit) aqua tepida, aut oleo, vel digitorũ, aut pennarum in os immissione, studendumque est ventriculum à medicamento omnino expurgare, postmodumq́; iulepum cum aqua frigida æger accipiat; Quandoq́; etiã (testimonio Auicennæ) citra vomitũ sufficiet ea bibere aut edere quæ adstringẽdi vim habent, vt cydonia, quippe hęc medicamentum potẽter ad inferiora impellũt & os ventriculi comprimunt, nauseamq́; sedant. Atq́ue ita quidem impeditæ purgationi est occurrendum, superfluæ verò & modum excedẽti quopacto obsistere debeamus, differẽdum deinceps est: si prius ostenderimus quæ dicatur excedens purgatio, nam quæ nobis immodica videtur, sæpè reuera talis nó est. Porrò superfluẽtis suppressioneq́; indicãtis purgationis notas, Auicenna exactissime nos docuit, 4. 1. c. 6. inter quas sitim pręcipuã esse scribit:

Auicenna 4. 1. c. 5. propè medium.

Halyabbas. 2. practicę c. 56. Mesue lib. de re medica Theoremate. 3. tit 1.

4. 1. cap. 8.

si namq; purgatio perseueret & sitis nó superueniat, non est cur timeamus eam modum excedere: est enim sitis cóplete euacuationis signum, vt Hippocrates tradidit aphorismo. 19. sectionis 4. dicens: Qui potione medica dum purgantur non sitiunt ipsorum purgandi finis non est, donec sitiuerint; quod præsertim intelligi debet in frigidis natura & in humorum pituitosorum euacuatione cum laxante medicamento non admodum calido; nam (vt idé Auicenna tradidit) nonnumquá sitis accidit non quidé propter multá nec immodicá deiectioné, sed vel propter stomachi affectioné vel ob propinatú medicamentú, vel humoris vacuandi naturá; Propter stomachú enim, quoniá si calida vel sicca intemperie vel vtraq; simul laborauerit, prómptè sitim concipiet: medicamenti verò ratione, si acre & calidum & mordax fuerit: humor quoque vacuandus esse potest in causa, si calidus natura sit, vel si bilis fuerit: his enim de causis citius sitis accenditur, contrarijs verò tardius. Vbi igitur sitim ingentem, & purgationem non mediocrem videris, tunc omnino constringe eam, præsertim si nulla adsit causa festinationis sitis & velocitatis ipsius, nulla enim tali visa, suppressio differenda non est,

4. 1. cap. 6.

Quæ purgationem esse immodicam, ostendant.

 cum

cum ſitis ingens apparuerit. Quæ ſane cũ ćta Auicenna ex Galeno deſumpſit in pręcitati aphoriſmi enarratione; aliquando etiam id quod excernitur (vt Auicenna teſtatur) ſatis apertè indicat quando purgatio ſiſtenda ſit, ſi enim ex bilis flauæ deiectione, pituita etiam cõſequatur, tunc exceſſum feciſſe non dubitabis, & eo magis ſi atra vacuetur: maximi verò periculi, maximique momenti eſt, ſi eò redacta res ſit vt ſanguis etiam excernatur: Verumtamẽ (iudicio meo) immodicæ euacuationis præcipuum indicium eſt tolerantiæ defectus: ſi namq́ue æger illam non tolerat, nec facilè fert, adſuntq́ue exolutiones, animi deliquia, vertigines aut ſyncope, indicium eſt vel manifeſtum, euacuationem ſuperfluere coercereq́ue ipſam omnino eſſe neceſſe, etiamſi ſuperuacanea euacuãda ſuperſint; ſed quo pacto coerceri debeat, cognitis cauſis eam efficientibus, ſupra lib. 1. allatis, facilè inueniemus, quas nunc in memoriam reuocare haud ab re erit. Porrò diximus has conſiſtere interim in ratione eius qui medicamentum aſſumit, interim in ratione aſſumpti medicamenti, quandoq́ue verò in ratione eorũ quæ vtriq́ue ſuperueniunt: in ratione aſſumentis id euenit, quod huic materia ad fluen-

Quo pacto immoderata purgatio ſit coercenda.

fluendum paratissima insit quæ leuissimo impulsu tanto impetu mouetur vt natura eam cohibere non queat, haud aliter ac globus lapideus loco decliui ac prerupto constitutus, qui præceps motu celerrimo fertur; aut venarum adest imbecillitas, aut earum orificia ampliora sunt, aut ex ijs ille est quibus purgatio est interdicta, cuiusmodi ij sunt qui in dysenteriam, lienteriã aut in cæliacum affectum facile dilabuntur. Occasione autem medicaméti super fluit purgatio, quoniam id venarum ora pungit, mordet, aperit, aut cor intemperantius reddit, vel ipsius portio aliqua ventriculi aut intestinorum villis adhesit, vel quia largius sumptum est, vel quia qualitate malignum venenosumque existit; hæc sanè nobis tradidit Mesues, verũ vbi habetur cor, legendum potius corpus, nã Auicenna à quo Mesues non solum hæc sed & multa alia desumpsit. 4. 1. cap. 7. sic scriptum reliquit; solutio ventris superfluit, aut propter venarum imbecillitatem aut propter orificiorum ipsarum amplitudinem, aut propterea quod pharmacum earũ pungit orificia, aut propterea quod ex eo intemperiei malitia corpori adquisita fuerit: omnis enim immodica intemperies (si Galeno creditur) vires deijcit, qui-

Li. 1. de re medica Theoremate. 3. tit. de medicamento immodice vacuante

Lib. 3. de causis symptomatum cap. 3 prope fin.

bus deiectis, confestim fluere humores so lent, maximè medicamento eos euocãte; Immodicæ purgationis caulis perceptis, eius medela expedita facilisq; erit; si nãq; vitio sumentis ipsa fiat vasorũ ampla orifi cia sunt comprimenda, vires roborãdæ, & meatus per quos humores ducuntur ad-stringẽdi: tũ extrinsec⁹ per ea quę admouẽ tur, tũ intrinsecus per illa quæ sumũtur; nonnũquã verò adstringentia sumpta eua cuationẽ promouẽt, & humores magis ac magis fluere faciũt, vt ex Auicenna cõstat 4.1.c.8. dicente, quandoq; etiã iuuat phar-maci actionẽ adstringentiũ potus esusq;, veluti cydoniorũ & malorũ macianorum, vt quæ tum os vẽtriculi & quod infra est comprimãt, nauseamq; sedent, tũ deiecto rij pharmaci motum qui sursum vergit, deorsum reuocet, aluumq; roboret: Verũ hoc intelligi debet, quãdo nondũ incepit purgatio, sed medicamentum perturbat quidẽ non tamen aluum subducit, aut si subducere cœpit, ab incepto destiuit, nec completè euacuauit, sed multa reliquit su peruacanea educenda. Ijs autẽ qui vehe-mentius purgati sunt adstringentia exhi-bita euacuationem cohibent, cessareq; fa ciunt, quod Galeni testimonio probari fa cilè potest dicẽtis. Pomorũ aut pyrorum adstrin-

Lib.2 de ali-mentorũ fa-cul.cap.22.

adſtringentiũ eſum à prandio quidẽ ventrem ſubducere, ante prandiũ verò eundẽ conſtipare. Atque de curatione hypercatharſeos, quæ cauſa medicamentũ ſumentis euenit, hactenus: Quopacto verò illi quæ pharmaci vitio efficitur, ſit ſuccurrẽdũ, diſſerendũ nonnihil deinceps eſt; ſanè vniuerſa hęc ratio conſiſtit in expulſione pharmaci à corpore, & in ſubmotione diſpoſitionũ ab eo in viſceribus relictarũ. Et enim expelli medicamentũ omnimo neceſſe eſt, nam cum ipſum agens ſit naturale, ſi in corpore perſiſtat, aut vis eius non frangatur, agere nõ deſinet donec ægri vires in totũ proſternantur. Expelletur autẽ & infirmabitur illius vis lauantibus & detergẽtibus; ex lauantiũ genere eſt aqua calida, quæ, Meſuæ teſtimonio, medicamẽti malignitatẽ frãgit atq; immutat; lauat pariter ac detergit aqua hordei, detergit tantũmodo ſaccharũ & præſertim rubrũ. Diſpoſitiones quæ à medicamẽto purgãte in corpore relinquũturſunt intẽperies calida, vaſorũ hiatus ſeu apertio, in inteſtinis excoriatio vel ſaltẽ aſperitas, & vitaliũ ſpirituũ deperditio atq; iactura. Intẽperiẽ frigidis depellimus, vt ptiſanæ cremore, liquore ſtillatitio cichorij, oxalidis, & ſimiliũ, vel apozemate aliquo refrigerante. Vaſa comprimimus adſtringẽtibus vt rho

Quæ ſint diſpoſitiones quæ à purgãte medicamẽto in corpore relinquantur.

dosaccharo, malis cidonijs, syluestribus pomis, pyris, mastichechia, boloarmenio alijsque huiusmodi: quæ inquam illico offerenda non sunt, vt rudes medici facere consuescunt, qui symptomate fluxus deterriti, ad hæc exhibenda festinant, sed postquam lauantia & detergentia per duas saltem horas præcesserint, & corpus à medicamento omnino liberum extiterit, sic vt nullum ipsius vestigium supersit: Nam si anteaquam pharmacum à corpore sit deturbatum, adstringētia hæc exhibeantur: tantū abest vt vacuatio cohibeatur, quòd multo largior quam antea euadat, stipato vtiq;, atq; detento in rugis intestinorū medicamento, ob idque attrahere non desinente: Intestinorum excoriatio & asperitas illinientibus, leuigantibus, ac glutinantibus medetur, inter quæ agmidus primatum obtinet, licet ptisanę succus tragum, chondrus, panis lotus, mucillago tragacāthæ vtilitatem non contemnendam præstent. Spiritus instaurantur rebus quæ bonum spirant odorem, vt sandalis, rosis, cydonijs malis, pomis redolentibus, liquoribus stillatitijs rosarum vel florū citri aut narangij (aquam naphæ officinæ vocant) vel per se solis, vel vino odorifero mistis, assidueque admotis naribus, temporibus,

Quibus rebus spiritus instaurētur.

&

& carpis. Odor item carnium assarum vt gallinæ, perdicis mutonis, spiritus mirum in modum reparant, quemadmodum & vinum rubrum bibitum, & optimi succi alimenta quæ sanguinem optimum generant, à quo spiritibus ipsis gignendis vnà cum aere inspirato vberis suppeditatur copia. Ego insuper purgationibus nullum maius auxilium inueni quam aquæ hordei potum nimium cum suo cortice cocti, quē nō semel tātū cū saccharo exhibere soleo, sed interdū (si res ipsa exposcit) bis & ter: cum autem intestina à medicamēto satis lota, detersaque esse coniector, optimi agmidi vnciā in vncijs tribus aquę capitum rosarum vel plātaginis antea per duas aut tres horas macerati, ægroto lingēdā præbeo. His enim præsidijs scopi omnes complētur, intemperies namque amouetur, ventriculus intestinaque à medicamēto abluūtur, ac detergētur vasa reserata occludūtur, asperitates læuigātur, scissurę glutināatur & spirit⁹ ipsi restituūtur. Aquā hordei ijs qui supra modū purgantur conuenire, Halyabbas est autor lib. 2. practicæ inquiens; Si autem multa est solutio aquā sauic hordei cum gūmi & tā propinabis; ratio est, quia teste Auicenna, aqua ista bibita malitiam expellit soluentis medicamenti,

Quæ sint maxima super purgationis remedia.

Cap. 56. prope finem.

Tam & tami Arabicè est bolus armenius.

mēti, & abluit quicquid eius in intestinis impingitur detentū ve existit; & licet Mesues, Galeni autoritate dicat, aquā calidā lauare ac expurgare, pharmacūq; deiectoriū etiāsi alicui parti hæserit deturbare, frigidā verò quia id villis viscerum adhærere facit, magis impingere, ego aquā hordei frigidam porrigere soleo, præsertim si febris adsit ardēs, & sumptū medicamētū admodū calidū sit & inflāmans, cuiusmodi scāmoniū existit; quæ enim frigida est, vel eiusdē Mesuæ sentētia, medicamēti malitiā reprimit, ipsius acrimoniā frāgit & furiosum impetū tollit, sicq; vim eius frangit ac eneruat. Accedit eò per frigiditatē, grauitate adaucta (vt Mesues ipse ait) idē medicamentū citius lubricare ac descēdere, & ob has quidē causas aquā frigidā propinandā censeo, nō autē calidā, dūmodo medicamentū ex eorū genere non sit quę comprimēdo euacuāt, & ęger liberos corporis meatus obtineat: Nam si acceptū medicamentū cōprimēdo euacuet, & ęger corporis meatus obstructos & intestinorū anfractus arctatos habeat, præstat calidam exhibuisse, augetur enim per frigidam angustia, & ipsamet tū sibi, tū medicamento viā præcludit: quare in his casibus offerenda nō est. Inter ea etiam quæ immoderatā pur-

4.1 cap.5. nō longè à fine.

Lib. 1. de re medica theoremate. 3 tit. 6.

purgationē sistūt, auxilia fluxū ad loca sedi opposita, vt cutim reuellētia, medici recensent; Vnde Auicenna: si igitur (inquit) alicui purgatio supra modū excesserit, imprimis extrema deliganda sunt, supra & infra, incipiēdo ab alis & inguinibus, & descendēdo ad inferiora; accepit enim ista à Paulo li. 7. c. eodē dicente, quòd si euacuatio perseueret arctus vinculis excipientur quæ è summo deorsum distributa cōstringant, & nōnihil sanguinis & spiritus excipiāt: Verū quod Auicenna scribit inferiora extrema esse deligāda, ab inguinibus incipiendo & descendēdo ad inferiora, mihi nō placet, quia extra rationē omnē est, in immodico vētris fluore inguina & crura ligare, cū tantū absit vt id fluxū reuellat quòd eū magis alliciat & intēdat, attractis vtiq; deorsum humoribus atq; ad sedē euocatis; quare satius est alas ac brachia ligare, & inguina ac crura intacta prætermittere. Addit Auicenna exhibendū modicum theriacæ esse, deducit enim in cutem vt Paulus ait, subitoque reuellit humorum in ventriculum confluxum, obtunditque medicinæ purgantis quod ceu virosum est, & medicatum; quo experimento probat Galenus: num theriaca adulterata sit, data prius ipsa, ac postmodū exhi-

4. 1. cap. 7.

[illegible]

Lib. 7. cap. 7.

Lib. de theriaca ad Pisonē cap. 2.

exhibito medicamento aluum subducente, & siqui assumpsit non purgatur optimam iudicat antidotum fuisse, quoniam purgari prohibuit illum qui purgantem medicinam assumpserat, quę probatio (vt ipse ait) nunquam eum fefellit quin verá theriacam agnosceret. Ex quibus claré intelligitur quanto in errore versentur Medici, qui in peste purgantibus medicamentis theriacam permiscent, asseréte Galeno optimam theriacam pharmaci vim exoluere ac purgationem inhibere, quin & in superpurgationibus, si febris adest vehemens, & haustum medicamentum fuerit superfluè calidum, suspectum apud me remedium est: etiamsi Galen. lib. 12. meth. cuidam scammonij succo largiter purgato theriacam quarto die se exhibuisse scribat; nā licet alexipharmaca facultate proficiat, caloris tamen nimietate non leuiter officiet, nisi dicamus recentem in affectu isto magis conuenire, quæ cum papaueris succum prævalentem habeat, tum etiam quia exiccat, atque itidem soporem inducit, poterit immodico fluxui mederi. Verumtamen stuporem inducentia medicamenta, cuiusmodi sunt recentis theriacæ antidotus, philonis, & similes, nisi magna vrgente necessitate vsurpari non debent, vt

12 metho. c. 7. in fine.

vtpote quæ viribus suis nobis inimicentur aduersaque sint: & licet eorum portiuncula aliqua ad vsum nostrum accómodata sæpè non contemnendam vtilitatem afferat, vtpotè quæ tenues humores incrasset, fluxiones sistat, somnum conciliet, dolorem submoueat, vel saltem obtúdat. Commoditates tamen hæ sæpe sua afferre incommoda solent, quoniam pars cui admouetur, & sæpè totum corpus sensu & motu priuatur, calore natiuo ferè destituitur, interdumq́ue viuere desinit, etsi paulo liberalius bibantur, necem afferunt. Atq́ue hinc est vt dicat Mesues humores congelare, & narcoticis vti perfugium esse vltimum, tuncq́ue ad ea esse deueniendú, quando cętera medicaméta omnia nihil contulerunt, & curatio propè est deplorata. Tutiùs his vtimur quoties affectus ab humoribus biliosis nimisq́ue calidis pendet: periculosiùs, cùm à frigidis ac pituitosis; in pueris tamen, senioribus, grauidis, & alijs imbecillioribus, vel prorsus offerenda non sunt, vel certè quantitate admodum exigua offerri debent. Pariter etiam non sunt exhibenda in affectus initio nec superpurgatione incipiente, dicéte Mesue, grauissimè eos errare qui in horum affectuum principio narcoticis vtuntur:

Li.1 de remedica theoremate.3. canone.6.

tur: hæc enim (quemadmodum ipse scri bit) verè non curant, sed velut congelatam materiam intus cohibent, quæ non multo post, impetu maiori ruit quã prius, relictis in corpore per hæc congelationis & mortis quibusdam seminarij. Vera autem curatio fuerit causæ fluorem excitantis ablatio partibus interea & facultatibus nos gubernantibus in vnum reductis ac roboratis. Ad alui fluorem itidẽ sistendum non parum conferre vomitum aqua calida mouere, extremaque in ea demittere, Auicenna literis mandauit, & merito quidem, quoniam vomitus in cõtrarium reuellens auxilium est. Pariter etiam extrema in aqua calida continere, humores ad exteriora auertit, verum extrema hæc crura esse non debent, sed manus tantummodo ac brachia; Ad hæc experientia comprobatum esse scribit Auicenna summopere valere semen nasturtij trium drachmarum pondere, si prius torrefiat, mox lacte acetoso coquatur dũ concrescat deindeque potu detur; quod ambiguitatem non exiguam affert cũ dicat Dioscorides: nasturtium stomacho esse ad uersum aluumque turbare: Cui sententia adhæret Serapio dicens, ipsum malũ esse stomacho & ventrẽ lenire, Cæterũ autores hos-

4a. cap. 7.

Lib. 2. c. 148.

Cap. 349.

hosce tã oppugnãtes variéq; dissidẽtes inter se cõponere difficile nõ erit, si diximus Dioscoridẽ & Serapionẽ de nasturtio nudè ac simpliciter exhibito verba fecisse, Auicẽnã verò de eonõ simpliciter, sed de pri' torrefacto deinde lacte acetoso ad cõcretionẽ cocto: quã sententiã sequitur Mesues dicens, remediũ hoc ad propositum symptoma omniũ esse valentissimum. In hoc tamẽ ab Auicenna dissidet, quòd ille cum succo cydoniorum aut myrtorum coquendo impinguatum propinat, Auicẽna tamen lacte acetoso ad concretionem coctum bibendum præbet. In pondere etiam euariant, nã Mesues à drachmis duabus ad auros duos porrigit, Auicenna põdere drachmarum trium. Addit Mesues, semen triturandum non esse, nam vt idẽ scribit, terendo lentorem amittit. Atque pro huius capitis enarratione hęc dicta sufficiant, nam si quæ videantur deficere, ex Auicẽna & Mesue facilè suppleri queũt.

Libr. 1. de re medica theoremat. 3 canone 2.

Quibus notis sit cognoscendum qualis purgatio fuerit. Cap. XV.

MAximi momenti est, cuiusmodi quæ adhibita est, extiterit purgatio, aut quorsum euadat intelligere, nam

nam cum purgationum alia inutilis seu impertinens habeatur, quæ diuersum humorem extrahit à nocente: alia vtilis, per quam peccans quidem euacuatur humor atque idcirco conferre dicitur, oportet illam cohibere ne citra morbi leuamen vires exoluat; hanc verò suscipere ac retinere. Rursus, cum vtilium, quædam sit perfecta, quæ omnem noxium humorem educit, sic vt illius nihil euacuandũ relinquat quædam manifesta, quæ insignem illius portionem exturbat, non tamen vniuersum extirpat; alia obscura, quæ exiguam admodum peccantis humoris portionem detrahit, conuenit singulas sigillatim cognoscere; vt in perfecta nihil moliamur, sed cuncta naturæ permittamus, iuxta illud Hippocratis; Quæ iudicantur & iudicata sunt integrè, nec mouere, nec aliud quicquam nouare vel medicamentis, vel alijs irritamentis, sed sinere oportet: In reliquis verò euacuationis defectum suppleamus: nam noxij humores, qui à purgatione relinquuntur, vel præsentia mala fouent, vel recidiuos morbos promptè facere queũt. Quocirca si relicta cacochymia multa est, sic vt non possit à natura vinci, necessaria est alterius medicamenti exhibitio, vel altera die, si vires constant, & hu

mores

mores commoti sunt, ac corpus illorum agitatione conturbatum habetur, vel diebus aliquot interpositis, si humores pauci aut firmati existunt, & vires non admodú valent. Rursus, imperfectæ purgationis, seu ex morbo quidpiam relinquentis, cognitio est necessaria; ad hoc vt diligenter ægrum in omni custodia teneamus, illúq; modis omnibus obseruemus, neque omnino ijs qui perfectè purgati sunt, vel in cibis, vel potibus, vel balneis, vel motibus, vel deniq́ue in alijs quibusdam concedimus, agere ipsum permittamus: Si namq́; remanens cacochymia, exigua fuerit, forsam ob tam exactam victus rationem prorsus subsederit, vt postea numquam lacessat; Si verò maior existat hoc viuendi modo vsum cum summo discrimine non infestabit. Verum si neglexeris parumq́ue studiose animum aduertas, tamquam planè purgato multo grauior quá antea morbus euadet. Sanè cunctæ hæ quæ dictæ sunt purgationes, multis signis discernuntur, quorum primum à deiectionibus & laborantis tolerantia desumitur: Deiectiones inquit Hippocrates, nó copia aut multitudine considerandæ veniunt, sed qualitate eorum quæ euacuantur, nempè cùm talia deijciuntur, qualia deijci est necesse,

Hæc ex Galeno initio librorũ de diebus decretorijs præsenti proposito accómodantur

Aphor. 23 sectionis primæ

qualia nimirũ exuperasse & morbi causá fuisse coniectamur: nã vt Galen⁹ ait, oportet vt excretio formæ morbi semper correspõdeat, vt si morbus biliosus sit, bilé in purgationibus oportet expectare; sicuti si pituitosus, pituitã; varijs autẽ humoribus abundãtibus, variá oportet esse vacuationé. Nũ vero biliosa sint, aut pituitosa, aut melãcholica ea quæ deijciũtur, ex substãtia & colore noscere conuenit; dũmodo medicamẽti color quidpiã non imponat, nã ex rhabarbaro & hiera deiectio flauescit; nigrescit verò multũ ex casia; aliquantulum ex senna. Ex quibus clarè intelligitur, nec fæcum, nec crudorum quæ circũ mesenterium exuperant, aut eorum quæ à noxijs humoribus diuersa sunt copiosam deiectioné, cõuenienté purgationem facere, sed eorũ tantũ humorũ qui morbũ committũt, horũ namq; euacuatio vtilis est ac proficua, & morbũ submouet, aut saltẽ leniorẽ reddit: qualitas namq; in eo cõsistit quòd vacuatur id quod naturę infestũ est, quodq; morbũ fouet, eundẽq; gignere potest; Si enim tale nõ vacuetur, plurimũ euacuatio nocebit; quod exẽplo fiet manifestũ. Ponamus flauã bilẽ infestare, exhibeatq; medicus pharmacũ pituitæ aut serosi recremẽti deiectoriũ, hoc quidem

Lib. 3. de crisibus. c. 3.

dē poto medicamēto æger grauius se habebit, quia nō purgātur talia qualia purgari decebat, hoc est bilē, quæ sola tunc naturæ erat infesta; pituita sanè pariter atq; serosum recremētū eo tēpore ex vsu erāt, serosum recrementū bilis calorē attēperādo, pituita verò tūid faciēdo, tū nutrimētū corpori præbēdo; verū in tertiana exquisita atq; causo, biliosorū vacuatio vtilis est ac conueniēs, propterea quia talia educūtur, qualia educi opus est. Vtilem etiā esse purgationē, laborātis tolerātia ostēdit: Nā etsi infestātiū humorū sit purgatio, nisi cōpetēti quātitate efficiatur, sic vt illā ęgri vires facilè ferre possint, vtilis esse nequit. Propterea talis etsi morbū leuet, vires tamē dissipat ac summopere labefactat: quocirca Hip. præcipit suppuratis, aut aquā intercutē patiētibus, quādo vrūtur aut secātur, sensim pus & aquā eximere, dicēs omnes mori, si hęc vniuersim effluxerint. Cęterū, quod ipse ait, deiectionū quātitatem minime esse æstimādā, cōsideratione mihi agere videē, quoniā in febre ardēte exquisita (vt idem de alijs morbis intelligamus) non sufficit bilem educi, sed necesse est illam in sufficienti copia euacuari, ea inquam quæ satis sit ad febrem extirpandam, cum modica eius excretio febrem

Lib. 6. aphor. sententia 27.

non soluat, quo fit vt lib. 3. epid. p. 1. ægrotũ tertiũ qui in Dealcis horto decũbebat, quadragesimo die absolutè iudicatum esse, Hippo. scribat, ob id quòd die illo, pituitosa recrementa alua & copiosa deiecit, ac largiter per corpus totum sudauit: Vnde nos medici in purgationibus, non solũ medicaméta, infestantes humores educẽtia exhibemus, verum etiam ipsorum quãtitatis soliciti sumus, vt illos competenter educere queant: atque hinc est quòd Galenus lib. 3. de causis symptomatũ cap. 3. Eorum quæ excernuntur omnium, non qualitatem solum, sed & quantitatem & excretionis modum, animaduertere nos debere censeat, vt symptomatum causas omnes arte exprimere valeamus. Et lib. 1. aphor. cóm. 23. siue à natura, siue à nobis euacuatio fiat, omnino quantum sit vacuandum metiri oportere, verissimè asseruit. Rursus quantitatis modum nouisse eò expedit, vt virium ægrotantis robur, quousque inquam deiectionis aut excretionis cuiusque impetum ferre possit, deprehendere queamus; ad multam namq; excretionem ferè semper virium corporis sequitur exolutio vti ad modicam, earundem aggrauatio atque in humoribus agitatio. Quare cum Hippoc. à multitudine

Tex. 19.

con-

considerationem non esse sumendam dixit, non ita accipiendum censeo, vt nullã prorsus quantitatis euacuationis rationẽ habendam voluerit (cum ipse alias pariter atque Galenus in pleuritide, sanguinem ad coloris mutationem vsque, detrahere præcipiat) sed id potius è qualitatis & excretionis modo, certius omnino exactiusque iudicium, quam ab excrementorum copia de euacuationis vtilitate sumi: nam non simpliciter ob id quòd multa vacuata sint excrementa, vtilem fuisse vacuationem colligimus, sed tunc maximè cùm quæ educta sunt, morbum tollunt, aut multo minorem reddunt, & æger seipsum leuiorẽ sentit. Quo sanè indicio abũdè multã & congruentem fuisse vacuationem conijcimus, si inquam bene æger tolerer & alleuatio inde sequatur; quod ipsum ex humorum eiecta copia absolutè discernere minime possumus, cum hanc sæpe infestantium haudquaquam esse cõtingat, sed aliorum potius ac diuersorum ab ijs quæ fatigant & morbum committunt. Accedit eò quod quę in vno magna et immodica excretio iure putatur, in alio mediocris vix cẽsebitur, vt sunt diuersi hominũ habit⁹ ac naturę, & viuẽdi modi, & variæ lacessentiũ humorũ portiones. Prę-

Hippo. lib. 2. de ratione victus in morbis acutis, tex. 10. & Galenus in eiusdẽ tex. cõm.

terea ob id non absolutè humorum quantitatẽ in euacuationibus expendendã esse Hip. pronũciauit, quia illã in ijs quæ deinceps sequũtur cõprehendit, cũ ait: Si talia excernãtur, qualia excerni oportet, cõfert & facilè ferũt; nec enim cõtingit in euacuationibus cõferentiã adesse, & tolerantiã, quin euacuatio ipsa modũ in quãtitate seruet; nã si cõferẽs est, & morbũ in totũ sustulit, sequitur, cũctã noxiorũ humorũ quãtitatẽ esse euacuatam, quia modica morbũ nõ auferret: Si obscurè cõfert, exigua portio fuit euacuata; si manifestè maior illorũ copia eiecta extitit, sic, vt quãtitate cõferẽtiæ, quãtitas metiatur euacuationis. Ad eundẽ modũ si ab ægrotãte fertur euacuatio, sequitur ipsam modũ nõ excessisse; nã si excessisset, nõ ferretur, nec ipsam virtus tolerare posset, idoneis etiam vnà euacuatis: dicẽte Galeno: si aliquod ex ijs quę sunt secũdũ naturã excernatur dissolui ac debilitari ęgri vires & quãdam sentiri afflictionẽ esse necessariũ. Itaq; quãtitatẽ per se ad vtilẽ purgationẽ cognoscẽdã nouisse nihil præstat, nisi cõferẽtia euacuationis & virtutis tolerãtia reguletur atq; metiatur. Nam etsi multa eiecta sint excremẽta, si illorũ vacuatio nihil confert, aut à virtute nõ fertur, vtilis esse nequit: pari modo excretio modica, si leuamen

Lib. 1. aphor. com. 23.

ægrotāti affert & morbū submouet, nō desinit esse vtilis, & si talis omnino fida non sit, nec à metu de morbi recidiua aliena, quia nō omnē morbi causam extirpat: Nā vt ait Hip. minime tuta est, quæ citra vacuationem obtigerit mali alleuatio, nec si quis fiat præter rationē leuis, confidendū ei est. Porrò mutatio ad aliū humorē specie distinctum ab eo vel ab ijs quos euacuare volumus, testimonio Auicennæ 4. 1. c. 4. sufficientē ostēdit purgationē; licet enim in ista deiectionū mutatione euacuetur nō euacuandū, quia tamen est in parua quantitate, iuuamentū completæ euacuationis humoris peccātis præualet. Somnus præterea post deiectionē vel vomitū placidus, & multo quam antea arctior obrepens, eodem docēte Auicenna, ostēdit corpus esse exactè purgatū ex tali euacuatione & cōtulisse. Oboritur somnus hic vt 5. Therapeutices meth. c. 15. Scriptū reliquit Fernelius, nō ex viriū imbecillitate, sed ex eo quod ex morbo perinde atq; ex labore fatigatū corpus mox vt à peccātiū humorū sarcina de oneratur, sedato humorū & spirituū impetu, leni somno conquiescit; & merito quidem: nam quē admodum inquit Galenus, si redundans vacuetur humor, tū leuius, tum facilius

Lib. 3. prorrheticorum a pho. vltimo et sectione. 2. aphor. senté. tia. 17.

4. 1. cap. 4.

Lib. 1. aphori com. 23.

se habet ægrotans quo fit vt leniter tranquilleque dormiat, abſēte cauſa quæ ſomnū interturbare ſolebat. Nec ſomnus tā tum perfectę purgationis eſt ſignum, verum etiam & cauſa, nam ſiquid ſuperuacui à purgatione relinquitur, per ſomnū prorſus cōficitur atque diſſoluitur. Vnde Meſues ſic ait. Somnus vero poſt purgationem ventriculū & corpus reliquum emēdat, & priſtino vigori maximè reſtituit, omnes enim vētriculi moleſtias ex vacuationis agitatione proficiſcentes ſedat, atq; ob id à purgatione ineundus, & prę ſertim ſi morbus qui infeſtat bilioſus exiſtat, aut melācholicus: In pituitoſis enim & ſoporiferis, vt caro, apoplexia, lethargo, catalepſi, & ſimilibus, non ſemper poſt purgationem eſt admittendus, quin potius omni conatu abigendus, vt potę, prouocāte ad eum, non quidem corporis tranquillitate & ſpirituum ac humorum ſedatione, ſed morboſa ipſa & præter naturam affectione. Sitis rurſus, quemadmodum ſcribit Auicenna, vbi à deiectione aut vomitu inualuerit, perfectam atque exquiſitam optimamque ſignificat purgationem, verum quia ambigua ſatis res hæc eſt, niſi diſtinguatur, idcirco prius diſcernenda ac diſtinguenda, vt omni prorſus excuſſa ca-

Lib. 1. theore. 4. cap. 5. canon. 1.

4. 1. cap. 4.

ſa caligine, veritas ipſa clarius eluceſcat. Diſcernetur autem apprimè ac diſtinguetur, ſi dixerimus ſitim nonnumquam purgationem antecedere, aliquando ſubſequi, interdum verò à medicamento excitari purgationis tempore, & ſæpè anteaquam deiectorium medicamentum vacuare incipiat infeſtare. Quæ purgationẽ præcedit, cauſam habet humorem calidũ acrem, cuiuſmodi eſt bilis flaua & ſalſa pituita, aut ventriculi intemperiem calidã & ſiccam. Hæc cum non conſiſtat in humore, purgatione non ſedatur, ſed in intemperierum attemperatione, per ea quæ refrigerare & humectare valent: illa, exquiſita purgatione miteſcit, detracta nimirũ materia quæ ipſam concitauerat: nam docente Galeno vbi plurima in ventriculo flaua bilis continetur, perpetua ſiti vrgemur, qua euomita, protinus à ſiti magis vindicamur, quam ſi plurimam hauſiſſemus potionem. Idem de pituita ſalſa eſt dicendum, niſi forte humores hi intemperiem in parte reliquerint. Miteſcit ſimiliter ſitis illa & interdum in totum aboletur, quæ à purgante medicamento prouenit, poſtquam pharmacũ in inteſtina dilapſum eſt, & ventriculum vellicare deſinit. Si autem ventriculus humore craſſo,

Lib. 2. de facul. natu. cap. 9.

lento,& pituitoſo abũdat, ſitis nõ gignit, niſi cũ humor iſte à vi purgatrice medica mẽti vacuat, quo tẽpore ſi ſitis ſuccedat, bonum ſignũ eſt, completam indicãs purgationem, veluti Hip. aphor. 16. ſectionis quartæ his ſignificare verbis voluit; Qui potione medica dũ purgantur nõ ſitiunt, ipſorum purgandi finis nõ fit, donec ſitiuerint. Quibus ſanè indicat, iuſtæ purgationis ſignũ ſitim eſſe; & pharmaci purgãtis actionem completam nondũ eſſe, minimeque intercipiendã exoluendamq́; fore, quo ad ſitis excitetur. Meſues itidem hoc iſto aphor. probat, ſitim purgationi ſuccedentem, laudabile ſignum eſſe, quoniam oſtendit humorem omnem purgãdum prorſus eſſe eductum; atq́ue humorem iſtum vniuerſim & ſemel vacuari nõ debere, id quod Rufum voluiſſe ſcribit, ſed paulatim & per interualla, quandoquidem immodicas & repentinas vacuationes tanquam naturæ infeſtas, Hipp. & Galen. perpetuo damnarunt; Quare ſalubrius eſſe ait, vacuationem iterare quam ſemel & multam facere; exempli gratia: Si quis ob ſuam plenitudinem non ſitiat purgatus, iterumq́ue ſumpto medicamẽto non ſitiat, iterum atq́ue iterum purgandus eſt, donec ſitiat. Cæterum quòd

Lib. 1. de re medica theorem 4. ca. 6.

Aphor. 3. ſection. 1.

ſemel atque confertim vniuerſam vacuationem moliri ſit periculoſum, per opuſque medicamenti purgantis ad vltimam excretionem veniendum non eſſe, quod hæc periculoſa ſit, & naturá terreat Hipp. atque Galen. literis prodiderunt, verentes ne ſubita & vehementi illa vacuatione, vires collabantur. Nos etiam ſatius arbitramur, purgationem quemadmodũ ſanguinis miſsionem interdum partiendam eſſe, nimirum, vbi ſemel atque vniuerſim vacuare tutum non eſſe iudicamus, quoniam melius eſt primum leuare ægrum, deinde perpurgare, quam ſimul omni vi effuſa ipſum præcipitare: & ſi quæ humoris reliquiæ ſuperſint, niſi multæ ſint, excernendas deinceps naturæ cõmittimus. Verum quod Meſues ait Hippo. de ſiti quæ ex pluribus purgationibus naſcitur verba feciſſe, tam alienum eſt ab Hippo. mente, vt putem ipſum id ne ſomniaſſe quidem, cum ſatis cõſtet, illum de vacuatione quæ ſemel & vnico purgante medicamento euenit, in præfato apho. fuiſſe loquutum, quam antè exoluendam nõ eſſe præcepit, quã pharmacũ aſſumptũ induxerit ſitim. Nec quãdo actioni purgãtis medicamẽti ſuccedit ſitis ad extremã euacuationem eſt peruentum: ridiculũ ſanè foret

Auicenna 4. 1. cap. 3. prope finem.

dicere

dicere quotiescumque sitimus nos immodice inaniri, quia sitis per sanitatem, solum significat humidum roridum quo corpus humescit aliqua ex parte absumi, aut ventriculum plus æquo factum fuisse calidiorem, vel ficciorem, vel vtramque pati qualitatem. Est enim sitis Aristoteli appetitus frigidi & humidi, quæ (Galeno) fit vel propter humoris inopiam, vel propter caloris copiam; sic quæ à purgatione euenit, nisi ingẽs admodum fuerit, ostendit ventriculum à frigidis & humidis, succis, qui sitim impediebant vacuari, corpusque ab ijs qui præter naturam sunt humoribus vindicari, & ex consequutione quasi quadam rorida illa humiditate qua partes alebantur aliquantulum priuari. Quando enim immodica fit inanitio, vel alij à peccantibus educuntur humores, æger male habet, certò stare loco non potest, grauiter angitur, viribus exoluitur, animo linquitur, conuellitur, ingenti ac inexhausta siti cruciatur, ventriculi & intestinorum rosionem persentiscit ab acribus & mordacibus succis per ipsa delatis, & à vi medicamenti ibidem persistente ac educere non desinente, aliaque plurima mala adsunt, vt resolutus corporis habitus, dissoluta natura, retentricis imbecil

Lib. 2. de anima c. 3. & lib. 27 problematum problemate 2. & 3. Galc. 1. simp. cap. 30.

litas

litas vel expultricis nimius motus, aut irri tatio. Sed nec ſitis ſola perſe à purgatione eueniens, Ioannitio à Meſue citato, lauda bile ſignum eſt, niſi lenitas, iucunditas, & quies, aliaq́ue mox dicenda ſimul cum ea adſint. Eſt etiam ſitis purgationi ſuccedẽtis conſideratio neceſſaria ad victus rationem inſtituendam: nam tum cibum dare conuenit, cum ſitire æger incipit, dũ enim ſitis non vrget, vt inquit Halyabbas, aliquo ægrotantem reficere haud expedit, ſi quidem media aut nondum finita purgatione alimentum offerre nõ oportet: Eſt autem media aut nondum completa purgatio, dum ſitis non adeſt. Verumtamen (iudicio meo) ſitis cùm aduenit, idoneũ nutriẽdi ægrum tempus adeſſe ſignificat, non tamen continuo ad cibũ ei qui pharmacum ſumpſit exhibendum, expectari ipſa debet, quia non ſemper die illa integrè ipſe purgatur, ſed alio eget medicamẽto purgante, nempe quando multæ ſuper ſunt humorũ reliquiæ euacuãdæ. Quod ſi paucæ remanſerint ne tum quidem ea die gigni ſitim eſt neceſſe. Quoniam tempore ſequenti paulatim illæ abſumuntur abſq; nouæ ſitis generatione. Adde, multos poſtquã deijcere inceperunt, propter facultatis imbecillitatem à purgatione deſiſtere,

Lib 1. theore. 4. can. 6.

Lib. 2. practicæ. cap. 56.

ſiſtere, quorum natura alimento robora-
ta, quod deeſt poſtea perficit purgationẽ
que complet, ac deinceps ſitiunt: fames
vero obid perfectæ purgationis ſignum
poni non debet, quia ægrotantes ferè om
nes & præſertim ij qui medicamentũ hau
ſerunt cibos auerſantur, & multo magis
id patiuntur quanto magis procedit eua-
cuatio: quocirca ſi vim medicamenti nõ
coerceremus, aut cibos nõ offerremus do
nec illi edendi appetentiam haberent, pu
tantes hanc iuſtæ purgationis eſſe limitẽ,
plerumque ipſi prius morerentur quam
cibos appeterent: verum de cibo purgatis
offerendo capit. 13. præcedenti abunde
dictum eſt, nunc verò inſtitutum proſe-
quamur. Interrogabit aliquis, cùm maiori
ex parte fames prius excitetur quam ſitis,
cur purgati prius ſitiant quam eſuriant,
quo fit vt in eis ſitis completæ purgatio-
nis dicatur ſignum, nõ autem fames. Cui
reſpondẽdum, per ſanitatem & ab intrin-
ſecis cauſis prius ſentiri famem quam ſi-
tim, in corpore tamen ægrotante & ab ex
ternis occaſionibus antea ſitim quam fa-
mem excitari. Porrò ſiti iuſtæ & legitimæ
vacuationi ſuccedenti, potus remedium
non eſt, ſed quemadmodum ſcribit Me-
ſues tolerantia & ſomnus ac quies, facere-

que

que vt ventriculus probe concoquat, his enim auxilijs illa sedatur & conquiescit: Per somnum enim (docente Galeno) con coquitur vtiq; ac subsidet quæcumq; sit sitis causa, & alimentum probe concoctũ dum distribuitur, partes humectat atq; reficit, potu vero & præsertim multo virtus deijcitur, ventriculus laxatur, & fluctuationes experitur. Quare nec proba fit con coctio, nec congrua euenit distributio, vnde per accidens sitis intensioris largior potus causa est, ad hæc intestinorũ lęuitates excitat, & obstructiones prauas molitur, ob id quia inanitæ partes vehemẽter atque confertim crudum succum ad se rapiunt, hic autem tum multitudine, tum crassitie meatus obstruit, frigore cõtrahit & densat, ac iecur vehemẽtius refrigerat, ad quos affectus hydrops sequi cõsueuit: & sic ad sitis huius sedationem, remedijs alijs est opus, non potu, vt pote, qui naturã obruat, sed ijs quæ lambẽdo sumũtur, quorum pleraque à Medicis annotantur, vtendum est. A perfecta item purgatione appetentia restituitur, dolor si quis vrgebat, mitescit; similiter & febris, quemadmodum alia quæuis morbi essentia extirpatur, laborantis vires resurgunt, idque pro eorũ quæ vacuata sunt ratione, & vt

Lib. 5. aphor. com. 27.

breui

breui rem expediam, si ægrotanti purgationem passo (quod de crisi protulit Galenus) febris soluatur, atque ab alijs accidentibus liberetur, sitque bene coloratus pro ratione euacuationis & ad surgendum robustus, & cum melioribus pulsibus, hæc optima purgatio est; si verò ex his aliquid desit, tantum ab optima deficit, quátum est eius quod deficit vis.

Lib. 3. de crisibus capi. 3. in fine.

Quomodo purgati & ij qui ex morbis conualescunt sunt reficiendi. Cap. XVI.

QVatuor sunt humanorum corporú differentiæ, quibus ars medica auxiliatur, vna eorum qui optimè degunt & inculpatá sanitate fruuntur: altera, huic aduersa, illorum nēpe qui actu iam ægrotant, & ita manifestè offensas actiones edunt vt ab obeundis vitæ munijs necessarijs impediátur & decúbere eis sit opus, Rursus, 3. eorum qui latentem in corpore causam habent, quæ sensibilem quidem læsionem nondum intulit, modica tamē accepta occasione, promptè in morbos ipsa labi facit, atque ob id huiusmodi corpora neutra decidentiæ medicis appellare mos est. Postrema tandem differentia, illorum

rum est, qui à morbis conualescunt, quæ medici neutra conualescentiæ rectè nominant, quòd nec inter inculpatè sana, nec inter verè ægra, quorum sunt actiones offensæ, numerari debeant, sed nec inter ea quæ in morbos cadere sunt parata, propterea quòd nihil quod præter naturam sit, vt hæc, abditum in corpore habeant, sed solam à morbo contractam gracilitatem cum virtutis imbecillitate; hi namque verè conualescentes dicuntur, in quibus nec affectus vllus, nec causa relicta est præter naturã, sed superato omnino morbo pristinam valetudinem recuperare incipiũt; Quãdiu enim aliquid ab illo relictum habetur (& si exiguum id sit) aut integrè leuatus affectus non est, aut aliquid morbificæ causæ subest, aut ex symptomatis à morbo relictis ipsius vestigia adhuc apparent, verè conualescentes, nec sunt nec dici debent, tales namque in morbos facile relabuntur, iuxta illud Hippo. Quę à morbis relinquuntur post iudicationem recidiuam facere consueuerunt. Quid istorũ vnicuique debeatur, enarrandum deinceps est. Eos qui inculpata sanitate fruuntur, eodem in statu seruare decet; curare verò illos qui iam ægrotant. Rursus, prospicere ijs quos neutros decidentiæ dixi-

Lib. 2. aphor. 12.

Oo mus

mus nuncupari, ne in morbum eum incurrant in quem cadere sunt parati, ob eã quæ intus latet præter naturam causam; illos autem qui à morbis resurgunt, recreare ac reficere conuenit. Quatuor igitur sunt medicinæ partes, quæ cuncta hæc præstare queunt ὑγιεινὴ, θεραπευτικὴ, προφυλακτικὴ, ἀναληπτικὴ hoc est conseruatrix, curatrix, præseruatrix seu præcautrix, refectrix seu instauratrix, vel reparatrix: harũ vnicuique sua est tributa dos: conseruatrix, optimo statu præditos, in eo rite conseruat atque tuetur; curatrix, morbis medetur, idest, pro ipsorum natura, congrua ratione, & apposita methodo, apta remedia adhibere docet, hoc siquidem curare est. Ista suam obtinet laudem, cum docente Galeno ab ea vniuersa medicina nuncupationẽ sumpserit, qua seruatricẽ potiorẽ habendã esse nonnulli arbitrãtur, verũ mihi secus dicendum videtur curatricem nẽpe ei anteponi debere, quandoquidẽ præstantius multo est à sæuitia morborũ & à morte durissima vindicari, quam optima frui sanitate: vindicamur enim sæpè ab hisce malis curatricis beneficio, cũ morborũ acutorũ vi, vt Hipp. memoriæ mandauit, hominũ plurimi iugulentur, quibus pars medicinæ curatrix obsistit obuiamq; it, cum

Lib. de partibus artis medicæ.

Lib. 1. de victu acutorũ, com. 8.

cum sit nimirum Galeno nihil aliud ipsa curatio quam præsentis in corpore vitiosi affectus, in naturalẽ habitũ mutatio. Præcautrix ijs qui in morbũ casuri sunt ob eã quæ iam in corpore abdita est morborũ causam prospicit. Hos anteaquam in morbum incurrant summa prouidentia precauet atque præseruat, si quam Galen. in lib. qui introductorius seu medicus inscribitur θεραπευτικὴν, præfert. Siquidem, vt ipse ait, præstat morbũ non admittere, quã admissum curare. Superest vt de refectrice verba faciamus, quæ eos qui à morbis conualescunt reparat ac instaurat, & licet hos & salubres simpliciter non medicamẽtis, sed sola victus ratione regamus, cuidens tamen est victus rationem quæ conualescentes reficit & ἀναληπτικὴν, Græcè nuncupatur, ad conseruatricem medicinæ partem haudquaquam pertinere, cum conualescentes non in eo statu seruare quemadmodum salubres simpliciter, sed ad meliorem, hoc est, sanorum, reducere annitamur: Etenim cum sint conualescentes corpore male habito, graciles, imbecilli, attenuati, exangues ob dissolutum natiuum calorem, ob prostratas membrorum vires & exhaustum spiritum vitalem, (qui multus per

Lib. 9. meth. cap. 15.

morbi vehementiam dissolui contigit) ob præsidia euacuantia, vigilias immodicas & inedias, quas sæpè perpeti ægros ob vim morbi contingit, refectrice, seu renutritoria artis parte eos in meliorem habitum transferre conamur, optimis cibis euchymis, concoctu facillimis congruo tempore, mensura & ordine exhibitis, quiete ac motionibus congruis, animi tranquillitate, somno tempestiuo, aere optimo, locis ve ad salubriter degendum idoneis, vt quod per morbi vim exhaustum dissolutumque est, his præsidijs resarciatur, de quibus hoc vltimo cap. differendum, nã id ad libri huius integritatem deficiebat. Illud initio animaduertentes, ijs qui à morbis se recolligunt, delinquere tutum non esse, quoniam docente Galeno, prómptè ipsi ex quouis delicto læduntur, delinquere tamen in escis & potibus plerunque solent; nam cum ij qui in morbos & præsertim graues & acutos inciderunt, à vi morbi humido natiuo & benefico priuentur, & gracilescere ac extenuari ipsorum corpora contingat, omnino necesse est illa esurire & plus appetere quam ventriculi facultas concoquere queat. Quapropter prudenter Auicenna ei qui euacuatus est consulit, vt non festinet ad cibos

Lib. 2. de differẽtijs feb. cap. vltimo

4. 1. cap. 3.

bos multos capiendos ne natura eos inco ctos trahat; Itaque (quod etiam Mesues animaduertit) principio pauci dandi sunt quanti scilicet ventriculum non sunt grauaturi, gradatimque augendi donec ad consuetam ventriculo quantitatem peruentū sit. Quod melius assequetur ado lescēs quam puer; propterea, quia vt Celsus ait, famem facilius fert ille quam hic, & facilius adhuc denso cælo quam in tenui, & facilius in hyeme quam æstate, facilius vno cibo quam prandio quoque assuetus, facilius inexercitatus quam exercitatus homo sustinet: In ijs autem magis necessaria cibi festinatio est qui parū inediam tolerant. Non minus etiam in potu se moderari debent propter symptomata quæ ille afferre paratus est, quæque capite præcedenti retulimus; difficilius autem à potu sese temperant quam à cibo; quia docente Aristo. à siti vehementius nos quā à fame vexamur, est enim sitis symptoma magis anxium quam fames, quo fit vt ipsam difficilius toleremus. Potus autem parcus sit, & licet videantur sitire, potu largo, vt Mesues scribit, corū sitim placare non tentes, quoniam is fluctuatio nes excitat, ventriculum relaxat imbecillumque efficit, præsertim si retentrix ip-

Lib. 1. de re medica. theo. 4. cā. 11.

Lib. 1. in præfatione prope finem.

Hippo. apho. 13 Sectionis. 1.

Libr. 18. problematum p. ob eam. ate, 5. et 6.

Lib. 1. de re medica theo. remate. 4. can. 1.

ſius facultas ob redundantem humiditatem languida fuerit; quocirca Galen. conualeſcentibus conuenire dixit, vt illico poſt cœnam non bibant, videlicet anteaquam cibus fuerit concoctus; Siquidem innatant cibi ſi bibant ita vt eos vẽtriculi corpus propter interpoſitum humorem non contingat, vnde euenit vt fluctuent ac vitientur vel non probe concoquátur; & hæc, vt arbitror, eſt cauſa cur ſi qua intemperantia ſubeſt (quemadmodum placuit Celſo) durior ſit in potione quam in eſca licet aliqui legant tutior, ſed minus rectè, nã ſi cibus pluſculũ excedat, potu mediocritatem ſeruante, et ſi tarde, at concoquetur tandem; verũtamen è conuerſo, cibus moderatus, in vẽtriculo ob humoris copiam fluctuans, coctionem non aſſequetur, ſed vitiabitur quidem ac corrumpetur. Quo circa parcus conualeſcentiũ potus eſſe debet, quia ita ingeſtus cibus à ventriculo melius amplexabitur, facilius coquetur diſtribuetur ac nutriet, vnde ventriculus firmior euadet, nam ſitis tolerantia, vt Meſues inquit, ventriculũ roborat, ita tamẽ potus moderandus eſt vt ventriculi naturis reſpondeat, nam in calida et ſicca temperie, liberalior aliquãtulum eſſe debet, partior vero in frigida & humida.

Lib. 7. meth. cap. 6.

Lib. 1. cap. 2.

humida. Ex ijs tamen quæ conualescenti bus noxā inferunt, cruditas præsertim vitari debet, vt pote ex qua in morbū promptè relabātur: cū sit nimirū cruditas (Auicenna teste) malorum ferè omnium seminarium & origo, & relapsus conualescentium præcipua causa, quia ab ea obstructiones, mali habitus, podagræ, articulorū morbi, diuturnæque febres eueniunt. Cruditatem porrò vitabunt si in alimentis ingerendis temperantes sint & parci, vt minus illorum sumant quàm vt grauare nimietate sua ventriculum queant, & concoctrici facultati onere suo negotium facessant. Sit autem alimentum concoctu facile, nutriens, minime glutinosum, nec excrementosum, gratissimi & suauissimi gustus, mirifice imbecillas vires reficiens, citissimè alens, ventriculum roborans, facileque distribuatur; huiusmodi est vbi febris non adest, lac caprinum tepens ab vberibus extractum, & cum modico sacchаro bibitum, modo non sequatur, alius cibus donec plenè concoctum sit, ingeratur; oua item recentia sorbilia vel tremula, aut ex eis ferculum constans ex vitellis tribus quatuor ve, vino generoso aqua rosacea parum diluto, & saccharo omnibus

13.3 tract.5.c.2.

Quale conualescentiū alimentum esse debet.

Quæ alimenta conualescentes reficiant ac reparent.

vna confusis & lento igni admotis donec efferuescere incipiăt; placĕtulæ præterea ex amygdalis, pectore capi vel gallinæ bene cocto, saccharo & aqua rosacea concinnatæ. Adhæc tenuissimæ veluti scharæ, membranullę ve, ex albissima farina, ouorum vitellis & saccharo compositæ (plicationes nostri vocant) quæ inter duo ferrea instrumenta craticulatim intersecta supra prunas coquuntur, statimque à coctura tereti ligno circumuoluuntur vt cómodius vino immersæ edantur. Succus porrò carnis in hunc modú paratus; ponatur, in veru femur, seu arietis castrati coxa assetur, sed non ad integram cocturá aut omnimodam desiccationem; dum assatur, modico sale inspergatur, deinceps in frusta redigatur quæ in torculari exprimantur, succusque expressus, dempta pinguedine, calens cum modico saccharo margaritarum, corallorum, & cinnamomi puluere sumatur, ita enim vires mirum in modum instaurat. Pulpa capi vel gallinæ in tenuissima frusta redigitur, additisque folijs apij satiui, semine sicco coriandri, & pauco croco cum oui albumine in globulcs aggregantur, qui lento igne cocti atque cum ouorú vitello & succo agrestæ vel aceto conditi, non indecen

ter

ter nutriunt ac cum voluptate mandun-tur. Eadē ſanè fruſta in artocrea ſine oper culo coquũtur ac præparãtur, modico ad dito medullę cruris vituli aut vaccæ. Exẽ teratũ gallinaceũ, redolentibus pomis (ca muſia nuncupant) oppletum, vaſculo ex triticea maſſa occludatur, vt nullus trã ſpirationi ſit locus, cauitaſq́ue vaſculi adeo ſit ampla, vt ius quod exudabit cape re valeat, parietum ac teſtudinis tanta craſ ſities vt igneum calorem non minus quã teſtaceum vas perferre queat; hoc gallina ceum ſic operculatum in furno modicè calido, tandiu teneatur quoad cooperto-rium eius probè excoctum ſit, quod vbi extractum fuerit, apertumq́ue, liquorem inuenies flagrantem, qui hauſtus (Manar-do) vires mirum in modum & citiſsimè reparat; quod itidem præſtant bis cocta ex ſelectiſsima farina, aut amygdo & ouorũ vitellis, ſaccharo & aqua roſacea confecta, vinoq́ue immerſa ſeu macerata: atq́ue ea-dem redolentia poma aut pyra ſaccharo bene condita; Sed id maximè vinum effi-cit, quia (teſte Galeno) vt aſsimiletur, mu tationem deſiderat minimam, quo fit vt tum nutriat, tum roboret celerrime. Sit au tem vinum colore rubrũ, liquore tenue, aut mediocre cum leui quadam acerbita-

Lib. 1. de tem pera. cap. 2. 2. ſect. aphor. com. 18.

Lib. 1. sermone. 4. ad finem

te, tale enim Aetius sanis & ex morbo conualescentibus commodissimum esse statuit. Rursus cum à morbo conualescentium vires inanitę sint exhausta illorum humida substantia, ijs egebunt alimentis quæ plenè nutrientia existunt & nõ ęgrè concoquũtur. Quocirca conuenient phasianorum, gallinarum, pullorum, caporũ qui in locis liberis nutriuntur & sub diuo dormiunt, passerũ in montibus degentiũ, iuuenũ columborũ qui in turribus viuũt carnes: ex quadrupedibus hœdinæ, vitulinæ, veruecis optimę iudicãtur. Quæ vero

Lib. 7. meth. cap. 6. & lib. 8. cap. 2.

ex auitio genere lacus, stagna, paludesque sequũtur (Galeni sentẽtia) fugi vitariq; debent; mali namq; succi sunt ac excrementosa & ad coquendũ difficilia. Fugiẽda nõ minus sunt, tũ recẽs edita tũ vetula & quæ carne sunt dura; Perdices vero ac turtures

Lib. de attenuante victu cap. 8.

(si Galeno creditur) nec durissimas habẽt carnes, nec cõcoctu difficiles, nec prauo succo vitiosas, sed & ipsarũ durities si mortuæ vno die asseruẽtur, facile vincitur, fiũt que friabiles omninoq; inculpatæ, alimẽtũ enim corpori dãt laudabile, sanguinem que minimũ vitiosum generãt, & crassi ac tenuis mediũ. Proinde quibus salubris cibus curæ est, eos vt arbitror, vti his conueniet: Hæc Galen. huiusmodi sanè cun-

cta

cta optimè assa, aut elixa sunt madéda; cõdita namque omnia, duabus de causis inutilia à Celso reputãtur, quoniam & plus illorum propter dulcedinem assumitur, & quod modo par est, tamen ægrius concoquitur. Sorbitiones vero, & iurulenta in ijs qui ex morbis conualescunt, veluti plerique Medicorum, vtique nõ admodum probo, sed mihi contra omnino quã fieri res postulat moliri videntur, nempè non corroborare, nec probè alere, dicente Celso, omnia huiusmodi stomacho esse aliena, cui Mesues subscribit lib. 1. de re medica, dicens: Imitandos nõ esse, qui post purgans medicamentum festinanter iura pinguia, & pulmenta mollia propinant, cum hæc ventriculum laxent, & emolliant, & repleant, & fastidium nauseamq; inuehãt, ob id quia in ore ventriculi supernatant, nec ad fundum ipsius (locũ videlicet coctioni dicatum) deferuntur: quapropter si non vomantur, certè cruda permanẽt, vel ægrè coquũtur. Et deinceps ait, cõuenire tunc potius cibũ, qui ventriculi partes laxas in vnũ cogat, ipsumq; corroboret, qualis subacidus & subausterus aromatibus parũ adstringẽtibus cõditus existit, vt miua, & segles conditũ cytoniorũ, & similia. Vnde non temerè Cardanus medicos repre-

Lib. 1. cap. 2. ad finem.

Li. 2. cap. 28. theore. 4. c. 5. can. 1. Theo. 4. c. 1.

Lib. de abusibus medicorum cap. 69.

reprehendit, quòd iuribus in confortando ventriculo vtantur; dicens corrugationem & incrispationem esse quæ ventriculo conferunt, eidemque robur præstant; nam, docente Galeno, ventriculus cum adstringitur, corroboratur, cum tamen iura distendát ac relaxent illum, maximeque si plurima quantitate ingerantur; atque hinc est, vt larga humiditas, vnctuosa præsertim & pinguis prædicta symptomata stomacho imbecillo (quo innumero magna pars conualescentium ac purgatorum est) conciliet, hisque solum iuscula huiusmodi sorbere sit ex vsu Mesues scribat, quibus necesse est medicamentum violentius à partibus nutritorijs deturbare; lauat enim medicamenti malignioris reliquias, & eiusdem perniciosam vim diluit deorsumque cito lubricare facit. At obijcient Hippo. asserentem potu quam cibo refici facilius esse; & lib. de alimento dicebat. Ijs qui celeri adiectione opus habent, humidum nutrimentum ad reparandas vires esse aptissimum. Quibus respondendum hoc intelligi debere non de sanis, nec de conualescentibus qui iam robur obtinent (nam in his partes solidæ solidiori potius quá liquidiori cibo instaurantur, sed de ijs potius ægris qui à febribus,

Lib. 7. meth. cap. 11.

Aphor. 11. lib. 2.

bus releuantur, quique partibus solidis morbi vehementia & diuturnitate admodum debilitatis ac natiuo calore nimis lãguidi redditi, cibo concoquendo non sunt idonei, in quibus liquida alimenta magis conueniunt ob id quòd distributu & assimilatu faciliora & sumptu suauiora percipiũtur, quod ex eo fit manifestum, quia longe maior percipitur voluptas bibendo quam edendo. Porrò ea facilius co qui & celerius distribui constat, quia quę solida sunt, vsui esse nõ possunt, nisi prius liquentur & in cremerosam veluti substãtiam redigãtur; quare quod deinceps hæc habent, id ipsum liquida statim obtinent, quo fit vt minori multo negotio coquantur & distribuantur, atque hæc causa est cur in illis qui vires nimis deiectas habẽt & coctrice facultate parum valẽt, initium restaurationis per liquidos cibos moliamur, cuiusmodi sunt colatitia, contusa, expressa, destillata, intrita, & ad hæc ori & naribus, regioni cordis, orificioque ventriculi, quæ odorata sunt ad spiritus instaurandos admoueamus. Verumtamen hæc sanis & conualescentibus qui iam robore constant, ex vsu non sunt, quia cibi non solum sumuntur vt nutriant, sed vt solidum ac firmum nutrimentũ nobis sup-

pedi-

peditent, quod diu perdurare ac persistere queat, quæ causa est cur cibos constantes ac densos sumamus, non liquidos & potabiles, nisi (vt diximus) quando propter virium ægrotantis infirmitatem, & celeris nutritionis necessitatẽ præduris cibis vti non datur. Adde (autore Galeno) virium substantiam, tum ex spiritu, tum ex carnosa specie, tum solidis ipsis cõpleri, & ex his quæ similia sunt, suam cuique custodiam moliri esse necesse, spiritui, ex respiratione ac transpiratione, & qui ex sanguine attollitur vapore; solidorũ generi, ex solido nutrimẽto carnoso generi, per eã naturã quæ in medio humidorũ ac solidorũ corporũ est. Quocirca, cũ cõualescentes genere carnoso & partibus solidis graciles sint & extenuati, illorũ nutritionẽ (modo id per viriũ firmitatẽ liceat) cibis solidis ac constãtibus, nõ humidis & fluidis struere conueniet. Nec solũ alimẽtis reficiẽdi facultatẽ habẽtibus cõualescentes à contracta gracilitate vindicantur, sed idẽtidẽ somno moderato, congrua exercitatione & animi trãquillitate; per somnũ enim vt Galenus ait, quiescente animali facultate & à munijs suis feriata, naturalis validior quã antea redditur natiui caloris intro collecti beneficio vnde nihil quidquã cõmodius à morbo

Lib. 11. meth. cap. 3.

Lib. 1. de sympto. causis, capit. 8.

resur-

resurgentibus excogitari potest somno tẽpestiuo ac moderato, quippe quo exhausti per morbũ spiritus reparantur, natiuus in illis calor alioqui imbecillus reficitur, humectatur totius corporis habitus, viscera in suis queq; munijs obeundis firmiora euadunt, vegetius natiui caloris incremẽtum efficitur, & robur inde deiectis viribus conciliatur. Exercitationibus pariter, eodem docente Galeno, firmitas quædam membris accedit, naturalis calor accenditur, corporis excrementa excernuntur, durities indolentiesque quædam membris comparatur. Et quamquam Hippocrates dicat, labores cibos præcedere debere, hoc tamẽ præceptum in conualescentibus omnino seruari non debet, quia eiusdem documento, vbi indigentia laborandum non est. Quocirca his qui impleri debẽt extenuatique sunt, à cibo magis quàm antea cibum exerceri conueniet; huiusmodi namque ieiunij labores ne subeant; exsiccat enim ante cibũ labor & cõualescentiũ corpus vniuersum magis emaciat, nec protinus à cibo exercẽdos esse cõualescẽtes proferimus, raperetur enim sic crudus in viscera cibus, sed eo potius concocto, idest, sex aut septem à pastione transactis horis, hoc

Li. 1. de sania tuenda, c. 4.

Lib. 6. epid. p. 4. aphor. vltimo.

Aphor. 16. sectionis. 2.

hoc sanè tempus ad primæ illorum coctionem obeundā sufficit. Nam & si Auicenna decem horarum spatiū ad coctionis quæ in ventriculo peragitur complementum exigi insinuet (dum ait & quantitas quidem equalis remanentiæ cibi in stomacho & egresſionis, eius est illud quod est inter duodecim horas vsque ad 22. horas) id intelligēdum est in sanis, qui magnam ciborum copiam assumūt eorū que ægrè coctibilium: at ij qui ex morbis conualescunt cum modica ingerant alimenta, eaque coctu facilia, minus tempus ad illorum coctionem sufficit, postmodumque digeri alimentum incipit, quod vtique in eis necessarium apprimè est: vt partes nutritione egentes eo reficiantur: ad cuius citiorem & meliorem distributionem exercitatio plurimum iuuat, fiat autem hæc non naui, quod Hippo. autore, turbet nauigatio corpora. Nec etiam sit valida, laboriosa aut incitata, vt pote quam conualescentium corpora macilenta ac extenuata perferre nequeant, sed leuis & blāda, vel equitatio similis in equo suauiter incedente, aut gestatio in lectica. Melior autem exercitatio est, si Celso creditur, quæ sub diuo quam quæ in porticu fit, modo id per cæli serenitatem & tranquil-

13.3. tract.3. cap.8.

Apho.4 sect. 4.

Lib.1.cap.2.

trãquillitatem liceat, & si hyems fuerit, in sole; si ęstas, in vmbra exerceri magis conueniet, quemadmodum & in vmbra quã parietes aut viridaria efficiunt, quam quę tecto subest; & ad hęc recta quàm flexuosa exercitatio melior est; ante prãdium vero cum ob virium infirmitatem incedere conualescentes non queant, frictionibus mane supplendum est quod motionibus faciẽdum erat, sit autem frictio nõ aspera, non fortis nec multa, sed leuis, blanda, ac mediocris, ea enim (Hippo. autore) corpus impletur atq; crassescit. Quin & animi lætitia gaudiũ, atque trãquillitas, amœna & placida, cum gratis amicis familiaritas iocosa & hilaritatis plena, cum facetis hominibus confabulatio non solum ad reparanda conualescentium corpora, sed ad ęgros erigendos plurimum certi obtinent momenti, vt & musicis instrumentis, cantibus ac sonoris concentibus aures demulceri, cunctos homines plurimum recreat.

Lib. 3. de ijs quæ in medica vrina fiũt tex. 25. idem Gale. lib. 2. de sanitate tuenda cap. 3. & Auicenna. 2. 1. D. 2. c. 4

IOANNIS BRAVI PETRAFITANI DOCTORIS

Medici, & rei medicæ in Salmanticensi academia interpretis,

De curandi ratione per medicamenti purgantis exhibitionem, Liber Tertius.

Agitur de simplicibus medicamētis purgantibus, quæ nostris temporibus in vsu habentur.

PRÆFATIO.

HACTENVS *de purgandi ratione disseruimus, superest vt de purgantibus medicamentis deinceps verba faciamus: nam hoc ad operis huius complementum exigitur. Quia non satis est scire esse purgandum, sed necesse idētidē existit, quare fieri purgatio debeat perpendere: cùm alioqui etiam turpe sit artifici cuicunq; artis suæ instrumenta ignorare. Sunt enim medici instrumenta medicamenta ipsa, quibus amissam sanitatē recuperare conatur: purgantia autem impurū cacochymicūq; corpus,*

mundum ac à prauis humoribus liberum red=dunt: de quibus hoc tertio libro solũ agemus, nã reliqua medicamenta ad operis huius tractatio nem non spectant, in quo de ratione purgandi scribere instituimus. Cùm igitur de purganti=bus tantùm in isto loco sit differendum, in eis disquirendis ac expendẽdis nõ possumus Ara=bum diligentiam non magnifacere, eorumq; nõ laudare laborem; quippe qui tantorum, tamq; præstantium medicamentorum nobis notitiam tradiderint, quorum certè Græci vel non me=minerunt, vel saltem eorum experientiam non habuerũt, sine qua nihil refert quidpiam de eis scripsisse: cùm in comperto sit (quemadmodum scribit Celsus) ne agricolam quidem, aut guber natorem, multoq; minus Medicum disputatio=ne, sed vsu fieri. Quem certè purgãtium vsum Arabes vel soli habuerunt, aut exactius multo quàm Græci meminerunt. Quare perperã meo iudicio faciunt, qui illorum doctrinam ob in=concinnam linguam, incultaq; verba despiciũt, nihil dignum putantes quod non fuerit ele=ganti sermone conscriptum: quia vitia corpo=ris & si barbarismo nõ depellãtur, ita nec elo=quentia (vt idem Celsus ait) sed remedijs curan tur. Inter quæ purgantia præcipua haberi de=bent, quorum inquam maiorem, ac selectiorem partem ab Arabibus accepimus: nam Siliquam Ægyptiam, Mannam, Rhabarbarum, Sennã,

Turpe=

Turpetum, Persicas rosas, pariter ac Violas, vel ex earum succis, infusionibus ve paratos syrupos, lapidem Cyaneum, Tamarindos, Myrobalanos ipsi nobis suppeditarunt: nec solum ista, verùm etiam composita purgãtia fere omnia, quorũ vsus in officinis est, nulli alij quàm Arabes docuerunt: quæ sanè Græci aut non cognouerunt, vel silentio prætermiserunt. Verùm propositum nobis nunc non est, de compositis velle tractare, sed de simplicibus solùm, nõ quidẽ omnibus, sed de ijs tantùm, quæ pluribus cognita pluribusq; probata habentur, quippe hæc pro potioribus haberi debent. Quæ verò à paucis explorata experta ve sunt, cuiusmodi plura existunt, quæ nostro hoc tempore nouus obtulit Orbis, scribere non curabo: tum quia ab alijs sunt pertractata, tum etiam quia nostris illa inferiora reputo. Et cùm de simplicibus purgantibus sigillatim modò sit agendum; primùm de vocata Casiafistula verba faciemus, quoniam hæc frequens in vsu est, ac nulli non cognita, nobisq; maximè familiaris: doctrina autem disciplinaq; omnis ex notioribus, & eis, quæ nobis magis cognita sunt, si Aristoteli creditur, procedere semper debet.

7. Metaph. cap. 2. & 6. Ethic. c. 2.

De Casia fistulari. CAP. I.

CAsia fistularis, Actuario casia nigra dicitur, Mesuæ casia fistula, alijs syringodes, Manardo vero & nonnullis recentioribus siliqua Ægyptia nuncupatur, quia teste Ruellio lib. 1. cap. 24. in Ægypto nascitur & in India, quare à quibusdã arundo seu indica cãna appellata est. Nulla eius apud Græcos fit mentio, vno excepto Actuario, qui libr. de compositione medicamentorũ ad initium, eam graphicè descripsit in hunc modũ scribens: Casia nigra est fructus fistulosus, teres, oblõgus, concretum intus humorem ferens, non vna coalescentem cõtinuitate, sed ex interuallis intercedentibus lignosis, tenuibusq; membranis septũ, seminalibus granis, figura & specie non dissimilibus, eis quę cognita nobis siliqua profert. Plinius, Dioscorides, & Theophrastus, ac reliqui antiqui Græci, casiæ fistulæ nomine casiam aromatiten intelligunt, quam Hispani canela, vulgares vero medici ac pharmacopolæ casiam ligneam vocant, quin & Galenus casiæ fistulæ vocem ligneę & odoratæ assignabat diuersum, ab hac de qua nunc agimus medicamentum; hinc irrepsit quorundam iuniorum medicorũ non aspernẽdus error, qui vulgaris huius nostræ

titulo de potionib⁹ medicamẽtarijs aduersus affectus qui febres committãtur.

Lib. de theriaca ad Pisonem cap. 12. & 1. de antidotis c. 13. & 14.

nostræ casiæ fistulæ corticibus ad ciendos menses vtuntur, putantes hanc esse casiá fistulam quam Galen. ac reliqui Græci ad mensium prouocationem laudarunt, cú tamen hæ duæ casiæ tantum facultatibus seiungantur, quantum aspectu, & qualitatibus gustu olfactuq; perceptis differre conspiciuntur, vnde ab aliquibus æquiuocationem tollere volentibus, nigra vt ab alia seiungatur purgatrix dicta est, quæ duorum generú existit, occidentalis vna, orientalis altera, propterea quod illa ex occidentalibus insulis, hæc vero ex orientalibus oris ad nos affertur: occidentalis vilior censetur & minori venditur pretio, ob id quod cortice & semine cóstat crassiori & pauciori medulla.

Eligi debet {
- Recens
- Ponderosa
- Collucés seu foris splédés
- Perplena ob idque grauis
- In concussione non strepétium granorum
- Ac etiam in pulpa pinguis.

Nec ad has solum notas est respiciendum, sed necessarium existit vt humor in membranarum interuallis contentus craſ-

ſus ſit, conſtans ac veluti gelidus: quod Actuarius vno explicuit verbo, dum inquit: concretum intus humorem ferens, qui enim diffluens eſt, tenuis & non concretus, alienus putatur & non genuinus, ab vliginoſo humido vel loco vbi ipſa caſſia fuit repoſita, forte aſcitus: quare mirandum non eſt ſi excrementitio eo humore oppleta, flatus poſtmodũ & tormina excitet quos anisi ſemine aut diarrhodi abb. puluere præparata excitare deſinit. Auicẽnæ & Meſuæ autoritate in calido & frigido temperiem ſeruat, licet paulo ſit calidior, humida tamen eſt, primo ordine: Auicẽnæ ſententia, bilem aduſtam & pituitã educit. In eadẽ eſt opinione Actuarius, dum inquit, ſufficienti modo datam, incandeſcentem retorridamq́ue bilem, & eam magis quæ in atram degenerauit, expurgare. Quare minime illis accedendum arbitror qui ſolam leniendi facultatem obtinere aſſeuerãt, neq; inter medicamẽta peculiarem ſibi humorem eligentia recenſendam eſſe contendunt: Si namq́ue, vt Auicẽna voluit, aduſtam bilem, aut quẽadmodum Actuarius ait, incãdeſcentem retorridamque bilem, & eam magis quæ in atrã degenerauit educit, eã præ cæteris humoribus in purgationibus eliget. Eſt etiam

Auicenna lib. 2. c. 193.

etiam leniens ac ſine noxa penitus vlla aut mordicatione vacuans, adeo vt omni ætati, & ipſis etiam pueris & prægnantibus cōferat ſi quādo illis ſit vacuatione opus, quemadmodū Auicēna, Meſues, Rhazes, Halyabbas, Auerroes atque Serapio literis prodiderunt, tam eſt benignū & innoxium hoc medicamētum. Vnde liquido conſtat, inter vacuantia hoc leniſsimum eſſe & naturæ maxime familiare, cū vt illi aiunt, ſine moleſtia excrementoſa varij generis vacuet, ſed præſertim bilioſa & ex eis maxime quæcunq; aſſationē ſunt perpeſſa, vt ex Auicēna & Actuario fuit oſtēſum: quāobrem in quibus hæc redundāt, & quibus natura vel accidenti aliquo cōſtipata aluus eſt, ad hæc delicatulis & ijs, qui vehemētiora pharmaca renuūt, cōueniēs putatur. Rurſus bilis flauæ acrimoniā retūdit, reſoluit thoracis ac pulmonis phlegmonas, eaſdēq; partes pariter ac aſperā arteriā lenit, qđ præſertim facit ſi ex ipſa arūdine medullā paulatim trāſglutiēdo ſumatur: ſitim ſedat, intēperiē renū calidā mitigat, ob idq; calculū in his gigni prohibet. Si tn̄ viſcera ſunt ſicciora in tantū vt caſiæ atramēto humectari nequeant (vti in aridis corporib⁹ & alijs quib⁹ ſicciſſima & cū multa anguſtia reddi alui excrementa ſolent

Auicenna & Meſues cc. proprijs, Rhaze. 3. ad Almanſorē cap. 15. Halyab. 2. practi. cap. 38. Auerro. 5. collecta c. 55. Serapi. li. de ſimpl. tract. 1. c. 12.

lent, sæpissimæ euenit) casiæ lubricitas augenda est oleo amygdalarum dulcium: sin vero illa sunt lubrica & debilia, eadem minuenda rhabarbaro aut myrobalanis, vel aqua mastichata vel schinanto addito. Datur medullæ eius à semuncia ad sescúciam, id est à semiuncia ad vnciam vnã & semissem, & hoc parum ante pastũ, quod non solum casiæ huius, verum etiam omnium lenientium medicamentorum cõmune præceptum habetur, ita docente Galeno lib. 2. de alimentorum facultat. si nanq; talia longissime à cibo deuorentur, non purgare, experimento cõpertum est, ob id vtiq; quòd eorũ facultas à calore vẽtriculi superetur & ex medicamẽtosa alimẽtosa reddatur. Adde, eius generis medicamenta nisi à cibo adacta detrusaue, non subsidere, nec aluũ mouere, ac proinde parum sunt ante cibũ sumenda. Porrò istius medicamenti medulla (testimonio Auicénæ) arthriticorum demulcet dolores si cataplasmatis modo articulis dolentibus apponatur, debet autem oleo rosaceo misceri, si causa dolorem efficiens calida fuerit: chamæmelino vero si frigida. Tota ipsa casia virens adhuc, & tenera condita ad nos etiam ex India affertur, qua ad deijciendam nobilium aluum sæpe medici sunt

vit. de moris & tit. de prunis.

ſunt vſi, cuius ſemina intus incluſa efficatiora eſſe interaneo liquore Manardus literis prodidit, ſed id minime recipiendũ eſſe ſcribit Muſa ſuo multiplici experimento.

Manard. in annot. in ſimp. Meſ. c. proprio.

De Manna. CAP. II.

MAnna, Meſuæ & recentiorum ſententia, melleus eſt ros è cælo in plãtas & terram deſcendens, ex halitibus à terra & aquis, ſolis calore, die etiam calida & ſicca, ſubleuatis, atq́ue eiuſdem caloris vi exactè tenuatis ac coctis, & frigore ſequentis noctis in minutula grana gummi vel maſtichen repræſentantia cõcretus: etſi non deſint qui negent à frigore denſari, dicẽtes, quę ab hoc concreſcunt, calore diſſolui, cum tamen manna quæcũq́ue à calore magis ac magis denſetur, nec niſi liquore quopiã diſſoluatur, quod argumento eſſe aiunt, à ſiccitate non à frigore fuiſſe concretam; ſed aduertere deberent, non ſimpliciter liquore diſſolui, ſed ab eo tantùm qui actu calidus exiſtit; ſi nanq́ue liquor frigidus ſit, indiſſolubilis permanet, quod indicat ab vtroque illam, frigore nempe & ſiccitate concreuiſſe. Nulla medicamenti huius ſub hoc nomine apud Græcos habetur mentio; nam

Ioannes costa in ſimp. Meſuæ.

manna apud illos minutum thus significatur, vt ex Dioscoride cōstat, atq; etiam ex Galeno, lib.13.metho.cap. 5. scribente, manná esse purgamentū thuris leui adstrictione preditū, ibidemq; iubēte, ea imple re suppuratos tumores post apertionem. Quare ratione optima Petrus Crinitus, à Manardo taxatur epist.4.lib.1.censens, antiquiores medicos de māna eodē quo nos modo fuisse loquutos; merito etiā reprehēditur Hermolaus Barbarus à Musa in simpliciū examine & à Matthiolo lib.1.in Dioscoridē.c.29.qui similitudine vocabuli deceptus, Dioscoridis eleomelli, idē esse qđ nostrū aëreomelli, idest mel aëreum existimauit, putans Dioscoridē & Pliniū de nostra manna sub nomine eleomelli scripsisse, cū ex Dioscoride constet. c.de eleomelli, & ex Plinio lib.15.c.7.in fine & lib.23.c.4. in fine eleomelli oleum esse ex caudice cuiusdam arboris in Syria nascentis, emanans, melle crassius & sapore dulcius; meminit tamen mannæ Galen.lib.3. de facultatibus alimentorum cap. 39. sub melle roscido vel aëreo, scribens se aliquādo vidisse plurimum huius mellis super arborum, fructicum, & herbarum folia repertum, agricolasque plaudentes canere, Iouem melle pluere, affertq; ibidem om

Dioscor.lib. 1.c.17.

Hermol. Barbar. merito à Musa & à Matthiolo reprehēditur.

nem

nem eius naturam & ortum quam nos su
pra sumus prosequuti, dicens huius mel-
lis descensum noctem præcessisse vt per
æstatem benefrigidam (erat enim vt ipse
refert anni tempus æstiuum) & pridie cali
dam & siccam fuisse aëris temperiem, pe-
ritisq; naturæ interpretibus videri, halitus
è terra & aquis à solis calore subleuari, ac
deinde exactè tenuatos & cōcoctos, à fri-
gore noctis sequētis concretos coaluisse:
atq; addit, hūc mellis descēsum raro apud
Græcos videri, in monte autem Libano
quotannis persæpe apparere, ibique coria
agricolas super terram extendere, & arbo-
res excutere, & quod ab eis defluit exci-
pere, ollasque & fictilia vasa melle imple-
re, hocque mel roscidum & aëreum vo-
cari. Mannæ etiam meminit Plinius sub
eiusdē mellis nomine lib. 16. c. 8. dū ait; ro
bora ferūt mella, vt autor est Hesiodus, cō
statq; rores melleos è cælo vt diximus ca-
dētes, nō alijs magis insidere frōdibus: am
plius tamē eius naturā explicuerat supra
lib. 11. c. 12. dicens Vergiliarū exortu sub
lucanis temporibus, prima aurora, folia
arborū melle roscida inueniri, ac si qui ma
tutino sub dio fuere vnctas liquore vestes,
capillumque etiā cōcretū reperiri, siue ille
sit cæli sudor, siue quædā syderū saliua,
siue

Auerroës non temere à Manardo taxatur.

ſiue expurgantis ſe aeris ſuccus. Ex quibus conſtat, Auerroem non temere à Manardo taxari: mannã inter medicamenta quæ poſt Galeni tempora in hominum cognitionem venerunt; connumerantẽ, cum ex iam dictis liquidò conſtet, Pliniũ atque Galenum ſub nomine mellis roſcidi ſeu aerei illius meminiſſe. Duæ mannæ apud Arabes ſpecies inueniuntur: vna cõmuni nomine manna dicta: alia tereniabin appellata: manna ſimpliciter, Matthioli teſtimonio, concreta intelligitur, quam noſtrates medici, maſtichinam & granuloſam nominant: tereniabin liquida manna exiſtit. Muſa contrariam ſententiam ſequitur, putans tereniabin eſſe concretam, & mannam, liquidam exiſtere, ſed Matthioli opinio Arabum ſententiæ congruẽtior iudicatur, vt ex Serapione conſtat cap. 11. dicente, tereniabin rorem eſſe è cælo cadentem ſimilem melli, & alio nomine roſcidum mel vocari, conſtat nihilominus ex Auicenna lib. 2. cap. 493. mannam, gũmi modo concreſcere. affirmante Galen. loco citato de tereniabin peculiariter verba facere videtur, nam id quod ait, agricolas coria ſuper terram extendere & arbores excutere, & quod ab eis defluit, excipere, ollaſque & fictilia vaſa melle implere, liquidæ

liquidæ mannæ potius conuenire conspi citur, sed & Serapio tereniabin describēs mel aereum Galeni definire videtur.

Manna melior putatur
- Minutis granulis
- Pellucida
- Grauis
- Alba vel in luteū vergēs,
- Gustu dulcis & suauis
- Intra annum ex plantis odoratis hominiq; salubribus collecta.

Serapio cap. 45. cadentem super myricam quam ipse tamaricem vocat, tussi & pectoris asperitati magis probat: è regionibus, Calabrēsis omnibus prestat; quapropter nostro æuo tanti æstimatur. Ex omnibus tamen cadens super folia primū obtinet locum, secundum super ramos & arborum caudices collecta, tertium quæ super terram & lapides defluit, vt multiplici experimento Matthiolus & Musa cognouerunt; quidquid in hoc Mesues videatur sentire. Medium temperamētum seruat, Auicennæ & Mesuæ autoritate Serapio cap. 45. in actiuis primo ordine calidam & in passiuis temperatam esse scribit. Maiori pondere sumitur quam casiæ inte

Actuari⁹ loco superius citato. li. 1. metho. componendorum medicament. tit. de aëreo melle.

teraneus liquor, testimonio Actuarij & Ruellij lib. 1. cap. 24. adeo vt duabus vncijs exhiberi possit. Syluius à sescuncia ad vncias tres porrigit: quæ inquam flauam bilem simplici ratione pellit, guttur thoracem, ventriculum lenit, tergit, bilem clementer purgat, sitim sedat, quoniam vero imbecilliter vacuat, præsertim cruda (cocta enim citius agit) alio vis eius vt casia intéditur. Cæterum ipsam & casiam præbemus quibus potentius medicamentum dari non potest, nimirum pueris, & fœminis vtero gerentibus, & ijs quibus exuperans febris reliquorum medicamentorum vsum respuit, vt Actuarius lib. de compositione medicamentorum memoriæ mandauit, & quotidianum experimentū confirmat; Galen. tamē & Plin. cæterique qui subvoce mellis aërei mannæ meminerūt, de eius purganti facultate quidpiam loquuti non sunt, sed ipsam planè silentio prætermiserunt, quo factum est vt nos etiam illam supra inter medicinas Arabū recensuerimus.

Tit. de mirobalanorū generibus.

De Tamarindis, Cap. III.

TAmarindus barbara vox est, Arabibus dactylus indus sonat (tamar enim

enim apud eos idem est quod dactylus) Latinæ loqui volentibus oxyphœnicum seu dactylus acidus nũcupatur. Fructum esse Syluestris palmæ, folia salici similia habentis, ab ipsa quæ arbore ante maturitatem colligi, Arabicæ sectæ autores tradidere. cuius nec Galen. nec Plin. nec antiquorum quenquam sub hoc aut sub alio nomine loquutos fuisse legimus, licet nõ defuerint qui priscorũ phœnicobalanum quod Plin. adipson (quasi arcere sitim dixeris) nũcupauit, esse suspicentur, de quo Dioscorides lib. 1. cap. 124. & Plinius lib. 12 cap. 22. dicunt Palmæ in Ægypto nascentis fructum esse viridem, & malicotonei odore præditum, colligique ante maturitatem, qua in re Manardus dubius est lectorique hoc negotium cõiectandum reliquit, verum figura & vires quas ei locis supra citatis Dioscorides & Plinius adscripsere, diuersas res esse clarissime demonstrant, Nam Dioscorides scribit fructum esse acerbum & adstringentem, valereque diarrheæ & fluxui muliebri: nostrum tamen tamarindum ex Arabum testimonijs atque ex innumeris experimentis ventrem soluere & bilem purgare compertum habemus. Plinius nullo intus nucleo colligi asseuerat, nostros vero tamarindos

In simplicia Mesuæ.

rindos nucleos luteos diuersorumque co lorum habere certum est, quorum aliqui integri, alij contusi, omnes tamen vna cũ illorum carne in pastam redacti ad nos ad feruntur, vt experientia quotidiana osten dit: quare non citra rationẽ Auerroes lib. 5. collectaneorum tamarindos inter medi camenta post Galeni tempora reperta cónumerauit. Accedit eò quòd Serapio cap. de tamarindis nullum Græcum autorem affert, quod magno indicio esse potest no uam esse medicinam antiquis medicis incognitam.

Tamarindos inter medicamẽta post Galeni tempora reperta recenset Auerroes.

Præcellunt Mesuę testimonio:
- Subnigri
- splendentes
- teneri
- recentes
- Villis seu radicibus quibusdam commisti
- pingues
- linceri
- dulcacidi seu exacido & dulci saporo permisti.

Serapio acerrimos magis laudat; Mesuę sententia potius probanda videtur. Adulterari vino puro humectati, vt recen tes videantur, similiter & prunorum carne

Mesues

Mesues scriptum reliquit, sed dolũ detegit obscura nigredo, humiditas largior, prunorum odor & sapor. Nunc ad nos sale conditos adferunt myropolæ, vt eos à putrilagine præseruent, quod dum facere aggrediũtur in perniciosum adulterij modum incidunt. Nam cum autoribus Mesue & Auicenna. 2. ordine refrigerent ac siccent, & secundum Auerroem & Serapionem in. 3. frigidi sint, sale conditi id facere nõ queunt, qua de causa instillatitio oxalidis liquore à nostratibus medicis nõ sine maxima vtilitate solent macerari, qui vltra hoc quod quidquid salsuginosum ab eis abluit etiam illorum refrigerandi in tẽdit facultatem. Adeo clemẽs medicamẽtum hoc est, vt à duabus vncijs ad quinq; vsque, Mesuę autoritate, præberi possint, & quanquam expurgãdi gratia raro admodũ solos tamarindos exhibeamus, sed alijs purgantibus cõmistos, illorũ tamẽ caro recens ad vnius vnciæ mensurã oblata pueris ac etiã adultis sæpe aluum subduxit, quod alij semiunciæ põdere assequutos fuisse legimus. Mesuę testimonio, post annos tres vetustatem sentiunt, dummodo in vase vitreato beneque obturato, & in loco perflabili, & ad septentrionẽ vergente recondantur, nam si ad austrum seponan-

Tamarindorũ duratio & repositio

tur, aut nó prædicto modo seruétur, breui externus vel calor vel humor ipsis putredinis initiũ affert, annis decẽ seruari Syluius lib. 1. metho. componẽdi medicaméta tit. de fructibus, credidit, cui assentiendũ non est, cum præter experimẽtum & Mesuæ testimonium loquatur. Mediocriter coqui (si opus est) viribus seruatis possunt, quas tamen immodica coctio dissipat: macerãtur sextuplo liquore oxalidis vel aliorũ simplicium medicamentorũ succo vel liquore, vt absinthij, fœniculi apij, intubique tam satiui quam Syluestris, deinde manibus fricantur, post semel feruefiunt, postremo colantur, donec potio sit liquida & clara si suauiorem illam facere consilium est: Humorum acrimoniam reprimunt, bilem purgant, eiusque & sanguinis feruorem furoremque compescunt, vomitũ sistũt, febres acutas lenitione egentes sanant, sitim & omnem ventriculi hepatisque ardorem extingunt, quare eos apozematibus, potionibus purgantibus, sero ad purgandum & refrigerandum bibendo vsus medicorum permiscet, verum si frigidus ventriculus est, Mesuæ sententia, illis permisceri debet mastiche, vel macis, vel nardi spica.

Quid tamarindi præstent.

De sen-

De Senna CAP. IIII.

DIu & magno ęgrorum incommodo medicos id latuit medicamentum, quod mauritano nomine Senne, latino vero Senna nuncupatur, quo hodie nullum purgans frequentius, nullum tutius aut præstátius reperitur, quoniam est valde vtile & in repurgādis humoribus adeo innoxiū vt nostro æuo fere nō inueniatur pharma cum deijciendi facultate præditum, quod eius misturam non suscipiat; constat folijs fœnugræci, aut glycyrrhizæ, crassis, subpinguibus, fabarum sapore præditis, caule cubitali à quo ramuli exeūt in lori modū flexiles: flores ei emicant aurei veluti brassicæ purpureis intercursantibus venulis, quibus folliculi succedunt falcis aut semi lunæ figuram referentes, natura ipsa adeo compressi vt superior membrana inferiori cohærere videatur, qui è ramulis prominent tam tenui pediculo appensi, vt autore Serapione cap. 58. maturescentes paruo ventorum flatu facile discutiantur, in his semen continetur in nigro subuirescens vuarum vinaceis vsque adeo simile, vt primo oculorum aspectu vnum ab altero discerni non facile posit. Herba est summopere apud Arabes diuulgata licet Auicenna ei peculiare caput non dicauerit nec ex

Auicenna vbi sennæ mentionẽ fecit.

professo alicubi de ea loqui videatur, meminit tamen illius in fine capitis de fumo terræ & cap. de Quintana. Planta est frigoris impatiẽs, ob idque seri vult Maio, nec vltra autumnum perdurat, siquidẽ vt frequenter Matthiolus est expertus, prius sata, facile frigore deperditur. Serius verò, hyemem similiter non tolerat. Seritur in Ægypto, Apulia, & in Hispania, quarum Ægyptia est præstantior, secundum locũ obtinet Apulia, tertium & infimum Hispana. Num vero Græci Sennæ huius mentionem fecerint, apud nostrates medicos dissensio maxima est: quibusdam Græcorum, delphinium: alijs peplium esse videtur. Manardus empetron esse putat. Ruellius Theophrasti coluteam existere arbitratur, omnes tamen, meo iudicio, manifestè cæcutientes, nam primum, delphiniũ nõ esse, hinc fit manifestum quod delphinium folio vestitur oblongo tenui, repando, senna vero orbiculari & velut fœnugræci rotundo: flos illi purpureus emicat, huic luteus, illi violæ matronalis, huic genistæ potius: in siliquis etiam dissident, nã senna tumidum ostendit tolliculum mẽbraneum in quo semen atrum, durũ vuarum vinaceis proximum includitur: delphinium vero siliquam profert, quæ se-

men

men exile, teres, milio simile concipit. Ex quibus clare intelligitur quantum delphinij facies cum senna oppugnet. Non esse autem sennam peplium appellatum, ex eo liquet quòd senna siliquas, & in his semen gerit, peplion non gerit: item peplion folio est portulacæ: Senna fænugræci: adhæc peplion lac habet, quo senna caret. Multo minus assentiendum Manardo reor, sennā empetron esse putanti, quia nec habet folia lētis senna, nec salsa est: vt empetron, sed subamara modo non sit siccior: empetron locis maritimis nascitur & saxosis, senna quo magis mari appropinquat, eo amarior sentitur. Ruell. li. 1. c. 70. arbitratur sennā nostrā esse coluteā Theophrasti, seductus forte autoritate Serapionis. c. de Senna; in quo ait siliquas caducas opiliones colligere, quæ verba apud Theophrastum reperiuntur, lib. 3. de plantarū historia. c. 17. qua in parte ait, coluteā antiquis pastoribus fuisse saginandis ouibus expetitā. Sequūtur aliquomodo Ruellij opinionem alij sennam ex speciebus coluteæ sennam esse affirmantes, sed eorum error hinc facile detegitur, quòd colutea apud Theophrastum arbor existit multis annis perdurans, nostra tamen senna herba est, quæ paucis admodum

Senna Arabum nō est colutea Theophrasti.

 dum

dum viuit mensibus: qua in re imperitiam sationis sennæ Ruellius ostẽtat ratus eam arborem esse. Rursus, colutea siliquas profert colore in purpuram primum vergentes, mox albicantes, flatu turgentes, quæ si digitis comprimantur, crepitum magnũ edunt, semine intus paruo, rotundo lentis effigie, senna vero siliquatur foliculis falcatis quæ nullo spiritu tumido distenduntur quibus semẽ includitur vinaceorum instar: nos vero (teneant alij quidquid velint) sennam ab antiquioribus nusquam descriptã fuisse arbitramur, sed potius cum Auerroe & Musa cẽsemus nouã herbã esse, nouam inquam, idest antiquioribus illis Græcis incognitam, antiquiores addidi quia apud iuniores Græcos scriptũ de ea reperimus, siquidem Actuarius non nihil de illa commentus est, dicens, sennã ex ijs medicamẽtis esse quę Syria & Ægyptus mittit. Et deinceps subdit, quod senne nominatur, & ipse fructus quidam est qui citra noxam purgat vocãs sanè (vt ego reor) totam siliquam fructum, aut vt alij censent, semen tãtum: nec alicui durum videri debet fructum pro semine sumi, siquidem Galen. 6. lib. simp. fructum vrticę & lib. 8. fructum seseleos & maluæ & hiperici & periclimeni pro semine vsurpat. Por

Lib. 5. meth. c. 8. iuxta finem.

ro sennam hanc medicinam esse nouam idest quæ post Galeni tempora in vsum venerit medicorum, non paruo argumento est, quod serapio de ea ex professo tractans nullum affert Græcum autoré, quod facere semper solet quoties Galen. aut medici Galeno antiquiores quidpiã de illo medicamento cuius vires & naturã explorare tentat, scripserunt. Num vero maior folliculis purgandi vis insit quam folijs, controuersum est: Mesues foliculos in deijcienda aluo folijs longe esse præstantiores ingenuè fatetur, cui obuersatur Manardus, dicens, experientiam ostendere, folia in purgandi vi esse potentiora; Musa Mesuem tuetur: Matthiolus in hac dissensione se arbitrum cõstituens, mediam quandam protulit sententiam, dicens: sennæ folliculos qui sua sponte ex planta deciderunt euanidos esse & nullius momenti: illos vero qui ante exactã maturitaté decerpuntur & in vmbra siccantur, cũ crassi sint, põderosi, & succo prægnãtes vigorosiores & vegetiores esse, vnde colligit, Mesuẽ nõ esse sine limitatione dãnandũ quãdoquidem is vt Matthiolus ipse arbitratur de folliculis decerptis intelligit, nõ autem de caducis, quibus tantum vtuntur ij qui Mesuæ falsò reclamant. Huic sententiæ

Ioannes Costa adhærere videtur, dum inquit, quòd si folliculos nos tales haberemus quales Mesues eligi docet, completos, vt ipse ait, & seminibus amplis compressis, colore ad viridem & subnigrum accedente, cum adstrictione subamaros, tales autem sunt qui cum ad perfectā magnitudinem deuenere, colliguntur antea quam vesica vetustate resiccetur & colore viuido & sapore proprio exuatur, dehiscatque, ac sponte decidat. Si inquā (ait) tales haberemus hos ipsos, tum ob perfectiorem ætatem, tum ob densiorem substantiam ac vim contentorum seminum, excellere illos semper se cōtendere scribit verùm (subdit,) quia raró tales habemus (quo fit vt expectato euentu sæpissime frustremur) folia vero quorum maior est copia etiam minus detrimenti passa & prōptius ferri ad nos soleāt, fieri dicit vt horū vsus nostra tempestate inualuerit, folliculorū verò fere fuerit abolitus. Ego nō multis ab hinc annis tuebar electos folliculos semper folijs esse præstantiores ob perfectiorem ætatem herbæ, vt Brasauolus ait, ac ob densiorem substantiam & potentiā contentorum seminum, verùm cum crebra experientia contrarium cognouerim, nō possum Mesuę autoritati fauere, siquidem

In simplicia Mesue.

dem duabus infusionibus factis, vna ex puris folliculis, altera ex solis folijs, & deinde vtrisque æqua lance bibitis, manifestè deprehēdetur maiorem efficaciam inesse folijs quam folliculis: atque hinc factum arbitror, vt nostro hoc æuo folliculis neglectis folia tantopere vsurpentur, nec video si folia bona atque prçstantia ad nos adportantur cur folliculi tales adportari non queant, nec cur illa minus detrimenti patiantur quam hi, cum rationi consonum magis sit folia, vt pote tenuiora, rariora, leuiora, atque molliora ab ambientis calore pariterque à causis alijs externis magis pati esse apta, quàm folliculos qui densiorem substantiam obtinent, & grauiores ac crassiores existūt, at hisce omnibus ita euenientibus experientia monstrat folia magis purgare quā folliculos, ergo reuera purgāt. Quç igitur causa est ob quā nos optimos folliculos nō habeamus? habemus certè ac sçpe tales quales Mesues suo tempore habebat, præsertim cū in Italia & Hispania ex ipsa planta optimi decerpi facili negotio queāt, quos tamē minus purgare quā folia cōperimus: nec quicquā aduersus hæc facit, Actuarium folijs silentio prçtermissis, solorum folliculorū meminisse, nam cum sit quod senne nominatur, & ip-

Sennæ folijs maior inest efficacia quā folliculis.

Nos optimos folliculos habemus.

& ipſum fructum quendam eſſe qui citra noxam purgat (per fructum quidē vt ego arbitror folliculum intelligens) non negat folia etiam purgare poſſe & multo vehementius quàm folliculos; vel dicendum, Actuarium hac in re Meſuem fuiſſe ſequutum. Igitur cum multiplex experimētum non ſolum ſupra Matthioli & Coſtæ habitam coarguat rationem. Sed & omnem Meſuæ & Actuarij autoritatem conuellat, illudq́ue oſtendat, folijs maiorem in eſſe purgandi facultatem quàm folliculis, id pro comperto haberi debet.

Proba-

Probatius & laudatius ad purgationes habetur

- folium
  - oblongius acutius myrti maioris effigie, viridius etiam subalbido est præstāti'
  - vilius existit
    - rotundius
    - breuius
    - subalbidius
- folliculum
  - recens completum seminibus amplis cōpressis coloreq; ad liuidū & subnigrū accedente, preditum & cū adstrictione amarum
  - abiectius tenetur
    - vetustum euanidum resiccatum dehiscens sponte caducum colore viuido & sapore proprio exutum.

Nobile

Nobile & efficax est medicamentum senna, licet Mesues stomachum infirmare credat, cui Manardus experiẽtia, Serapionis testimonio, sapore eius subamaro & adstringente reclamat, nam experimentũ ostendit, nihil ventriculo nocere, nec Serapio id dixit, nec sapor austerus & subamarus illud efficere valet, cum huiusmodi qualitates stomachum firment & roborent, tantum abest, vt infirment aut ledãt; Musa flatulentum esse dixit, & experiẽtia probat, sennæ decoctum bibentes, aut vocatam eius infusionem, ventriculo offendi. Syluius torminosum maximè medicamentum fuit expertus, lib. tamen. 1. meth. componendi medicamenta multis torminosum esse dixit, alijs clemens pro varia sumentium natura, tutius tamen est mastiche, vel garyophilis, aut alio cardiaco, vel stomachico illud corrigere. In temperamento etiam dissidium est; nam Serapio calidam & siccam sennam esse dixit, sed remissas has obtinere qualitates, Mesues harum qualitatum gradus expressit, inquiens, calidam esse in principio secundi, & in primo siccam, additque folia esse in primo calida; Auerroes calidam & siccam secundo ordine statuit, Manardus & Musa Serapioni adhærent, & verè quidẽ, quippe

In annotationibus. in Mesuem

quippe nec caliditatem multam, nec sicci tatem senna habere videtur: alioquin non excitaret flatus, qui Gale. autore ab imbe cillo & debili calore excitari solent, datur pulueris eius à Serapione & Actuario, drach ma vna, infusi, seu decocti drachmæ quin que, verumtamen vtriusq; quantitaté tutò possumus excedere, & contritæ duas drachmas exhibere, decoctionis verò vel infusionis drachmas octo seu integrã vnciam, non tamen sex vncias, sed nec quatuor, nec tres cuique offerre ausus fuissem & si sciam Musam ad huiusmodi doses peruenisse. Num verò dilutum præstantius sit quam decoctum, dubitant nonnul li, verumtñ dicẽdũ, folia infusa, flatus plus mouere quã decocta, quia ebulliẽdo hæc nõ nihil eorũ dissipat, sed plus viriũ absumitur, quoniã tenues & ignitę partes deco ctione exhalãt, maceratione vero foras in ipsum dilutũ educunt. Cęterũ hodie folia infundunt in aqua borraginis calida, in va se stricti orificij, orificio ipso ita obturato, vt nullus trãspirationi pateat loc⁹. Isto eñ modo dilutũ, cõcinnatũ vtilitates decocti obtinet sine ipsius noxis: nã & insitas vires cõseruat, & flatulẽtũ nõ est. Educit senna p inferna (vt scriptũ reliquit Mesues) bilẽ tũ atrã tũ flauã, & Actuarij sentẽtia nõ bilem

Libro. 3. de causis sympt. cap. 2.

tantum

tantum, sed etiam pituitam; Auerroes negat sennam posse pituitam purgare, cui Manardus reclamat, dicens, se experientia didicisse quòd pōt, ego verò nō cuiuslibet pituitæ, sed salsæ præcipuè sennam eductoriam esse censerem, qua de causa multum in impetiginibus, & morbogallico vocato valet. Domesticum adeò est medicamentū, vt cōmodè pregnantibus, pueris & cuiuslibet ætatis hominibus possit exiberi: quod Actuarius (qui solus inter Græcos sennæ vires descripsit) significare voluit, dicens, sennam citra noxam bilem & pituitā deijcere. Nobile demū & efficax est medicamentū, morbis omnibus diuturnis & melancholicis, ab exusta aut salsa pituita contractis, conferens. Quamobrem mirifice auxiliari delirio, dementiæ, maniæ, scabiei, pruritui, epilepsiæ, febribus quartanis, Serapio memorię mādauit, mūdat cerebrum, cor, iecur, pulmonē, & omnes corporis sensus, confertque eorū incommodis, hilaritatē inducit, tristitiā abigit, corpus incolume & iuuenile diu tuetur, quæ omnia efficatius præstare potest, præstantissimo illo diluto quòd à Matthiolo in hūc modum paratur. Accipiantur foliorum selectissimorum sennæ drachmæ sex, zingiberis aut cinnamomi contriti

Senna nobile & efficax medicamētum.

Sennæ dilutum quomodo à Matthiolo paretur.

triti drachma vna, florum buglossi drachmæ duæ, mixta omnia excipiantur in vase fictili, aut stagneo, angusti orificij, & affusis feruentis aquæ, aut sericaprini vncijs decem, vasis osculum adeò occludatur, vt nullus penitus spirandi pateat exitus, his peractis puluinari plumis anserinis farto, igneque calfacto vas inuoluatur, reponaturque in arca in qua pernoctare sinatur, sic enim conseruato calore dilutū, maceratorum medicamentorum facultatem omnem in se accipit, quod manè colo transfusum & expressum, maxima vtilitate in prædictis affectibus bibitur.

De Rhabarbaro. CAP. V.

RHabarbarum radix est ex meridionali India & Barbaria in vniuersam ferè Europam questu magno aduecta, Mesuę clemens & excellens pharmacum existēs, multasque dotes purganti medicamento summopere expetitas complectens. Num verò Galeno cæterisq; antiquioribus cognitum an incognitum fuerit, inter nostri temporis medicos dissensio non exigua habetur: Græcorum esse Rhaponticum, Ruellius lib. 3. cap. 2. & Musa in suo simplicium examine tenent, diuersas res esse

lib.3.c.2. affirmat Matthiolus. Manardus in hac cõtrouersia sibi nõ constat, vt potè qui nunc idem, nũc diuersum existere arbitratur. Syluius lib.1.meth.componendi medicaméta, vtrũ idem sit genere cũ pontico, viribus tamé, colore, odore, põdere, soli & cæli ratione nonnihil dissimile, vel vtrũ sit omnino aliud, illis quibus plus est otij & facultatis disquirédũ relinquit, quã ré ad vngué decernere difficile ob id præcipuè putatur, quia ponticũ (quod cũ barbarico ad ré exactè iudicandũ esset conferendũ) hodie inuentu rarissimũ, & omnibus prope Europę medicis ignotũ existit; Etiã si Ioannes Costa affirmet, nũc demũ Venetijs legitimũ rhaponticum apparere cæpisse. ego vero ex contrarijs viribus, & oppugnantibus qualitatibus in vtrisq; repertis, diuersas res esse censeo, quãdoquidé deiectoria facultas. color multũ luteus, odor nares feriens, substãtia cõpacta, ariditas, amaritudo gustu percepta, ponderis grauitas, in nostro rhabarbaro inueniũtur; Cùm tamé rhaponticũ nullo odore cõmédetur, minimè deiectionem moliatur, sed potius adstrictione quadã sola sit prǽditũ, nec amarorem, sed gustu subacrimoniam referat, nec sit aridum, sed lentiscinosum, non compactum, sed rarum, non multo

In simplicia Mesuæ.

Rhabarbarum nostrũ non est rhaponticum Græcorum.

croceo tingens colore, sed pallido lãguido: non ponderosum, sed admodum leue, atque inodorũ ab antiquis sit descriptũ. Ex quibus clarè cõspicitur, Musæ & Ruellij sententiam esse improbãdam, qua asse uerant, rhabarbarum nostrũ & rhaponticũ Græcorum idem esse, solisque natalibus differre, in quem etiam errorem inciderat Manardus tenens, rhabarbarum à rhapontico nihil dissidere, sed nostrũ rhabarbarũ ideo odorũ esse, quia siccum ad nos adue hitur, Dioscoridem verò & Galenum de rhapontico viridi fuisse loquutos, quod ideo inodorũ dixerunt, quia vt ex Theophrasto cõstat lib. 7. de causis plãtarũ c. 17. aliqua sunt, quæ humiditate superflua ob tundẽte, donec ea absumatur, absq; odore perseuerant. Verum postquam, lib. 5. epistolarũ epist. 5. à medicis Sigismundi Sarmatarum Regis, didicerat, in eodem bello quod contra Moschos idẽ Rex fortissimè gessit circa Põtũ, repertũ fuisse aliud rheõ cõmuni quidẽ satis simile, sed tam viride quam siccum penitus inodorum, credere coactus est rhabarbarũ à rhapontico lõgo interuallo differre, ac nostri rhabarbari antiquiores nunquã fuisse memores. Ex quibus clarè intelligitur vanã esse Auerrois calũniã lib. 5. collectaneorũ qua inuehitur,

Musæ & Ruellij sententia improbatur.

Auerrois calumnia, qua in Galenũ inuehitur vana.

tum in Galenũ tum in antiquos reliquos quod dixerint rhabarbarum facultate tantùm adstringente, non etiam purgatrice pollere, ac si Galenus aut Dioscorides vel medici alij Galeno antiquiores id ipsum nouerint, aut quidpiam de eo prodiderint cum in comperto sit ipsos de illo nusquã locorum aliquid prodidisse, tantum abest vt de purgatrice eius facultate quicquam scripserint. Sed nec Auicenna nec Serapio nostri rhabarbari meminere, quòd si de rhabarbaro alicubi sunt loquuti, nõ de nostro, sed de rhapontico verba fecerunt, ita vt sub nomine rhabarbari de rhapontico loquantur. Quod ex eo liquet, quia non plures suo rhabarbaro assignauere facultates quàm qui eos præcesserunt medici rhapontico tribuerunt. Neuterque illorum scripserit suum rhabarbarum deiectoria facultate pollere. Quinimo Auicenna lib. 3. in curatione fluxus ventris absolutè inter frigida & adstringentia medicaměta cũ malicorio, galla acatia, & alijs huiusmodi rhabarbarum enumerat, & lib. 2. Canonis de rhabarbaro historiam scribens, de pontico verba facere & fere Dioscoridẽ ęmulari (sicut & Serapio fecit) est visus; nec in vniuerso Auicennæ opere rhabarbarum purgatiui medicamenti loco vsurpatum

Auicenna & Serapio nostri rhabarbari nõ meminere.

fuisse

fuiſſe inuenimus. Cognouit tamen legitimum ætatis noſtræ rhabarbarum, Paulus lib. 7. cap. 11. in fine, in tribus illis compoſitionibus quas aduerſus podagram ſcribit, quarum primam vocat diacorallum, ſecundam antidotum agapeti, tertiam antidotum actactos, in quibus compoſitionibus ipſius meminit, de quo etiam eum verba facere credendum eſt, lib. 1. cap. 43. quando offerens terebinthinam dormituris ad deijciendam aluum, ſubdit, at cum magis ſubducere eã cogitamus rheu momentum admiſcebimus. Matthiolus arbitratur nullum apud Paulum inter rhabarbarum & rhaponticum diſcrimen inueniri, nec Paulum credidiſſe rhabarbarum à rhapontico diſsidere, quod duobus probat argumentis, primum deſumit ex cap. 43. lib. 1. quo loco ſcribit deuoratam terebinthinam reſinam oliuæ quantitate dormituris aluum leniter mollire, idque præſtari efficacius ſi rheupontici mométum admiſceatur. Ex quibus ipſe colligit per rhaponticum, Paulum rhabarbarum deſignare. Secundum argumentum tale eſt, ſi Paulo inter rhaponticum & rhabarbarum aliqua intereſſet differentia, vbi peculiariter de ſimplicibus medicamentis agit, de vtrorumq; facultate ſpeciatim ſcripſiſſet,

Cap. 578. Legitimũ ætatis noſtræ rhabarbarum Paulus cognouit.

Matthioli argumẽta.

ſed cum ibi tantum Pontici meminerit, indicium haud dubium eſſe videtur illi inter barbarum & Ponticũ nullum eſſe diſsidium, verum iudicio meo ex præfatis argumentis, non recte colligit Matthiolus Paulo nullum eſſe diſcrimen inter rhapõticum & rhabarbarum. Nam primũ falſo innititur fundamento, ſiquidem Paulus iá citato loco nullá rheupontici, ſed rheu tãtũ mentionẽm fecit, dixit enim aluũ efficacius ſubduci ſi rheumomentũ admiſceatur, quæ dictio non eſt cur magis de põtico quá de barbarico enuntietur, imo rationi conſonũ magis eſt de barbarico eſſe intelligendam cũ hoc ſit quod ipſe in cõpoſitionibus ad deijciẽdam aluũ fuerit vſus. Ad aliud vero dicendũ quòd ſi Pau. lib. 7. vbi peculiariter de ſimplicibus medicamẽtis agit, vtrorũq; vires ſigillatim nõ expreſſit, ſed pontici ſolius hiſtoriá ſcribit, ob id factum eſſe (vt arbitror) quia in libris ante actis de barbaro verba fecerat, & cũ nullá aliam haberet facultatem præter eá quam antea dixerat, non erat cur ei ſpeciale caput dicaret. Nec etiam affirmare auderem rheupontici loco rhabarbarum in theriaca probe ſubſtitui, vt omnes quotquot antidotum illam componunt facere conſueuerũt, quia vt ex ſuperioribus liquet, duo

Argumẽto rũ Matthioli ſolutio.

hæc

hæc non tantum qualitatibus verumetiã facultatibus longo interuallo dissident. Tria à Mesue rhabarbari constituũtur dis crimina cũcta à regionibus in quibus proueniunt vel à quibus conuehuntur nomẽ nanciscẽtia, vnum Indicum est, quod scenicum à medicis vocatur ab ipso vero Mesue rhauesceni dici solet. Alterum barbari cũ, tertium Turcicũ, quod nihil aliud esse nonnulli arbitrantur, quàm Græcorũ rhaponticum, & quamquam sit à Turcarum regione diuersa Pontus, hâc tamen nomẽclaturam nactum esse censent, vel quod è Ponto ad Turcas vicinos deferatur, vel quod à Saltuosis cõuallibus vltra Tanaim fluuium existentibus, in quibus Melæ & Plinij testimonio, priores Turcæ venationibus vixere, iampridem in Pontũ fuerit delatum à quibus nõ longe distat Rha fluuius circa quẽ hoc medicamentũ illius fluuij nomine dictũ, quod põticũ posteri vocauere, prouenire asseuerãt. Verũtamẽ his assentiendum non esse illud manifestè declarat, quod de omni plane rheo dixerit Mesues calidũ & siccũ esse ordine secũdo pariterq; omne esse cholagogum, cum tamen ponticum, nec calidũ sit nec bilẽ ducat; Nec tam stolidus Mesues cẽseri debet, vt hæc duo rhei genera adeo diuersa in

Tres rhabarbari differentiæ.

Falluntur qui rhabarbari turcici appellatione rhaponticum à Mesue intelligi putant.

vnum confundat. Quapropter qui Turcici appellatione à Mesue ponticum intelligi existimant, manifeste falluntur. Quare inanis est Matthioli calumnia, qua Mesuem taxare contendit, quòd inter rhei genera aluum ducentia ponticum cõnumerauerit. Cum tamen illud, vt ego reor, Mesues ne cognouerit quidem, aut si cognouit, scriptis certe non mandauit, nec enim cuncta ab eo litterarum monimentis sunt tradita, nec explorata sunt omnia. Atque hęc de Turcico in pręsentia dicta sufficiát. Indicum ab India, vbi frequentissime nascitur dictum esse omnes norunt: Barbarum, à barbaria nomen accepit, non ab ea quidem Africæ ora vbi olim celeberrima Carthago sedem habuit, aut vbi Tunex modo collocatur, vt putarunt aliqui, nam illic verum rhabarbarum nasci non reperitur, sed à Trogloditica Æthiopię sub Ægypto regione, quæ regio barbarica ab antiquis fuit appellata, nunc vero Abexinorũ dicitur, vbi huius medicamenti tam ingẽs adest prouentus, vt magna ipsius quantitas tribus aut quatuor argenti drachmis ematur, & nisi plures accederent negotiatores qui rhabarbarum peterẽt, illic haud quaquam incolæ effoderent in propriũ medicamentorũ vsum. Ex his tribus rhabarbari

Rhabarbarum cur ita dicatur & vnde proueniat.

barbari generibus seu speciebus Turcicũ omnium esse ignobilissimum, sicuti Indicum præstantissimum, Mesues sibi persuasus est, sicuti barbaricum mediũ inter hæc duo locum obtinet, nec enim adeo est præstans sicuti Indicum, nec adeo ignobile sicuti Turcicum: quapropter.

Eligendum est
- Indicum
- recens
- subnigrũ in rubrũ inclinãs
- rarum cum sua grauitate,
- fractum ex rufo & glauco alternans
- mansum vel aliquo liquore solutum
- croci modo tingens

Recens dici potest quod nondum tres vel quatuor annos excessit, per hoc enim tempus, eiusdem Mesuæ testimonio, recte potest asseruari, præsertim si linteo cerato inuolutum milio vel psilij semine recondatur. Id vero quod Mes. ait præstantius rhabarbarum subnigrum in rubrum inclinans esse debere, de exteriori cortice est intelligendum, quod ex subsequentibus fit manifestum cum ait, fractum ex rufo & glauco alternãs, quæ verba manifeste ostẽ

Quomodo rhabarbarum asseruetur.

dunt antea de non fracto eũ fuiſſe locutũ. Illud tamen quod ab eodem ſcribitur Meſue, bonum rhabarbarum rarum eſſe debere cum grauitate, difficultatem efficit nõ mediocrem, quę ſeplaſiarios pariter atque medicos merito angere potuit, nam cum rarũ Galeno vocetur lib. 1. de ſimpl. med. facul. cap. 13. cuius partes ſpatijs inanibus ſunt interceptæ, quemadmodum contrarium denſum dici debet. Et rurſus cum in eodem capite idem dicat, omnia huiuſmodi fiſtuloſa & rara veluti pumex & ſpõgia pondere eſſe leuia, & præter Galeni autoritatem ratio id etiã ſuadeat, ſequitur rhabarbarum ſi rarum eſt, graue eſſe nõ poſſe. Pro cuius dubij explicatione ſciendum eſt, rarum apud Galenũ lib. 2. de ſanitate tuenda, cap. 5. dupliciter ſumi: abuſiuè ſeu metaphoricè, & propriè; abuſiuè & per metaphoram ab eo dicitur, quod laxum eſt ac ſolutũ, vt ignis, aer, propriè vero, quod multos habet meatus & magnos vt pumex & ſpongia. E contrario denſum propriè erit, quod nullis, aut quam exiguis eſt meatibus præditum vt buxũ, hebanum abuſiue, quod eſt compactum, ſolidum, coactum, vt aqua terra, vtraque autem raritas (vt alicubi Syluius probe animaduertit) leuitatem habet adiunctam, ſed longe ma-

Rarũ apud Galenum dupliciter ſumitur.

In Hippocratis elementa.

ge ma-

ge maiorem, improprie dicta raritas, cùm & proprie rarum ob id leue esse dicatur, quia ignem aut aërem nimirum, corpora abusiue rara, & ob id maxime leuia suis poris contineat, quorũ loco si aqua aut terra poros impleret (vacui enim omnino esse non possunt) quamquam rara tunc etiam merito dicẽtur cũ poros & meatus habeát multos & magnos, verùm tantum abest, vt pro raritatis ratione essent leuia, vt etiá omnino grauia existerẽt. Ex quibus clare colligitur rhabarbarum cum proprie rarũ sit nõ necessario debere esse leue, sed posse cum illa raritate grauitatẽ nancisci, quẽadmodũ & chalybs rarũ est & graue, quæ raritas vna cũ grauitate in rhabarbaro prouenit ex duplici, qua constat substantia à Mesue illi assignata, vna aquea, terrea, adstringente, & corpus dante, à qua scilicet graue efficitur: altera aërea, ignea, superficiaria quæ suam terream essentiam adurendo rarum ipsum efficit, amarum, purgatiuum, & obstructionum liberatiuum, quæ substantiæ, eiusdem Mesuæ sententia in maceratione separantur & calida & purgatrix in humorem transfertur: terrea vero & adstringens remanet. Rhabarbarum legitimum & integrum aliquandiu teri coquique viribus integris

Verborum Mesue interpretatio.

integris posse, rariori autem & laxiori, vehementem contritionem coctionemque virtutem resoluere, idem tradidit Mesues, quod capite de tritura confirmat, dum inquit, rhabarbarum quod melius est, probe tritum vigorosius euadere; rarum verò & laxum, impensius pulueratum vim purgatoriam prope omnem amittere. Vtrum vero vehementius purget si totum veluti est deglutiatur, vel corpulentia eius abiecta, solo liquore in quo conueniente tempore maduerit epoto, dissensio non parua inter medicos est, quæ Mesuæ testimonio facile dissolui potest, dari permittentis liquorem in quo rhabarbari drachmæ decé maduerint, cum tamen contriti quatuor ad summum drachmas exhibere cócedat, qui contrarium sine dubio faceret, si maiorem vim purgãdi relinqui in liquore ea quæ in tota substantia reperitur, putasset. Nec hoc huic rhabarbaro peculiare esse Manardus censet, sed potius commune omni medicamento, siue leuiter, siue vehementer purganti: æquam enim cuiusq; portionem validius longe purgare per se totam deglutitam, quàm eius solum infusum, vel decoctum ebibitum contendit, & quanquam Auerroes lib. 5. collectaneorum teneat ideo rhabarbarum omnibus

Proficua de rhabarbaro quæstio.

Lib. 17. epistolarum epist. 6.

alijs medicamentis purgantibus præstare, quia frenum suum est cum eo: id non obstat vt dicatur rhabarbarum in substantia vehementius, quam in maceratione purgare, quia in substãtia duobus purgat modis soluendo nimirum, & comprimendo: in infusione, vno præcipuè, videlicet soluendo; qui etiam modus in parte corpulẽta reperitur, cum nunquam tota purgatrix vis in liquorem transfundatur. Non enim credendum est, vt nonnulli innuere videntur, vniuersam purgandi facultatem in infusum transmitti, nam in eo etiam, qui per quinque dies maduit licet animam à Mesuæ perdidisse dicatur, vis tamen adhuc quædam superest purgatrix, qua nec pars ipsa terrestris penitus caret, in ijs pręcipuè medicamentis, quæ Mesuæ modo loquẽdo, comprimendo euacuant. Quantitatẽ tamen decem drachmarum quas in infusione Mesues dari permittit, nimis excellere putat Manardus eum locum enarrans, nec posse sine magno vitæ discrimine decem drachmæ semel dari, experimento cuiusdam nobilis Pannoniensis probat eas cum magno suo malo experti. Ego vtramque quantitatem, infusi inquam & contriti perniciosam esse arbitror, nec posse, sine insigni vitæ discrimine semel dari: conueniens

De his inf. cap. de myrobalanis.

niens tamen eius quantitas erit si contriti seu corpulentiæ ipsius à drachma vna ad drachmam vnam & semissem infusionis à drachma vna & semisse ad drachmas duas porrigatur. Rhabarbari vim cum spica nardi infrenandam esse Mesues scriptis mandauit; Manardus in eius loci enarratione spicam hanc prætermittit, tum quia adeo clemens medicamentum esse putat, vt illa egere non videatur, cum quia vera spica nos carere arbitratur: nam hęc quæ ad nos adfertur, ipsius sententia, teterrimi odoris, & saporis est valde ingrati. Primum sequi videtur Auerroes dicens, nullum purgantium medicamentorum expers esse veneni, solo rhabarbaro excepto, adeoque excellens medicamentum haberi, vt mēbra cuncta corroboret, & per illud alia medicamenta infrenentur. Verumtamen etsi rhabarbarum castigatissimum sit, est tamē ob terrestrium partium miscellam pigræ in purgando actionis quam accelerare spica aut schinantum partium suarum tenuitate potest, cum Manardo vero carere nos vera spica asserente, non est, vt in præsentia contendamus, quia etsi carere ea concedamus, eius loco schenon substitui nō indecorè potest. Secundo ordine illud calfacere & exiccare Mesuæ authoritate

Num rhabarbarum castigatione cum spica opus habeat.

est

est confirmatum. Vtrum vero prægnantibus offerri debeat, inter medicos dissidium ortum est non mediocre, contendentibus aliquibus illud graui odore, acrimonia & diuretica facultate abortum facere, ideoque à prægnantibus arcendum esse. Verumtamen Mesues pueris & prægnantibus non aduersari, quinimo vtrisque tutò exhiberi posse, ingenue fatetur. Quam opinionem Musa sequitur comment. 1. in quartũ libr. aphor. dicens ipsum præterquam, quod materiam peccantem educit, fætum etiam in vtero corroborare acetabulaque confirmare, quæ quia sæpissime mucoribus impleri consueuerunt, abortus occasionem præbent, vt Hippoc. aphor. 45. section. 5. memoriæ mandauit. Non minori controuersia apud medicos iactatum est, num pleuritide laborantibus commode dari possit, asserentibus nonnullis ipsum sua adstrictoria vi sputum ab euacuatione arcere, & thoracem ne facile moueatur impedire, aduersus quos Manardus multis probat argumentis ipsum pleuriticis conuenire, nec propter adstrictoriam quam obtinet facultatem illis aliquo pacto aduersari, quia si rhaponticum maiori, quam illud adstrictione præditũ ad asthma, orthopnœam

Num rhabarbarum prægnantibus dari debeat.

Num rhabarbarum pleuritide laborantibus præberi commode possit. Lib. 17. epistolarum epist. 5.

pneam & omnem ſpirandi difficultatem Dioſcor. Gale. & Paul. commendarunt, in quibus affectibus tenacior & viſcidior materia maiori ex parte, quam in pleuritide reperitur, multomagis rhabarbarum à nobis in pleuritide commendari debet, nam ſi tenaciorem craſsioremque materiam in aſthmate & orthopnea educi terreſtris adſtringenſque rheipontici facultas nó pro-prohibet, multominus rheibarbari ſubſtá tia minus adſtringens quàm rhapontici, materiam in pleuriticis minus tenacé minuſq́ue craſſam prohibebit. Rurſus laudá tur ab autoribus in eadé pleuritide & peripneumonia, minus centarium, adiantú, zucharum ab Arabibus vocatum alhuſar, glicyrrhiza, paſſulę, mala punica dulcia & alia huiuſmodi adſtrictionem poſsidétia. Quod ſi hęc ita ſe habét, quod nam infortunium huic rhabarbaro contigit ſcribit Manardus, vt tot adſtringentibus admiſsis ſolum condemnetur? Idem certe, medicus eximius rhabarbari infuſo, caſsiæ liquorem vel mánam quæ membra potius laxant quàm roborát nunquá in hoc morbo prætulit, pauca enim ſtipticitas partes pectoris relaxatas roborans vim expultricem fortiorem reddit, ideo in pleuritide & thoracis affectionibus non damnanda,

vt

vt Musa in examine Syrupi de glycyrrhiza manifestis exemplis probat. Nec tamen pleuritide laborantibus adstringens rhabarbari corpulentia exhibenda est, sed infusum eius colatum tantùm: ac nec hoc solùm, sed mannæ, vel medullæ casiæ fistulæ permistum; ac de rhabarbaro satis.

De Agarico. CAP. VI.

SEd nec quid agaricum esset, antiquioribus medicis compertum satis fuit, siquidem Galen. radicem esse arbitratur, cũ re vera radix non sit, sed vt Mesues ait, fungus, aut arborum putrescentiũ veluti apostema. Dioscorid. aliorum tantum sententiam recenset, hacque in re anceps ipse videtur, quippe qui modo secundum quosdam radicem, secundum alios fungum in arboribus enatum esse fatetur. Verumtamen fungum esse, docet Plinius lib. 16. c. 8. inquiens, Galliarum maximas glandiferas arbores agaricum ferre, esseque fungũ candidum, odoratum, antidotis efficacem in summis arboribus nascentem, noctu relucentem, cuius signum esse, ipsum noctu in tenebris decerpi. Matthiolus prope Trẽtum super larices nasci affirmat. Syluius lib. 1. metho. componendi medicamenta,

Lib. 6. de simp. med. facul. lib. 3. cap. 1.

ex Gallię alpibus & Delphinatu afferri testatus est. Cui sententiæ Plinius consentit dum asserit, in Gallia super arbores glandiferas agaricum prouenire; verè tamen in Agaria Sarmatiæ prouincia, authore Dioscoride, gignitur, vnde nomen accepit. Duæ à Dioscoride ponuntur differentiæ, mas inquã & fœmina. Dioscoridi subscribit Mesnes, masculum in seipsum conuolutum oblongũ, & vndiq; concretũ esse aiunt, fœmina rectis venarum discursibus dentium musculorũ vestigia in caseo duro repræsentantibus fracta constat, quæ masculo semper pręstat, neuter tamẽ adulterationem recipit, vt 1. de antidotis capit. 14. scriptum reliquit Galen. in agarici delectu; danda opera est, vt probum semper accipiatur, nam licet agaricum, Galeni sententia, fraudem nullam admittat, id tamẽ quod vitiosum est, adeo improbatur, vt non defuerint, qui illud inter venena recensuerint, cuius malitia ex multis notis desumitur. 1. ex colore, nam nigrum, perniciosum existit, vt ex Dioscoride liquet. lib. 6. cap. 33. ipsum inter venena connumerante. Sumitur non minus eius bonitas aut prauitas ex tempore, quod in eo tantã efficit differentiam, vt non desint medici, qui vim eius in contraria mutare asseuerent,

Loco præcitato.

1. de antid. cap. 14.

 rent,

rent, dicentes, agaricum recens venenum pellere & alexiterium pharmacum esse, inueteratum autem, venenum perniciosum existere, & nocumentum haud exiguum humano corpori afferre. Dissidium tamen ortum est non mediocre inter nostri temporis medicos & seplasiarios circa agarici antiqui cognitionem, putantibus nonnullis fieri non posse, vt vetus dignoscatur & ab optimo seiungatur, siquidem in comperto est, vetus agarici optimi notas assumere, vtrumque namque tam vetus quã recens album est, leue, porosum, frangi facile, quæ selectissimi agarici notæ habentur, vt mox videbimus. Sapor tamen hæc manifeste secernit, omnemque tollit ambiguitatẽ, nam cùm teste Dioscoride, agaricũ primò gustu dulce sit, ac deinde amarũ, & omnia quæ inueterantur Gal. sententia dulcedinem exuant, & amaritudinem contrahant, sequi consequens quidem est agaricum inueteratum omni prorsus dulcedine orbari ac sola amaritudine eaque intensiori, quàm antea gustãdi sensum afficere. Mesues pluribus signis bonum à pessimo secernit, vt in præsenti schemate vnicuique peruium esse potest.

Lib. 4. de simp. med. facult. c. 17.

- Agaricū
  - bonū
    - Fœmina
    - rotundum
    - album,
    - porosum
    - rarum valde
    - frangi facile
    - leue
    - dulce primo gustu, mox amarum,
    - stypticum, præcipuè summa corporis superficie.
  - malū
    - mas
    - longum
    - nigrum
    - durum
    - densum
    - graue
    - & infragmentis ceu villos neruorum ostendens.

PAulus agaricum eligit quod albissimū est, vehementer fragile, non valde lignosum, Galen. tamen lib. 1. de antidotis, cap. 14. sola ponderis leuitate, & substantiæ corporis raritate satisfactus est, dum in hunc scribit modum. Agaricum sequitur, quod fraudem nullam admittit, de quo il lud

Lib. 7. c. 4. tit. quæ bilē vacuēt, iuxta finē.

lud modo dicere sufficiet quod est ab autoribus ante nos proditum, optimum id agaricum esse, quod leuissimum esset, densum verò, graue & lignosum, abiectum. Quod autem ait Mesues, bonum, primo gustu dulce esse debere, mox amarum, Dioscorides non peculiariter bono adscribit, sed mari pariter ac fœminæ facit commune. Repugnantia tamen videtur non mediocris inter Dioscoridem & Mesuem, nam hic agaricum frangi facile bonum esse iudicat; Dioscorides vero illud, quod in Galacia Asiæ & Cilicia in cedris gignitur, ob id vituperat, quia infirmum est, & friabile, quæ duæ series manifestè contrariæ apparent: cui oppugnantiæ Musa respondet inquiens, Dioscoridē friabilē non simpliciter dānare, sed illud potius quod in Galacia & Cilicia in cedris prouenit, quoniam tantùm friabile existit, ac aliæ desunt perfectiones, verùm iudicio meo, Musa Dioscoridis mentem haudquaquā est assequutus, quoniam Dioscorides non aliam ob causam agaricum in Galacia & Cilicia natum improbat nisi quia infirmū & friabile existit, innuens clarissimè vitiū esse in agarico, friabilitatem ac infirmitatem. Quare dicendum, Dioscoridem non vituperare agaricum in Galacia & Cilicia

Verborum Dioscoridis interpretatio

exatum, quia eſt frangi facile, talē namq; laude dignum foret, ſed quia infirmum & friabile habetur, differunt enim inter ſe frangibile & friabile, vt autor eſt Ariſt. lib. 4. met. capit. 9. nā frangi ea dicuntur, quæ in magnas partes diuidi ac diſtrahi poſſunt, quæq; eſſentiam conſtantem nacta ſunt, hoc autē illis euenit, quia lōge porrecta foramina habēt, ob idq; nō niſi in magna & longe ſepoſita fruſta ſecari poſſunt, friabilia verò cum nō directim poſita foramina contineāt, fit vt minutim diuidi, & quaſi fruſtilatim diſcerpi poſsint, ita Ariſtotele atq; eius cōmētatore Auerroe aſſerētibus: tale eſt agaricū Galaciæ & Ciliciẹ à Dioſcoride dānatū, nā nō in magnas partes diuiditur, ſed in minutiſsimas cōminuitur. Quod vitiū ſi ſolū obtineret, tolerari aliquo pacto poſſet, verū addit Dioſcorides illi aliud maius, dū inquit, eſſe idētidē & infirmum, quod verbū nō ad eius facultatem debet referri (nondum enim de ea loqui cœperat) ſed potius ad eius corporis conſiſtentiam quæ talis eſt, vt conſtantiam nullā obtineat, ſed omni prorſus firmitate ſit deſtituta, quod accidit cum nimis mollis ac ſemiputris eſt effecta, tale etiam agaricū (infirmū nēpe & friabile) tēporis diuturnitate reddi cōſpicimus, nam anti-

antiquatú ob vetustaté adeo friabile & firmitatis expers est effectú, vt leuissimo digitorú impulsu cedat, ac illorúfacillimo attrictu cóminuatur, vnde euenit, vt tale sua etiá virtute infirmú láguidúq; reddatur, ꝓprio, scilicet & insito humore destitutum quo cóseruari innatus rerú calorsolet. Auicēna, Mesues, & Serapio agaricú. Primo ordine calidú, & in. 2. siccú posuere: idē facit Auerr. notatq; à Gale. nó esse illi cóstitutú gradú. Musa in. 2. ordine calidú, & in. 3. siccú statuit. Medicina familiæ à priscis dicebatur, vel quia toti mébrorú familiæ opitulatur, vt Mesues ex Democriti opinione refert, vel quia ita salubre & innoxiú est medicamentú, vt cuicunq; ex familia, nulla prorsus ætate seruata, posit cómode offerri, quéadmodú iuniores medici tradidere. Mesues eius pulueris ab vna drachma ad duas vsq; dare permittit. Paulus duas drachmas exhibet cú melicrato, qué Actuarius sequitur quando sic ait: Agaricum pituitam & bilem, sed non celeriter, pellit, danť binæ drachmę cú aqua mulsa vel aceto mulso. Gal. 7. li. de sim. me. facultatibus pódere drachmæ vnius cú vino diluto esse purgatiuú scribit. Dioscorides obolorú duorú pondere præbet ad rupta, cóuulsa, tormina, & cruditates, drachmæ pondere

Loco præcitato.

Lib. de cóp. med. tit. de simp. medicamentis purgantibus.

hepaticis, asthmaticis: tres obolos sanguinem excreantibus & comitialibus, ad aluũ vero purgandam, vnicam vel duas drachmas exhibet. Quando offertur, terendum non est, nam cum id tenuium sit partium rationi consonum existit tritum atque ita in puluerem redactum inefficax euasurũ. Vis eius phlegmagoga, pituitam enim mirum in modum expurgat, capiti vehementer prodest: quapropter antiquæ cephalalgiæ, vertigini, morbo comitiali, lethargo, & alijs cerebri pituitosis affectibus mirũ in modum auxiliatur, pectus & vterũ expurgat, qua de causa aduersus asthma, respirandi difficultatem & orthopneam valet, icterum sanat, cutis floridum colorem reddit, sed stomacho inimicatur, quòd ingrato amarore os ventriculi eximio prædi tum sensu offendat, & sua leuitate enatãs subuersionem, nauseam & vomitum operetur, vt scriptum reliquit Actuarius. Quapropter Mesues varijs modis id præparare docet, communis tamen & bonus præparandi modus est cum oximelite & zinzibere & sale gemmę in hunc modum. Recipe agarici. ℥. iij. zinziberis. ʒ. j. salis gemmæ. ʒ. ij. oximellitis quod sufficiat: aliquibus tamen sal iste gemmæ in castigando agarico non videtur accommodus, quoniam

Loco superius ablato

niam ventriculo infestus est, eidemq; negotium facessit, etiam si agarici vis eius permistione acuatur ac inualescat: quocirca præstantiorem illam castigationem reputamus, quæ cum vino albo in quo maceratus zinziber fuerit, ex mente Galeni traditur à Mesue, licet præparatio ista apud Galenum non reperiatur, nisi dicamus eam esse cuius ipse meminit lib. 6. de compos. med. secundum locos capit. 10. quando ad vuluæ strangulatus conuenire ait agarici drachmam vnam in potu ex vino acceptam, nam hoc in loco non videtur vinum ad vteri strãgulatus, sed ad agaricum corrigendum ab eo fuisse oblatum quia vinum in huiusmodi affectione noxium valde est, vt ex Auicẽna constat dicente. Et caue ne ei des in potu vinũ, quoniam aqua est conuenientior. Non apposuit Galen. zinziber, ratus fortassis solo vino agaricum abũde castigari. Idem lib. 6. de simpl. med. facult. inquit, medicamentum hoc compositum esse ex substantia aërea & terrea à caliditate extenuata: quã sententiam latius vsurpat Mesues dũ ait: Constat substantia duplici, aerea superficiaria, dulci primo gustu percepta; & terrea stiptica sed tenui ob vincentẽ in hac igneam substantiam amaritudinis effectricem:

22.3. tract. 1. c. 19. in fin.

cem: ob has facultates habet vt incidat, tenuet, tergat, obstructa liberet & flatus dissipet, lumbricos enecet ac foras pellat: nō solum autem intus sumitur, sed etiam foris admouetur, vt docet Galen. in fin. lib. 10. de compos. med. secundum locos in ischiadicis remedijs, & similiter libr. 6. de simp. med. facult. vbi ait, iuuat & morsos à bestijs frigore lædentibus, aut compunctos, tum foris in affecta parte impositum, tum intro in corpus sumptum.

De *Aloë*. CAP. VII.

ALoem, eiusdem nominis herbæ succum esse, omnibus est in confesso: & licet Dioscorides in India & Arabia nascētis tantùm mentionem faciat, passim tamen in vniuersæ Italiæ domibus in vasis fictilibus ad ostentationem appendi solet, quemadmodum Musa & Matthiolus prodidere, seruatur etiam in Gallia & in nonnullis Hispaniæ locis in eisdem fictilibus culta. Nostram tamen ab Indica & Arabica multum degenerare, præter Musæ testimonium, amaritudo ipsa indicat, quæ ab Asiaticæ & Arabicæ amaritudine longo interuallo relinquitur. Duo succi huius genera agnoscit Dioscorides, vnum arenosum quod sedimentum esse purissimi cognoscitur, hoc officinæ cabalinum vocāt,

vete-

veterinarijs medicamentis dicatum, ob idque illi hoc nomen indiderunt; alterum purissimũ iocinoris modo coactũ, quod succotrinum vocant, solũ seplasiarijs pro vsu medicinæ vsurpandum.

Aloes cabalina vna, succotrina alia.

Eligi debet eiusdẽ Dioscoridis testimonio, aloe
- Sincera quæ nihil doli sensit
- pinguis
- nitida
- glutinosa
- transparens
- arenularum & calculorum expers
- rufi coloris
- attritu digitorum friabilis
- iocinoris modo coacta
- facile liquescens
- eximiæ amaritudinis
- bono odore myrrhã æmulante,
- licet planta tota odore sit tetro.

Improbatur
- nigra
- fractu contumax
- obscura
- fęci simillima
- odore tetro
- arenosa
- adulterium passa.

Adul-

Aloë adulterata, quibus modis sit deprehēdenda.

Adulteratur (Dioscoridis testimonio) gummi & acatia, cæterum fraus gustu & odore deprehenditur, vt idē Dioscorides docet, adulterata siquidem eximia amaritudine destituitur, nec valido est odore prædita: adde gummi adulteratam digitis attritam non friari, nec ad minima frusta vsque comminui, crassam ac fęculētam sophistæ similiter fucant, vt proba videatur, aqua marina paucum crocum habente aliquoties lauando, ac mox siccando, donec colore flauo lucida, odore bono euadat. Sed odor croci Mesuę dolum prodit. Idem ex eo colligit aloem medicamentorum purgantium præstantissimam ac excellentissimam esse, quòd cum cætera purgantia partes nostras principes & ex his ceu è fontibus prodeuntes facultates quæ corpus nostrum dispēsant, vel actionis vehementia lædant, vel nihil iuuent, aloe sola eas partes imbecillas roborat, & ad functiones suas nulla omnino actione noxia reducit. In qua sententia, Plinius & Paulus similiter extitere: ex quibus Ruellius lib. 3: de natura stirpium cap. 19. aloem medicamentis, quę malitiam ipsius obtundant, & infrænent, siue emendent, non egere infert. Cui sententiæ aduersari Galen. apparet lib. 8. de comp. med. secundum

Plin. lib. 17. c. 4. non lōgè à principio.
Paulus lib. 7. cap. 4. statim in ipso capitis initio.

dum locos cap.2.dicens; Ex his quæ hieram ingrediuntur, masticħen vt stomacho accommodam & odoram, & quæ medicamentariam aloës vim frangere queat admisceri: cinnamomum verò, eadem gratia: nam licet verum sit aloëm stomachū firmare, hoc non amara facultate, sed adstringente facere est apta, est enim ipsa, Galeni sententia, non simplicis, sed mixtæ facultatis particeps, amaræ videlicet & adstringētis, quas duas facultates ex eius operibus venatur, quòd stomacho nimirum sit grata, & quòd vnà etiam digerat & abstergat: adstringente facultate stomacho beneuola est: cæterum amara qua discutit & abstergit, eidem infesta & subuersionē pariens existit, ob quam, inquam, qualitatem, quia ipsa medicamentosa existit, mastiche & cinnamomo egere non sine maxima ratione Galen. prodidit, quæ hanc illius medicamentosam qualitatem naturæ nostræ inimicā infrænare & coercere sunt apta. Nec omittenda est hac in parte manifesta Galeni contradictio, siquidem loco supra citato, & lib.7. meth.cap.11. solū ventrem aloem purgare & ampliori pondere exhibitam circa iecoris locos solum, non tamen vltra conscendere testatur. Cui Actuarius consentit scribens in hunc modum;

Libr.6. de simp. med. facult. titu. de aloe.

Dubitatio.

Lib. de cōp. med. tit. de simpl. med. purgantib' in initio.

dum. Aloe igitur non corpus totum inanit, sed incidentem stomacho, ventri, & interaneis bilem, citra noxam, cum inhærentibus inibi recrementis per aluum exigit, lib. tamen de theriaca ad Pisoné. c. 4. idem Galen. totum corpus mollire purgareq́ue affirmat. Tetigit hanc dissensioné Matthiolus lib. 3. com. 22. quam tamen in solutam reliquit. Iulius Alexandrinus, vt ex epist. 4. lib. 1. epist. Matthioli cōstat, pro comperto habet librum de theriaca ad Pisonem Galeno adscriptum esse, secundũ quem facile esset respondere, dicendo, supra allatum testimonium Galeni non esse vt pote cũ nec liber ipse in quo illud scribitur, Galeni sit. Verum, vt ego arbitror, Iulius Alexandrinus decipitur, nam omitto alia quæ in libri huius comprobationé afferri possent. Paul. lib. 7. tit. Satirion trifolium, manifestè ostendit de theriaca ad Pisonem librum Galeni, genuinum esse, dũ illum in eo volumine citat sic scribens Galen. in com. de theriaca, trifolium ait hyacintho simile esse, cùm aêre inturgescens semẽ syluestri cnico æquale habet: Quod neutiquã faceret si eũ cōmentariũ nothũ esse putaret. Leguntur hæc verba in eodé de theriaca ad Pisonem lib. c. 4. & non alibi. Vera tamen dubitationis propositæ solutio

Propositæ dubitationis solutio.

lutio erit, si dixerimus aloem in mediocri quantitate stomachũ & mesenteriũ tantũ modo, in maxima vero vniuersum corpus purgare posse, quod est eiusdẽ Paul. decretũ, lib. 7. tit. quæ bilẽ vacuent quo in loco de aloe verba hæc scripta reperiuntur. Datur quibus ob recremẽtorũ abũdantiã clyster nequit inijci, abunde siquidẽ inanit, sic vt totũ corpus nõ cõmoueat nisi copiosa admodũ fuerit exhibita. Cuius etiã sententię videtur esse Dioscorides, nã postquã dixit stomachũ repurgare vinum coclearíũ mẽsura: subdit, purgationis perfectæ causa tribus drachmis sumitur: quo in loco per purgationẽ perfectã aliã quã illã per quã totũ purgatur corpus intelligere nõ potuit, cũ supra de ea per quã solus stomacus purgatur mentionẽ fecerit. Præterea Galen. lib. 8. de comp. med. secundũ locos c. 2. cum ait ampliori põdere exhibitã vsque ad locos iuxta hepar conscendere, innuere videtur, quod si adhuc ampliori quantitate præbeatur, vel vt dixit Paulus, copiosa admodũ, ad partes iecore remotiores vim eius posse peruenire. Exsiccat aloe Gal. autore ordine. 3. calfacit. 1. intẽso vel in secũdo remisso; Mesues simpliciter 2. ordine calidã, in. 3. siccã effecit, additq;, sine morsu ambas has exercere qualitates.

Lib. 6. de simp. med. facult. titu. de aloe.

Bibitur

Bibitur vnius vel alterius, interim etiam trium drachmarum pondere, licet pro stomachi purgatione, Plinij & Pauli autoritate, vnam exhibere drachmam sufficiat, si vero ex iecori vicinis locis, vel ex iecore ipso vitiosos extrahere humores consiliũ est, duas sumere drachmas conueniet, perfectæ tamen purgationis gratia drachmas tres offert Dioscorides: qui vero amaritudinem eius non sustinẽt, Pauli decreto incatapotia quæ ciceris magnitudinem impleant coactam assumere poterunt, Mesues eius corporis ab auro vno ad drachmas duas porrigit, infusi vero ab auro vno ad drachmas tres; vt cunq; autem detur, semper cruda est offerenda, coctionem enim aut omnino nullam, aut exiguam sanè sustinet, vt ex Galeno liquet, libr. 2. de compos. medi. per genera, cap. 9. eam medicamẽto cum ab igne tollitur ponere iubente. Et licet aloë omnis actionis noxiæ expers omnino dicatur, vt supra visum fuit, Mesues tamẽ nihilominus ei hoc maleficium impegit, quod venarum ora adaperiat, vt per ea sanguis effluat. Sumpsit sane hoc Mesues ab Auicenna, libr. 2. canonis, tract. 2. cap. 5. in fine, quibus nonnulli ex iunioribus medicis contradicere aggrediuntur, probantes aloëm venas referandi fa-

Aloem vasorum orificia nõ aperire, probatur.

di facultate omnino carere, cum hæc testi monio Galeni lib.5.de simp.med.faculta. cap.14. à nulla medicina posit exerceri, quæ nimis acris & terrestris non sit, & ignea quadam prædita caliditate, in quo cœtu ciclaminus, allia, cæpa, fel taurinum, & vnguentorum nonnulla quæ simul crassarum sunt partium & acria, cuiusmodi irinum & amaracinum existunt, ac à Galeno recensentur; carere autẽ aloem omni acrimonia, & gustus ipse indicat, & Galeni au tatoris eam primo ordine calidam ponentis, probat. Præterea cũ Dioscor. sanguinẽ sistere per ora venarum ani emanantem, & Plin. lib.27.cap.4. sanguinem vndecunque fluentem arcere dicant, manifestè negare videntur, quod venarum ora aperiat, quorum testimonia Galeno consentiunt, lib.5.meth. cap.4. vasi fracto ad sanguinẽ sistendum aloem laudanti, quo loco inquit se nullum aliud ad hęmorragias præstantius adinuenisse medicamentum, quã id quod ex thuris parte vna, aloés partis vnius semisse cum oui candido liquore & mollisimis leporis pilis subactis constat. Matthias de Lobel inquit, innumeris ferè experimentis factis, certum esse, foris admotam venas claudere & sanguinem sistere, intro vero sumptam sanguinem atte-

Aduersario rũ, fol. 161.

nuare, calfacere, ac deducere ad venarum oscula ipsaque adeo vasorum extrema reserare, cui opinioni Ioannes Costæus adhæret eandemque mirrhæ exemplo probat, hanc enim, constat, sanguinem sectarum partium cohibere & muliebria ciere, idemquè centaurio & pluribus alijs esse commune testatur. Verumtamen dogma hoc à Iacobo de partibus assertum priùs fuit, quod.12.epistol.3. satis à Manardo cófutatur & insuper à supra allatis autoribus statim redarguitur, siquidem Dioscorides sanguinis reiectiones sistere scriptum reliquit, & Plinius sanguinem vndecumque fluentem arcere est testatus, & in eodem loco ait aloëm sanguinis excreationes si modicæ sint drachmæ pondere ex aqua, sin minus ex aceto potam sanare. Et quod magis recentiores mirentur id ipsum ex Auicenna probari non obscurè potest, siquidem is inter medicamenta, quæ ab hæmotoicis ad sanguinem compescendum bibuntur aloëm recenset, nec desunt medici, qui ei noxiam occultam proprietaté tribuant, quã certè si haberet, Dioscoridé aut Galen. aut Plinium plura de ea scribétes, non latuisset. Siquis tamẽ Mesuem defendere voluerit, dicere poterit cum Manardo epist.3.lib.2. illum non de quauis

In simplicia Mesue.

Mesues interpretatur à Manardo

aloe

aloë sed de maligna tantùm locutũ fuisse, quã supra veterinarijs deseruire, retulimus vel si de optima intellexit, dicendum id ea non per se sed ex accidenti facere, quatenus vel acres humores commouet a quibus venæ ipsæ reserãtur, vt ex Gale. colligitur lib. 6. apho. com. 47. quãquã hoc nõ ei magis sit peculiare quam cæteris purgãtibus medicamentis: verũ, etiã si clemẽs & præstantissima sit medicina, quia tamen summopere corpora exagitat atq; turbat, ab ea prægnãtes arcendas esse. 4. lib. apho. com. 1. censet Musa, Vis eius colagoga, sed adeo languida, vt testimonio Galeni, regionẽ ventriculi & intestinorũ nõ trãscendat; vel si multũ nitaris, loca tantũ, quæ in mesenterio sunt contingat. Mesues phlegmagogã etiã facit, quod probè intelligi debet, siquidẽ crassos humores etiã si sint in ventriculo, Galeno autore, trahere ob imbecillitatẽ nequit quare hoc Mesue dictũ de tenuibus humorib⁹ pituitosis seu ichoribus est accipiendũ. Ex duplici natura cõstare, amara scilicet. & adstringẽti lib. 6. de simp. med. facul. Gal. literis mandauit, cuius iudicio adstringit quidẽ modicè, sed fortiter amara est, ab his duabus naturis facultates eius (purgãs videlicet & corroborãs) emanare omnib⁹ in cõperto haberi, nã

7. Mech. c. 11.

Lib. 8. de cõp. med. secundum locos. c. 2.

purgatrix facultas à natura eius amara calida & superficiaria; corroborans, ab adstringente proficiscitur, quas facultates lotio seiungit: quo autem pacto aloe lauanda sit, infra dicemus: hinc est, vt dicat Galenus non elotam valentius vacuare, elotam purgare quidem minus, sed roborare ventriculũ magis: cui Mesues cap. de aloë & Auicenna subscribunt; hæc quæ elota est adeo paruissimè calet, vt eam Gale. lib. 8. de comp. med. secundum locos cap. 2. febricitãtibus exhibeat, dummodo febris vehemens non sit, nam si maxima est, dari non debet, cùm eiusdem Galeni testimonio, etiam lota infestissima sit, ijs qui ex intẽperie calida & sicca citra vitiatos præsertim humores affliguntur; vt hinc mirari subeat Mesuem eam offerri prohibere in frigidis temporibus, nam cauenda magis videtur in temporibus calidis, cùm, eo autore, sit calida & sicca ordine. 2. ac calidę & siccæ temperaturæ nocere sit apta. Manardus eum locum enarrans, inquit, quia bilem vacuat, quæ hyeme non abundat, ideo eo tempore Mesuem dandam nõ esse arbitrari, quæ expositio Mesuæ sententiæ haud quaquam consentit, cùm ex eiusdem opinione, pituitosos humores etiam expurget, qui hyemis tempore inualescunt.

Lib. 7. met. cap. 11.

13. 3. tract. 2. cap. 33.

cunt. Antonius Musa in in suo simpliciũ examine hunc Mesuę locum explicãs, ait, ob id aloem hyemis tempore prohiberi, quia Hippocratis testimonio, ventres hyeme calidissimi sunt, quibus ipsa suo calore obest, sed quã ipse sit à veritate deuius, norunt ij, qui in Galeni lectione mediocriter se exercuerunt, siquidem hic libr. 8. meth. cap. 9. iuxta medium, docet, à regione, anni tempore, & statu cæli vbi temperata sunt, similium præsidiorum sumendã indicationem esse, siue homines valeant, siue ægrotent, ab intemperatis tamen anni tempore, statu cæli, & regione semper esse indicationem contrariorum; quocirca cùm hyems tempus sit per frigiditatem intemperatum, oportet manifestam qualitatem præsidiorum, illius manifestę qualitati opponere; quod intuens Hippo. lib. 1. de ratione victus in morbis acutis comm. 41. vbi dolor aliquis vexauerit oxymel bibẽdum dare iubet, hyeme calidum, æstate verò frigidum: & lib. de salubri dieta in initio, hyeme potum, vinum esse debere, idque quam meracissimum adstruxit, quod minime esset facturus, si illud suo calore noxam allaturum esse putaret. Verumtamen vt ego censeo, ob id aloe à Mesue in hyeme prohibetur, quia hoc tẽpore crassi

uiscosique humores redundant, quos teste Galeno, ipsa trahere ob imbecillitatem nequit Auicenna lib. 2. tract. 2. cap. 64. ait: Dare autem aloem in potu in diebus frigoris est timorosum. Quandoq; enim edu cit sanguinē solutione qualiscūq; sit aloë. Et deinceps scribit quando datur ad potā dum in diebus frigoris timetur, quòd faciat solutione exire sanguinem: sed qua ratione id dicat, nescio. Ad hæc non mediocrem reprehensionem merentur nonnulli ex nostri temporis medici qui aloē unà cum alimentis deuorare præcipiunt, tradente Paulo mane tantùm & ieiunis esse sumendam, eos itidem taxans qui vespere illam exhibent, aut secundum cibū, quippe noxam infert hoc modo oblata, alimentum corrumpens & crudum in mēbra distribuens; ob quam inquam causam & quia tarde purgat, Mesuę sententia, diu ante escas est sumenda qua in re Plinius labitur lib. 27. cap. 4. parum ante cibum illam deuorare præcipiens. Datur Actuarij & Pauli decreto ijs qui capitis afficiuntur molestia propter ingētes halitus quos ad ipsum stomachus eructat, nam inutilium vaporum suppeditationem rescindit; præbenda quoque illis qui ob eandem causam vertigine, lippitudinibus, aut suffusionibus

Lib. 7. c. 4.

nibus laborant, & ijs qui re insuaui aut re-torrido nidore stomachum in vomitioné effundente corripiuntur; illis etiam quos præter rationem pallor decolorat aut quibus alui recrementa subductionem desiderant: præterea ictericis, capite grauatis, & ijs qui per somnũ imaginationibus torquẽtur sine febre. Mesues hepar etiã iuuare contendit eos obiter reprehendens qui illud ab ea lędi putarunt. Fuit huius opinionis Auicen. 14. 3. quod non absolute intelligi debet, quia in multis hepatis affectibus aloé prodesse cõperimus, cùm tamen in calida & sicca iocinoris intemperie & pręsertim sine materia, noxia valde sit, vt ex Gal. liquet lib. 8. de compo. med. secundum locos cap. 2. dicente, infestissimam esse aloé etiam lotã, ijs qui citra vitiatos humores ex intemperie calida & sicca affliguntur, proximam ab ijs cladem experti qui siccã intemperiem habent cum frigiditate implicatam, ob quam potissimùm rationem eam à senibus arcet ipse lib. 5. de sanitate tuenda capit. 9. Vtilis vero illis habetur quorum iecur aquosis & ichorosis humoribus refertum existit, vt pote illos expurgans & viscus manifestis qualitatibus iuuans. Superest vt modum quo lauari aloé debeat, ostendamus, nam hoc ad

Tract. 4. c. 13. iuxta finem.

capitis huius complementum deesse videtur; modus autem hic est: Accipiatur optimæ ac purissimæ aloes libra, & cum dupla aqua pluuia vel rosacea agitetur circum circa aliquandiu rudicula lignea in vase lapideo aut æneo, tecta sinatur subsidere horæ vnius spatio aut paulo diutius; tunc aqua supernatans inclinato paulatim vase abijciatur, mox alia noua aqua superfundatur, minori tamen quantitate, sic vt sit sexquilibra, hoc est libra vna, & semis: tribuletur, subsideat, aqua effundatur. Quod vice tertia faciendum est, & quarta aut etiá quinta, & sæpius si libet, nam quę diutius lauatur, vt purior & pellucidior ac roborátior redditur: ita minus purgatrix minusq; amara euadit, post multiplicem hanc lotionem, aloe ipsa, si tempus fuerit vernum sole, si vero hyems extiterit, léto igne est exsiccanda & ad vsus recondenda: Melius autem lauatio fiet ęstate, quo tempore, Galeno autore, metalla ac reliqua medicaméta lauantur. Eligitur autem in hac aloes lauatione aqua pluuia vel rocasea tanquá tenues & adstringentes, quocirca ob tenuitatem magis aloem peruadét, & adstrictione corroborantem eius facultatem intendent. Atque hæc de lotione aloes in præsentia dixisse sufficiat.

Lib. 1. de comp. medi. per genera. c. 10.

De

De Myrobalanis. CAP. VIII.

MYrobalana seu myrobalani, autore Actuario, fructus nobiles sunt, qui ad nos ex Ægypto syriaq́ue deportantur, carne corporis compactili; osse intus lignoso, quorum antiquiores medici nó meminerunt, iunioribus, ita vno ore asserentibus, non esse veterum myrobalanũ, hinc fit manifestum quod illorum myrobalanum, seu phœnicobalanum osse caret, vt supra cap. de tamarindis ostensum ex Plinio fuit; nostra tamen myrobalana ossa habent. Adde, quòd illorum myrobalanum vnguentis præsertim deseruiebat, quam ob causam glans vnguentaria fuit appellatum: nostrorum myrobalanorum nullus in vnguentis est vsus. Rursus, antiquorũ myrobalanum purgantis facultatis expers omnino erat, qua vi nostra non obscurè pollent. Actuarium tamen de ipsis fuisse locutum, ex loco superius citato fuit manifestum, qua in parte in numero eorum medicamentorũ quę aluum purgare dicũtur illos recésuit & in flauulos, chebulos, emblicos seiũgit, verùm quicquid de myrobalanis Actuarius scriptum reliquit, à Mauritanis, vt ipse quoque faterividetur, est mutuatus. Horum quinque fastigia Arabes medici posuere, quos posterior

Lib. de cõp. med. tit. de myrobolanorum generibus.

Myrobolanorum infastigia quinque distributio.

medicorum schola fuit subsequuta, quosdam appellant citrinos, flauos, seu luteos, quosdam Indos, nõnullos chebulos, alios emblicos seu empelicos, ac reliquos vocãt belliricos, quos omnes Ruellius lib. 3. de de natura stirpium cap. 42. describit, dicẽs luteos ex herbaceo colore flauescere, spissos, põderosos, exili siue paruo nucleo, cuteque crassa existere: Indos, à colore ceruleo sic dictos, ait solidos esse, sine nucleo, oliuæ forma, ad bilem atram deijciendam efficacissimos: chebulos cęteris ampliores grauiores, ex fusco rufescentes carnososque esse inquit: quemadmodũ emblicos cute ossibus inhærente preditos, lapillorũ pene figura, colore in cinereũ vergẽte. Belliricos maiores emblicis esse asserit, rotundos, pyri figuram æmulantes: vtrum vero omnes hi earundem arborum sint fructus vel potius diuersarum, controuersum est, Mesues quorundam refert opinionẽ arbitrantium, citrinos, Indos & chebulos eiusdem arboris fructus esse sola maturitate, vel immaturitate dissidentes, ita vt citrini sint immaturi. Indi vero maturi, & chebulos eiusdem arboris secundos esse partus in eodem anno proficiscentes. Alij Mesuę interpretes censent, solos chebulos & citrinos esse eiusdẽ arboris fructus, reliquos vero

vero diuersarum; Mesues quorūdam opinionem recenset, diuersarum arborū fructus esse credentium, ex eo quòd eorum facultates & opera varient, hos Matthiolus sequitur, verum, iudicio meo, illorum ratio imbecilla est, cùm constet omphacii succum & vinum ab eadem colligi vite facultatibus tamen obuersari; verum hoc quicquid sit, non multi negotij existimo, maioris tamen momenti est quæ illorum selectiora & vsui medicinæ magis conueniant inuestigare, quod perpendere hisce schematis operosum non erit.

In flauorum genere ea cæteris prȩstāt, quæ sunt.
- In viridi planè flauescentia
- ponderosa
- farta, hoc est carne multa & densa
- crassi corticis
- exiguo osse
- & si frangantur, gumosa.

E chebulis eaprobātur quæ cæteris sunt
- Crassiora
- colore nigro purpurescente
- cortice crasso
- & quȩ in aquam deiecta fundum quā citissimè petūt: quæ grauitas, multam carnem eamque compactam & magnitudinem illorū sequitur.

Inter

Inter Indica excellũt.	quæ maximè nigricant magna, crassa ponderosa nullo intus osse & quæ confracta in vnum compacta cernuntur
Empelica seu emblica ea laudantur quę diuiduntur in frusta.	Maiora crassiora densiora ponderosiora & quę minus ossis quam pulpæ habent.
Bellericorum verò illa in sua specie præferũtur quibus non desunt.	Crassities densitas grauitasque & quibus crassus inest cortex.

Quæ myrobalana maximè laudentur.

IN vniuersum tamen illa laudãtur, quæ sunt magna:grauia, vegeta, multæ & densæ carnis, bene habita, corpulenta, & quæ reliquas fructuum selectiores continent notas, à quibus quantum longius abscedunt, tantum deteriora iudicantur: rara vero carne quæ sunt prædita, lãguidiora existunt & insita facultate ac vigore carent.

Cæte-

Cæterum quia bellirica & empelica raro apud nos habētur, vel si habētur, vitiosa solent reperiri, ideo, Serapionis autoritate, pro bellericis, citrinis: pro emblicis, chebulis recte vti possumus Flaua, Indica, chebula, bellirica, refrigerare ordine primo, & secundo exsiccare: empelica vero primo tantum refrigerare tum exsiccare Mesues est autor: cui Musa & Matthiolus consentiunt. Dantur, testimonio Actuarij, contritorum seu in puluerem redactorum pondere duarum vel trium drachmarum, Mesues tamen audacior fuit in myrobalanis exhibendis, nam citrinorum puluerem à drachmis duabus ad drachmas quinque; maceratorum vero expressorum, à drachmis quinq; ad drachmas viginti exhibet: Indorum & chebulorum, à drachmis duabus ad drachmas quatuor; infusorum expressorum, à drachmis quatuor ad drachmas decem, quæ doses iudicio meo nimis excedunt. Cæterum hic obiter etiam constare potest, idquod supra est à nobis assertum, æquam nimirum cuiusque medicamenti portionem validius longe purgare per se totam deglutitam quàm eius solam infusionem seu macerationem ebibitam, cùm maiorem multo quantitatem infusionis myrobalanorum, quàm eorundem

pulue-

puluerem Mesues sumere permittat. Iaco bus Syluius caput de rhabarbaro enarrãs, inquit, quòd vbi series habet datur expres sum à drachma vna& semisse ad drachmas decem, legendum esse à sesquidrachma ad drachmas tres: nam censet (& recte qui dem) non fuisse tam stupidum Mesué, vt drachmas decem daret, quemadmodum omnes eius codices habent, quæ mensura si Mesuæ placuisset, (ait ipse) à drachmis sex, septem, vel circiter, ad drachmas decẽ scripsisset, non à drachma vna & dimidia, interuallo, scilicet inter hæc immodico, nec Mesuæ consueto, vt cæteras doses intuenti apparet: hæc Syluius quæ licet bene dicta sint, eius tamen censura duabus alijs eget censuris: prima quia non animad uertit infuso quàm contrito se maiorem purgandi vim tribuere, quandoquidem infusi tres drachmas porrigit, cõtriti vero quatuor, quod est Mesuæ ipsi aduersum vt ex his quæ modo de myrobalanis dicta sunt manifestè apparet, siquidem ille maiorem multo myrobalanorum infusorũ quantitatem dat quam eorundem tritorum: cõtrarium certe facturus si maiorem purgandi vim infusis ipsis inesse quam cõtritis putaret. Secunda, quia quemadmodum

dum restrinxit decem infusi drachmas ad tres, ita contriti quatuor ad minorem multo quantitatem restrigere deberet, quandoquidem non minus excedunt quatuor contriti drachmæ quam decem infusi, quocirca quemadmodum ex his sustulit septem, ita ex quatuor contriti debebat auferre duas, vel duas & semissem, quod non fecit. Quinimo tres infusi drachmæ licet tolerari possint iudicio meo modum excedunt. Verum, quia de his capit. de rhabarbaro abunde dictum est, idcirco ad ea quæ enarranda supersunt redeamus. Myrobalana mediocriter aluum subducunt vt scribit Actuarius, sunt namque hæc medicamenta benigna, tantum enim abest (si Mesuæ creditur) vt purgando vires deijciant, vt etiam cor, ventriculum, hepar, corpusque reliquum confirment, cogendoque in vnum roborent; atqui hac re vnica his incommodant qui sunt obstructionibus obnoxij, has enim excitant; eloti tamen vel vsti purgandi facultatem remittunt, sed corroborantem intendunt, chebula quæ sacchаro condita etiam ad nos afferuntur, magis roborant quàm deijciunt, quoniam vero nõ mediocri sunt prædita adstrictione,

Obstructionibus obnoxijs myrobalana incõmodant.

ne, prompte, vt dictum modo est, obstru- ctiones excitant, semelque excitatas impinguant, quapropter Mesuę consilio ab eis qui obstructionibus promptè appre hẽduntur, arceri debent. Myrobalanorũ omne genus illorum senectutem remoratur, qui eo frequenter vtuntur, faciei colorem viuidum reddunt, ori iucundum odorem conciliant, hilaritatem afferunt, cor, ventriculum, iecur, roborant, profluentibus hęmorrhoidibus succurrũt, ac bilis feruorem reprimunt: lutea corporis æstus refrigerant, accensam bilem deijciunt, oculis robur præstant, ac illorum caliginem & ruborem discutiunt, ad ipsosque peruenientes fluxiones reprimunt, quod præcipue efficere valent, si ab alijs ocularibus medicamentis adiuuentur vel in colirium hoc indantur, quod recipit aquarum rosarum, fæniculi, euphrasiæ, vini albi non conditi, singulorum vncias tres, & semissem, corticum myrobalanorum citrinorum drachmas duas, tutiæ præparatæ drachmam vnã sarcocolæ nutritæ drachmæ semissem, viridæ æris grana sex, bulliant omnia in ampula vitrea in cineribus calidis vsq; ad tertiæ partis consumptionem. Inda melanagoga experiuntur, tristitiam, euacuando causam eam efficientem abigunt, quartanis

his febribus medentur, lepras purgant, corpori priſtinum colorem reſtituunt, Chebula ſunt phlegmagoga, oculorum aciem illuſtrant, pectus repurgant, aquæ intercutem & longis febribus auxiliatur. Emblica pituitam trahunt, ventriculum purgant, eundemq́ue roborant, vomitum ſiſtunt, reſolutis neruis & veternoſis paſſionibus medentur. Bellirica purulẽtis opitulantur, venis ſedis ſanguinem profundentibus ſuccurrunt, capillos fluentes ſiſtunt, eoſdem etiam denigrant, ſi cũ melle & oleo amygdalino terantur. Actuarius myrobalana inter ea medicamenta quæ vomitum eliciunt, repoſuit, qua vero ratione inductus id fecerit, non conſtat, cũ omnia illorum genera experimento compertum ſit vomitiones compeſcere & nõ proritare.

Myrobalanorum genera vomitiones cõpeſcunt, nõ mouent.

De Turbith. CAP. IX.

TVrbith, quod iuniores medici turpetum appellauere, radicem eſſe herbæ lactariæ folia ferulæ ſimilia habentis, Meſues eſt autor; Actuarius pytiuſæ radicem eſſe dixit, antiquioribus Græcis medicis incognitam. Non eſſe Dioſcoridis tripolium, vt Syluius ſibi perſuaſus eſt, ex eo conſtat, quod nullo ſit præditum odore, nec guſtui acre agnoſcatur, nec in eo re-

Lib. de cõp. medicamẽtorum.

periatur qualitas aliqua preter salsedinem, & asperitatem. Cum tamen Dioscorides tripolij sui radicem acutam, gustuq; feruentem & odoratam esse tradiderit, turbith tamẽ Serapionis esse Dioscoridis tripolium vtraque capita conferenti apparebit. Non desunt qui arbitrẽtur, turbith, de quo Mesues verba facit, è tapsiæ radicibus exemptũ esse, quorũ opinio iure improbatur, eo quòd veterum nullus reperiatur, qui tapsiam lacteo succo turgere scribat, cum tamen Mesuæ turbith, à planta eximatur quæ plurimo lacte madet. Nõ minus etiam allucinatur Musa dum censet, Mesuæ turbith, Tithymali myrsinitis esse radicem eo quòd Tithymalus myrsinitis folia myrthi habet, turbith vero ferulę folia profert; quantum vero hæc duo folia inter se differant, neminem fore arbitror, qui nesciat: hoc nostrum cuius in officinis frequens habetur vsus, esse Mesuæ turbith, Matthiolus pro re patula habet, quare in tanta opinionum varietate tutius esse videtur eius loco vel agaricũ vel aliud phlegmagogũ medicamentũ substituere, quã radicem parum cognitam, & apud nostrates medicos controuersam, & adhæc viribus maleficis præditã vsurpare: si tamẽ alicubi illud vsurpandum est.

Eli-

Eligi debet
- Gummosum
- album
- vacuum
- arundinosum
- cortice cinericio
- recens mediocriter
- fractu facile
- in locis ficcioribus euulsum, quod quia lacte crassiori est, gummosius euadit & melius.

Improbatur
- Flauum
- nigrum
- crassum
- graue
- cortice crispo
- & cum frangitur, intus ceu neruos ostendens.

QVod recens ac vetustū est à medicis dānatur eo quod hoc imbecillū est, illud vero vehementer viscera conturbat, adulteratur gūmi liquato extremis corticibus, sed fractura, vt inquit Mesues detegit

 dolum

dolum adulteratum, namque fractum, gũmosum non est. Duo eius genera nostrates medici tradiderunt, vnum orientale dictum, aliud vero terræ patrio nomine sic appellatum, quod infimum est, & minime orientali præferendum: vocatur & hoc à Matthiolo psoudoturpetũ, quod ex Gargano Apuliæ monte conuehi scribit. In examine diaphiniconis quærit Musa vtrũ hoc in medicorum vsum debeat vsurpari, & respondens ait, in Mesuæ compositionibus illud turpetum esse accipiendum, quod illas habet notas quæ à Mesue referuntur, scilicet vt sit album, vacuum, arundinosum & gummosum & eius cortex sit cinericius, recens & facile frangibilis, quæ notæ cum in turpeto terræ potius reperiátur quam in orientali, sequi videtur secundum Musæ sententiam, terræ & non orientale esse sumẽdum cuius augere videtur opinionem, quòd orientale cum ad nos peruenit, ob nimiam vetustatem virtute ignauum sit redditum. Cæterum, iudicio meo, orientale semper est quærendum, in eiusque genere id eligendum quod prædictas notas magis obtinet; quòd si ad manũ non sit, vel si sit, iam dictis electionibus destituatur, eius loco alterum substitui iure optimo potest. Porro turbith omne mediocriter

In Mesuæ cõpositionib⁹, quod turbith, vsurpari debeat.

diocriter coquendum triturandumq; esse Mesues literis prodidit, cui quo ad coctionem spectat, omnes consentiunt eo quòd vehementior coctura ipsorum destruit facultatem medicamentorum purgantium, in tritura vero Musa ab eo dissentit in examine pilularum aggregatiuarum, colocynthidem & turbith in tenuissimũ puluerem redigi debere præcipiens, cui autem magis credendum sit, alibi dicemus; quoniam vero alicuius maleficentiæ particeps experitur, qua Mesues testimonio, stomachum ad nauseam subuertit & vsu crebro corpus extenuat, ideo ne ventriculum lacessat, stomachicis medicamentis aromaticis vt zinzibere, longo pipere, & Gallia muscata est corrigendum: Antea tamen quam eo vtamur, cortex ille cineritius inutilis ad album vsque abradi debet. Datur eius pulueris à Mesue à drachma vna ad drachmas duas, decocti vero, à drachmis duabus ad drachmas tres. Mesuæ adhæret Syluius. 3. ordine calfacit Mesuę, mihi non adeo impense videtur calfacere. Actuarius glutinosam pituitam trahere, & longis ægritudinibus mederi voluit. Datur magno iuuamento aqua inter cutẽ laborantibus, item elephanticis & lue gallica affectis, pulmonum fartus & articu-

Li. 2. meth. componendi medica tit. de recto vsu medicamentorum

Quib⁹ morbis medeatur turbith.

 lorum

lorum remotiora abditissimaque excrementa educit, decocto quàm infuso efficacius suas vires exerit, vt ex Petri Brugelij Louaniẽsis, Regij professoris, Matthias de Lobel probat suis decoctis vna cum polypodio inseri iubentis.

Lib. obseruationum, fol. 201.

De lapide Cyaneo. CAP. X.

PVlcherrimus apud nos extat lapis quẽ Græcia cyaneum, Latini cæruleum, vulgus medicorum & officinæ lazuli vocant, Mesues lapidem stellatum appellat, quoniam vt stella punctis quibusdam aureis irradiat, præsertim si aduersus solem aut ante aliam lucem ponatur, quem de specie marmoris esse tradidit Dioscorides, qui duplicem eius originem posuit, vel enim in ærarijs metallis in cypro effoditur, vel in arena littorali maris in quibusdã cauatis specubus inuenitur. Mesues itidẽ cyanei lapidis duas assignat species, vnam vocat Marchesitam argenti quæ à Græcis pyritis, quasi ignita dicitur; alteram lapidem lazuli, qui adeo clare loquitur, vt de excellentissimo Manardo iure optimo miretur Musa qui chaos hanc Mesuæ litteram esse dicat, præsertim cùm in eadem

Lib. 5. c. 56.

eadem minera quandoq; lapidem lazuli, & Marchesitam simul inueniri scribat.

Præstat Serapionis & Mesuæ autoritate.

- Auris scintillis stellarũ modo emicans
- colore admodũm cœlesti
- læuis sine asperitate
- purus sine alterius lapidis miscella
- grauis
- fractu contumax
- magnorum frustullorum.

DIoscorides inebriatum probat, hoc est, vt Matthiolus & Musa interpretantur, saturatum colore sui nominis; dicit etiam ex arena littorali fossum præstantiorem esse in ærarijs metallis orto. Nescio tamen quo fundamento ductus Musa aduersus rationem & Mesuem, leuem & friabilem tanquam præstantiorem laudet, marmoreus enim cum sit grauem & fractu contumacem ipsum debere esse, præter Mesuẽ & Serapionis testimoniũ, ratio etiam suadet; inuenitur in plurimis Europæ fodinis æris, huius lapidis atq; marmorei haud exiguus prouentus quo Galliæ Belgicæ pictores colores parant, attamen nullus in his locis cæruleus reperi-

 tur

tur lapis qui aureis fulgeat ſcintillis, quo fit vt talis tum facultate imbecillior, tum ignobilior habeatur, nam præſtantiſsimus ille in cuius fracturis vel vt ſtellæ quędam aureæ cernuntur quique magno æſtimatur pretio tantum in auri mineris, in oriẽtalibus regionibus foditur, colore cæleſti pulcherrimo præditus, quo fit vt ijdẽ maximo pretio à pictoribus ad cæruleum colorem conficiendum ematur.

Improbatur	Albus impurus Marcheſitæ mixtus macularum expers leuis aſper

MAlus vſtione nigricat, verus vrendo cæruleus magis euadit; non defuerunt medici qui haud ſecus quã perniciosum venenum cyanæũ lapidem exhibere reformidarent, ducti autoritate Auicennę dicentis, ipſum facultatem habere putrefacientem, vſtoriã, vlceratoriã; cui ſentẽtiæ videtur cõſentire Dioſcorides, inquiẽs, ipſum vim habere erodentem, cruſtas gignentem, & exulcerantẽ, quocirca perperam

Lib. 2. cano. trac. 2. c. 57.

loco ſupra citato.

iam & magno mortalium damno hunc à Mesue exhiberi contenderunt, quem ipse vlceratiuum & putrefactiuum esse asseueret, quorum opinioni fauere visus est Galen. lib. 13. metho. cap. 20. ea medicamenta deuorari prohibês quibus corruptrix vis inest admixta, veluti calcanthum mysiori aliaque id genus, verum hæc omnia de nõ loto sunt intelligenda, bene enim ablutus multum iuuare, & nihil vel parum lędere, multiplici experimento cognouit Manardus, quem Syluius & Matthiolus sequuntur, abluitur enim vt inquit Mesues eo modo quo lapis Armenius, quoniam vtrisque communes sunt noxæ; quare quem abluẽdi modum in Armenio reperiemus, eundem in cyaneo nos reperisse certo sciemus, In lotione Armenij lapidis aliquãtulum dissentientes medicos video: Mesues tritum in vase lapideo aqua dulci & clara lauat, trigeties ipsa aqua mutata, deinde decies lauat aqua rosarum. In veteri Alexandri Tralliani codice lib. 1. cap. 17. titu. quomodo lapis Armenius exhibeatur, legitur lapidem hunc eluendum esse vsque ad quinquagenas vices, nouus legit vsque ad duodenas, Manardus veterem codicẽ sequitur, iubens per quinquagenas vices lauare, post quas ter aqua rosacea abluendum

Li. 15. epist. epis. 3. & in enarrationib. in Mesuem, Matthiolus lib. 5. in Diosc. ca. de ceruleo.

Lib. 3. epist. 2. & in enarrationibus in Mesuẽ.

dum esse censet, tutius vero putat, iuxta Galeni sententiam, toties obluere, aquamque tandiu mutare, donec aqua ipsa pura ab omni sorde videatur omnique sapore odoreque medicamenti omnino careat, quod fere post quinquaginta ablutiones fieri ait: docuit sane hunc modum Galen. lib. 2. de simp. med. faculta. cap. 15. non peculiariter de hoc lapide sed in vniuersum de qualibet re lapidosa atque metallica, ex crebra enim hac lotione cunctæ hæ castigari queunt, nam per eam sordidiores partes quæ corrumpunt, segregantur, & acriores quæ vrunt, diluuntur, temperanturque. In qualibet lauatione viginti quatuor horarum consumi tempus debet, quemadmopum decernit Gal. libro. 1. de compo. medica. Secundum genera capit. 10. vbi conuenire dicit toto die diligenter conterere quálibet rem metallicam, & ipsam mox cum liquore per noctem relinquere, postero die mane illum liquorem auferre, & alium mox super infundere, postea rursus terere similiter, iterumque sequenti aurora liquorem emittere; docetque medicamenta hæc & alia quæ lauatione indigent, æstate lauanda esse, & quod de metallicis docet, idem de lapide isto est intelligendum: verum quia lapis cyaneus eas-

Quo tēpore metallica & lapis cyaneus lauari debet.

dem

dē facultates habet, quas Armenius, propterea Serapio de lapide lazuli differens, lazuli vires & Armenij vna commiſcuit vt vtriſque eaſdem vires ineſſe oſtenderet cum & colores etiam in idem inclinare videantur, cuius videtur augere opinionem quòd hoſce duos lapides in eiſdem proueniunt metallis & promiſcuè nōnunquam oriantur, adeò vt viſum ſit cærulei fruſtum Armenij non modicum continere, quæ omnia argumento ſunt parem fere facultatem, vel non multum diſsidentà hoſce lapides habere. Cianeus, Meſuæ teſtimonio, ordine ſecūdo calfacit, exſiccat. 3. licet exurere, cruſtas facere, & exulcerare effectus ſint maioris caloris quàm ſit calor ſecundi gradus; datur vt idem Meſues tradit à drachma vna ad drachmas duas & ſemiſſem. Galen. lib. 9. de ſimp. med. faculta. cærulei lapidis vires referens ſic ſcribit: cyanos medicamentum acri eſt præditum facultate, habet etiam vim detrahentem quam καθαιρετικὴν vocant. Ineſt quoque ei nonnulla adſtrictio. Hæc Galen. Quæ ſane non animaduertunt qui dicunt cæruleo huic lapidi deiectoriam vim antiquiores Græcos tribuiſſe, cum ex præfata ſerie conſtet, Galenum in eo non deijcientem facultatem

tem agnouisse sed detrahentem seu demolientem, quæ à purgante lõge diuersa est, quare videtur vim purgatricem lapidis huius ab Arabibus fuisse expertam, quod mirum nulli videri debet cum quam plurima inuenerint Arabes quæ à Græcis omissa sunt, vt de casia tamarindis, rhabarbaro, & plerisque alijs supra à me est enuntiatum, antiquiores Græcos dixi, nam Alexãder Trallianus in eo facultatem purgãtem cognouit, aitque illum albo veratro esse præferendum. Purgat melancholiam & nigros atque exustos humores, obid affectibus melancholicis, maniæ videlicet, melancholiæ mœrori, ictero nigro confert, à lepra præseruat, incubo & quartanæ febri auxiliatur, animum exhilarat, tristitiam abigit, corpus floridũ & iuuenile diu tuetur, thoracem & pulmonẽ à crassis & lentis humoribus expurgat.

Purgatrix cyanei lapidis facultas ab Aarabib⁹ reperta.

De *Alsebran*. CAP. XI.

ALsebran speciem esse herbarum lactariarum, & rusticorum purgatiuum nominari, Mesues est autor, qui vt inquit Manardus, potius in species distinguit quam ostendat quale id medicamentum sit: eius duas asignat differentias, vnam magnam

magnam, alteram paruam, magnam radici bus rotũdis, magnis, densis, graui siue crasso cortice intectis constare scribit, sicuti paruam radiculis exiguis, tenui cortice obuolutis. Vtrunque alsebran tam magnũ quàm paruum officinæ esulam sine errore prorsus nominant, quam itidem iuxta Mesuæ sententiam, in magnam & paruam diuidunt. Hæc communis qua vtimur citra dubium minor est esula officinarum, & minus alsebran Mesuæ: sed quo pacto apud Græcos & reliquos Arabes hęc vulgaris esula nuncupetur, iudicatu difficile est, nam res adeo est cófusa vt arduum sit veritatem ad vnguem perscrutari, Manardus hac in re anceps adeo existit vt nihil de ea certi pronuntiare audeat, dubitatq; primum an sit tithymalus cyparisias Dioscoridis, vel sit alia tithimali species quę paralyos nuncupatur vel potius sit pitiusa: quam ambiguitatem parit harum trium plantarum inter se maxima similitudo vt illarum capita inuicem conferenti cuilibet constare poterit, magis tamen suspicatur paralyon esse quam pituisam. Musa intrepide affirmat, vulgarem hãc nostram esulam quæ in communi est vsu, apud Mesuem esse minus alsebran, apud Auicenã absolutè alsebran, apud Dioscoridẽ illam tithy-

Qua in re Manardus anceps existat.

Antonij Musæ de vulgari hac nostra esula opinio.

tithymali speciẽ quæ paralyos quasi maritima nũcupatur, eo q̃d in locis maritimis vt plurimũ nascitur apud Serapionẽ tertiã tithymali speciem esse arbitratur: quæ sua Arabica lingua dicitur mingahath; quã vero ipse alsebrã seu sebrã nũcupat, & eius interpres esulã vertit, tenet nostram esulam haudquaquã esse, nec Mesuæ alsebran, nec etiã tithymalũ paralyõ, sed Dioscoridis pituisam, de qua ipse post species tithymali iterũ tractat, Syluius lib. 1. metho. cõponendo. medicamẽtorũ opinatur esulã Serapionis esse Dioscoridis pituisam, Mesuæ & Auicẽnæ esulam, paruã esse tithymalũ qui platiphilos à Dioscoride nũcupatur, Matthiolus negat minus alsebran Mesuæ vel alsebran simpliciter Auicennæ idem esse cùm tithymalo à Dioscoride vocato paralyos, eo quod tithymalus iste, vt inquit Dioscorides, in maritimis nascitur, ramis subrubentibus vnius palmi altitudine, quinis, senis ve à radice exeũtibus, folijs lini, capite in acumine orbiculato in quo semen vt heruum vario colore emicat, flos ei albus, quæ omnia ab Auicenna & Mesue tacita sunt alsebran describentibus, cũ solũmodo scribat Mesues minus alsebrã plantã esse lactariam exiguis radicibus prędità, ex quibus dicit illas esse meliores quę ali-

Quid de hacre Syluius opinetur.

aliquantulũ casſiç modo rubeſcũt, Auicẽna vero de alſebrã verba faciens, ſolũ dixit ipſum in hortis naſci caule tenui & hirſuto, ex quibus deſcriptionibus nullo pacto colligi poteſt plantam hanc lactariam, eſſe Dioſcoridis paralyon. Reprehenditur Muſa ab eodẽ Matthiolo tenẽs maius alſebran Meſuę idẽ eſſe cũ tithymalo à Dioſcoride vocato platiphilo, cũ nec folia verbaſci habere nec facultatẽ poſsidere piſces necãdi à Meſue ſcribatur. Veruntamẽ tenet maius alſebrã Meſuæ, idẽ eſſe cũ mecerehigi Auicennæ, quia mecerehigi ab Auicenna deſcribitur plantã eſſe zebran maiorẽ, colore tamẽ cinericio prędità, & Meſues dicit maius alſebran radices habere rotũdas & craſſas quæ omnia ait inter ſe ſatis conuenire. Matthioli tamen ſententia eſt minus alſebran eſſe tithimalum cypariſſiam, eo quod tithymalus hic folia prinea recenter naſcentia habet vt Dioſcorides eſt autor qđ etiã minori eſulæ Matthiolus tribuit, mai⁹ vero tenet eſſe pytiuſam, eo qđ pytiuſa, vt inquit Dioſcorides, folia pini producit & radice cõſtat craſſa. meſues mai⁹ alſebrã radices rotũdas magnas dẽſas obtinere prodidit, quæ etiã eſulæ vox quaſi abſciſſa à pytiuſula, primum .u. in .e. mutatum videtur, porro eſula cũ linaria haud exi-

Matthioli de alſebran opinio.

exiguam similitudinem obtinet, verum lacte discernuntur quo linaria caret, esula habet vt carminulũ hoc demonstrat, Esula lactescit sine lacte linaria crescit, vnde aliquis coniectari posset illã esse tithymalum paralion, quod docente Dioscoride, folijs lini nascitur, verùm cũ minoris esulæ vsus tantùm sit in compositionibus Mesuæ & Nicolai Alexandrini, & hæc vere sit illorum minus alsebran, ideo quod tithyli genus apud Dioscoridem sit, non esse magnopere curandum censeo, præsertim cùm non multum referat in hac vel in illa tithymali specie eam collocare, cum omnes (vel eodem Dioscoride attestante) eiusdem fere sint facultatis.

Minoris esulæ tantũ in Mesuæ & Nicolai Alexandrini compositionibus vsus est.

Esulæ

- Esula
  - Selecta
    - parua
    - cortice radicis
      - tenui
      - leui
      - friabili
      - subrubro casiæ ligneæ modo,
    - collecta veris initio
    - & in vsum veniens post sex menses à collectione
  - improba
    - magna
    - recens
    - nigra
    - orta loco aliquo prope thermas
    - vel propinquo serpentum cauernis

Esula magna ab vsu medicinæ abigitur.

Magna ab vsu medicinæ abigitur, quia Mesuę autoritate, viscera exulcerat atque ob id merito perniciosa, venenosum ac maleficum medicamentum est esula, ingentique pernitie atque malitia sumentiū corpora conturbat, cordi, ventriculo, hepati insigniter nocet, viscera excoriat, venarum ora disrumpit & suo calore febres inflammando excitat; atque hisce de causis si alicuius alterius medicamenti præcipuè huius vis & facultas coerceri, eiusq; immodicus calor extingui debet, quod licet multis vijs fieri possit, vt Mesues docet, vulgaris tamen modus ille est qui per macerationem in aceto vnius diei ac noctis spatio perficitur, quòd si in aceto cotonea mala myrobalana ve aut maduerint aut elixa fuerint, adhuc ipsius esulæ præparatio prestantior multo reddetur. Infunditur etiam in lac sæpe mutatum, vt Auicenna cap. de febran sentire visus est, cuius etiam præparandi modi non immemor fuit Mesues. Serapio per diem & noctem in lacte macerat atq; bis vel ter lac in hoc tempore mutat vt ipsius siccitatem corrigat & eius acrimoniam refrangat, quod tamen lac huic negotio sit accipiendum silentio prætermisit Serapio, & licet parum referre videatur hoc vel illud lac desumere,

Esulæ vis perniciosa quo modo coerceatur & castigetur.

Cap. 371.

re, mea quidem sententia, asininum est accipiendum Esula Mesuæ autoritate, excalfacit & exsiccat ordine tertio, Paulus lib. 7. cap. de tithymalis, omnes tithymalorum species quarto gradu excalfacere affirmauit, ex quo inferri posse videtur, cùm esula è tithymalorũ sit genere quarto ordine excalfacere: Galen. vero lib. 8. de simpl. med. facul. titu. de tithymalis hunc ordinem posuit inter lactariarum partes vt succum fortissimum, radicem debilissimam, semen & folia in medio reponat. Datur à siliquis duabus vsque ad siliquas septem, purgat vehementer pituitam, aquas, atram bilem etiam ab articulis, ob idque horũ doloribus hydropi, apoplexiæ, & omnibus malis à pituita & glutinosis humoribus ortis confert: scripsit autem Mesues quod sedere in aqua frigida superfluam eius abscindit purgationem, quam sententiã sumpsisse videtur ex Auicenna cap. de febrã: hoc fit velut inquit Mesues, protrusis à se materijs ad meatus per quos sunt vacuandæ: vel potius dicendum (quemadmodum sensit Manardus) ex parua mora fluxum illius augeri & ex longa tolli frigoris vim ad intima attingentem ac velut torporem humoribus inferentem.

Datur à Mesue cortex radicis à siliquis duabus vsque ad siliquas septem: lac vero à siliqua vna vsque ad tres.

Cur sedere in aqua frigida esulæ superfluam abscindat purgationem.

De Fumaria. CAP. XII.

Dioſco lib. 4.c.5. Plin. lib.25.c.13. prope medium.

FVmaria, quæ officinis fumus terræ nuncupatur, Dioſcoridis & Plinij ſententia herba eſt fructicoſa, prętenera, folijs coriādri, cinericij coloris, flore purpureo, in ſegetibus & in hortis paſsim proueniēs: fumariæ vero nomen ſibi adſciuit quòd eius ſucco oculis immiſſo (quibus mirifice claritatē conciliare creditur) lachrymas quemadmodum & fumus ciat, ita Plinio & Galeno ſcribentibus, tali etiam poteſt nomine inſigniri quia fumi inſtar à terra exit, aut quia fumum à terra prodeuntem æmulatur: medicamentum eſt innocens ac valde ſaluberrimum, quia tamen magna vbique copia luxuriat (vt ait Meſues) vileſcit.

optima eſt { viridis, tenera, folijs { teneris, planis, non criſpis }, flore ſub violaceo, medio vere cū flore collecta. }

Meſues quoſdam refert, fumariam, frigidam eſſe affirmantes in quorum cætu exiſtit Auicenna, cui multis modis aduerſatur Manardus lib.12.epiſto.6. Primo quia

Lib.2.c.275

acris

acris & amara qualitates in ea vincentes, ca
liditatem perpetuò præseferunt, quæ cali
ditas ab exigua acerbitate quam obtinet,
remittitur quidem, verùm non tota obtũ
ditur: demonstrant non minus calidam es
se illius opera & effectus, quandoquidem
obstructiones hepatis sanare, & multas vri
nas biliosas prouocare haud leuia indicia
sunt caloris; modice tamen adeo calefa-
cit vt, teste Aetio, in febribus tuto posit
exhiberi: quapropter Mesues in superfi-
cie calidam & in profundo modice frigi-
dam esse statuit, sicca tamen est ordine se-
cundo. Datur à Mesue succus eius ab vn-
cia dimidia ad vncias duas, puluis, à drach
mis tribus ad drachmas quinque: decoctũ
ab vncijs decẽ ad vncias quindecim: succi
tamen dosis adeo exigua est vt credat Ma
nardus vix tam mollem ventrem reperiri
posse qui ea quantitate leniatur; quapro-
pter Auicenna & Serapio ab vncijs qua-
tuor ad vncias octo offerre audẽt, fuisseq;
quosdam refert Manardus qui Auicennæ
etiam modum longe excederẽt: quocun-
que tamen modo præbeatur semper cum
saccharo aut melle est dulcorãda, nã adeo
amara est & sumentibus insuauis vt sola
per se præhorrore bibi non posit: Quia ta-
men mixta, eademque contraria, puta acri

Aetius li. 5. ser. 1. c. de tu more, sic ait, dato cõfidenter & decoctum ipsius quomodocunque febrictibus.

Auicẽna loco citato. Serapio. c. 71.

amara atque acerba est substantia prædita, diuersos eosque cõtrarios exerit effectus, nam ab illa purgatoria, tenuans, penetrãs, obstructa aperiens efficitur, ab acerba autem & styptica, ventriculi, iocineris, cæterorumque viscerum laxiorum & molliũ existentium, roborans. Quapropter Mesue sententia ad actionem nullo externo eget auxilio cum per se purget & roboret, licet Galen. lib. 7. de simpl. med. facul. plebeium quendam referat qui ea sicca cum vino vtebatur ad ventriculum roborandum: cum melicrato vero ad aluum subducendam. Purgat bilem, falsos ac exustos humores & eos qui in melancholiam iam degenerarunt, etiam ex venis ipsis, qua de causa purum clarumque sanguinem efficit, ob id mire prodest morbis à prædictis humoribus ortis lepræ, scabiei, pruritui, impetigini, serpigini, maniæ melancholię, febribus quartanis. Quæ præsertim eius infusum cũ senna & polypopio pręstat: qđ in hunc modum solet parari, accipe fumanæ semimanipulum, sennæ vnciæ semissem, polypodij drachmas binas, epithymi drachmam, gariophilorum obolum: fumaria manibus contorta ac reliqua contusa per integram noctem in vntijs decem aut libra vna seri caprini vel bubuli calidi obtu-

Fumaria quib' morbis auxilietur.

turato bene orificio vasis madeát, serũ mane colo transfusum cum pauco saccharo bibatur. Describitur hæc potio fumaria dépta à Manardo epistola quinta libri decimisexti, cuius vsum tertio quoq; die esse debere dixit.

De Asaro. CAP. XIII.

VEtus quidem error increbruit apud nostrates medicos & seplasiarios, vt promiscuè & sine delectu pro asaro bacharam accipiant, putantes, asarum à bachare nihil differre. Animaduersus fuit hic error, primum à Musa mox à Matthiolo. Nã siquis Dioscoridem & plinium recte consideret, inueniet certè bacharam & assarũ duas esse plãtas, siquidem Dioscorides de eis sub diuersis capitibus disseruit: certe error iste emanauit ex eo ꝙ multæ bacharis notę in asaro reperiantur. Porro hoc, referentibus Plinio & Dioscoride, ab aliquibus syluestre nardum appellatur, quia nardi vim habere Plinius asseuerat, quocirca asaro pro nardo uti, præter rationem non erit. Asaron autem vocitari, inuenit Ruellius, quoniam in coronis nó addatur, quasi in manualibus scopis, quæ odoris gratia gestantur, minime solita sit herba hæc inseri: in eo vero describendo ijdẽ autores consentiunt, prçterquã quòd verba illa

Plin. lib. 12. c. 13. Dioscorides. 1. lib. cap. 9.

Lib. 1. de natura stirpiũ ca. 20. parũ post principium vide Plinii, lib. 21. capi. 6.

Dioſcoridis, minoribus multo quam hederа folijs conſtat, in Plinianis codicibus non legũtur:quod aliquibus occaſionem præbuit putandi ſeriem hanc literæ Dioſcoridis adſcititiam eſſe, præſertim cùm dicat aſarum maioribus multo folijs quã hederam ſpectari, quale etiam ſenex ille apud Muſam in ſuo horto ſatum habuiſſe fatetur. Verum, iudicio meo, nõ ob hoc Dioſcoridis litera culpandanda eſt, quia vt Muſa prudenter animaduertit, loco humido, qualis eſt ferrarienſis, maioribus hederæ folijs naſci, mirum non eſt, cùm ſiccioribus locis minoribus multo proueniat: additum eſt etiam à Plinio ſemen acinoſum & ſaporis calidi ac vinoſi, quæ verba malè intellexit Marcellus pro vinoſo venoſum legens, qua in re merito taxatur à Ruellio, nam præterquã quod nullus ſapor vinoſus ſit guſtus ſi cõſulatur, ſemen aſſari plane ſaporem vinoſum refert.

Lib. 2. de natura ſtirpiũ cap. 8.

Eligi debet Meſuæ teſtimonio, Radice { magna / aromatica / ſapore acri / parum ſtyptico. }

IN temperamento eius aliquantulú medici dissentiunt, nam Auicenna & Mesues. 3. ordine calidum & siccum constituunt, Musa non in eo tantam sentit caliditatem nec siccitatem, vt. 3. ordine calidú & siccum dici mereatur. Reprehendédus etiam Mesues est, quia ex mente Dioscoridis calidum secundo, & siccum tertio efficit, cum nullibi Dioscorides qualitatum gradus medicamentis posuerit. Vnum tamen non est prætermittendum, quod Galen. & Auicenna animaduertunt, assarum eadem facultate qua acorum esse preditú, valentiori tamé, quare optima ratione eo pro acoro vti possumus. Nó videtur tamē Galen. vim purgatricem in assaro cognouisse siquidem lib. 8. de comp. med. secundum locos cap. 2. in hierapicra assarum recipiéte, solam aloem purgatoriam vim habere scripsit, verumtamen in assaro itidē hanc vigere facultatem experimento cōpertum habemus: debemusque huius rei, vt multarum aliarum notitiam Arabibus, Græcis namq; est hec facultas ignota, etiá si ipsi & menses & vrinas ciere, ac Dioscorides eius radices senis drachmis ex aqua mulsa potas menses trahere, & veratri albi modo purgare (hoc est vt ego quidem intelligo per vomitú) prodidere, verumtamen

Lib. 2. trac. 2. c. 4.

Lib. 1. de sim. p. med. facultat. & Auicenna loco citato.

 men

men quod per aluũ etiã ipsum educat, & quid educat ipse Dioscorides pariter ac alij Græci silentio prætermiserunt. Purgat Mesuæ sententia, vomitu & deiectione & vrinis bilẽ, sed pituitã manifestius etiã exilibus, ischio, & alijs articulis, ob id harum partium dolores mitigat præsertim infusum vel aliter exhibitum; adhæc tenuat, discutit, obstructa hepatis & lienis reserat, ac horum duritiẽ soluit, febres putridas, diuturnas, icterum, hydropẽ sanat, & eius oleum cum ladano spinæ illitum sudores mouet, mustum illius radicibus conditũ, post tertium mensem hydropem & splenem curat, lixiuium in quo asarum decoctum est si eo caput lauetur, cerebrum roborat, memoriam auget, succus eius cum pompholige caligantibus oculis confert, & mediocrem coctionem & trituram, Mesue autore, sustinet.

De Polypodio. CAP. XIIII.

POlypodium vulgaris admodum notitiæ est, manifestiusq́; quam vt delineatione opus habeat. Cui ex similitudine, quam eius radix cum scyrrhis, seu nodulis, acetabulis ve polypi piscis obtinet, tale est inditum nomen. Quapropter polypodium quasi paruus polypus dictum est,

quales etiam fere corali albi noduli sunt; appellatur etiam filicula à similitudine foliorum cum filice. Prouenit, (vt autor est Dioscorides) in vetustis arborum caudicibus, presertim quercuum, & in musco sis petris, seu in humidis rupibus. Dioscoridi subscribunt Mesues & Plinius, atque Serapio; verum Mesues id quod in arború truncis gignitur, altero præfert quod in petris nascitur, eo quòd hoc suo quodam exuberante incoctoque humore maxime ventriculo sit noxium, ipsumque subuertat, ac flatibus repleat. Quam sententiam recentiores medici sequentes, quoties polypodium ministrare studét, semper quercinum recipere iubent.

Plin. lib. 26. c. 8. Scrap. c. 248.

Præstat Mesuæ sententia.
- Quercinum
- magnum
- recens
- solidum
- nodosum
- foris ex nigro rubescens colore intus herbaceo, vt pistaceum,
- sapore
  - dulci
  - austero
  - subamaro
  - nónihil aromatico

Caco-

CAcostomachum esse, nauseã & subuersionem parere, scribit Mesues, cui sententiæ suffragatur Plinius stomachum ab eo offendi asseuerans: quibus reclamat Manard. testimonio Auerrois dicentis, se curam esse medicinam & meliorem epithymo: sed eius etiam qualitates non inimicari stomacho ostendere videntur, cũ ab austeris, subamaris & aromaticis, ventriculum potius iuuari quam lædi videamus, Auicenna calidum ordine secundo statuit, Mesues calidum in tertio, siccum in secundo esse protulit, qui duobus modis aberrat. Primo, quia ex mente Dioscoridis, id asserit, cùm constet nullibi Dioscoridem id dixisse, nec alicubi qualitatum gradus medicamentis consignasse. Secundo quòd cum Galen. exsiccare dicat absque morsu, nec aliam qualitatem præ sese ferat, quàm dulcem & acerbam, non est cur tam calidum sit putãdum. Quare ratione sanè optima censet Manardus magis hac in re esse Auerroi, illud temperatum ponenti, quàm Mesuæ & Auicennæ credendum: corpora nimis extenuare & exsiccare Mesues affirmat, cui refragatur Manardus eo quod cũ leuiter purget, nec excellẽti aliqua (vt dictum est) polleat qualitate, non est cur corpora extenuare possit. Verum

Plin. loco superius citato.

Polypodij qualitates illud non inimicari stomacho ostendere videtur.

rum cum Galenus, & Paulus dicant, poly podium facultatis esse admodum exiccãtis, non citra rationem Matthiolus à Manardi calumnia Mesuem tutatur. Nam quod potenter exsiccat, potenter etiã extenuare valebit. Datur à Mesue à drachmis duabus ad aureos quatuor, hoc est ad drachmas circiter sex. Serapio ex mente Auenmesuaid, decocti, aut infusi eius exhibet à drachmis duabus ad drachmas quinque, & sine decoctione aut infusione à drachma vna vsq; ad drachmas duas: Manardus sępe integram vnciam obtulit, parumque, & sine molestia eduxit; bilem & pituitam euacuare dixit Dioscorides, cui Plinius consentit: Mesues atque Serapio bilem atram, crassamque pituitam purgare prodidere, Galen. in libris de simpl. med. facult. polypodij vim purgatricem reticuit, quam tamen non ignorauit, lib. 13. metho. cap. 15. iecoris cauum filicula per ventrem expurgare præcipiens. A iunctituris prædictos humores attrahere, Mesues literis mandauit, cui ego non consentio, cum à Galen. loco citato in catalogo medicamentorum aluum modice deijciẽtium recenseatur, ibidemque ponatur in eodem censu cũ vrtica, epithymo & mercuriali; quartanis, duritiei lienis & omnibus

Polipodiũ aluũ medice deijcit.

bus affectibus melancholicis atque colico dolori prodest, præsertim si iusculum galli veteris cum eo elixi sumatur.

De Iride. CAP. XV.

IRidis nomen licet de tota planta dicatur, pro sola tamen radice apud nostrates medicos solet vsurpari, Galen. primas Illyricæ dedit, quæ à Lybica vel Africana tantum differre ait, quantum à viuo corpore mortuum, facit certe regio atque ipsa cęli facies & soli varia natura, vt alia alijs in locis & nascātur fœlicius & proueniāt temporius, & seruentur atque perennent diutius, nam vt inquit Poeta, leges æternaque fœdera certis imposuit natura locis. Hinc fit vt iris in Illyrio optima nascatur, sicuti petroselinum in Macedonia & asphaltum & opobalsamum in Palæstina, vt ex omnium herbariorum sententia loco supracitato scribit Galen. Illyricā duorum generum esse dixit Plinius lib. 21. capit. 5. vna quæ à similitudine raphanitis nuncupatur, altera, rizothomos appellata, rufi quidem coloris, sed raphanitide inferior.

Lib. 1. de antid. tis cap. 12.

Lib. 1. Georgicorum.

Diosco-

Dioscoridis testimonio laudatissima est
- Pumilla & densa radice constans.
- frangenti contumax
- subrufo colore
- gustu amaro
- odore perquã syncero
- nullum prorsus
- situm redolente

Marthiolus Plinium reprehendit, sed nõ merito.

MAtthiolus reprehendit Plinium laudantem iridem albi coloris, quia dicit ex Dioscoride constare, non hanc, sed rufam præferendam esse. Verum, iudicio meo, Matthiolus id non merito facit, quia Plinius non laudauit albã iridem, sed dixit raphanitim esse meliorem, quæ licet colore subrufo careat, alias tamen habet perfectiones, sicuti rizothomos, licet coloris sit rufi, quia tamen alijs electionibus destituta est, ideo raphanitide inferior iudicatur. Quod autem semper Plinius voluerit præferre iridẽ rufescentem, constat ex eodem infra cap. 20. dicente rufam candida meliorem esse; Gale. etiã. 1. de antidotis. c. 21. iridem odoratiorem eligendam esse monuit, eius eo loco hæc sunt verba. Iridẽ igitur sicuti & reliquas medicinas odoratiorẽ semper eligito, vnumquodque enim optimum

timum eſt, quod ſui generis odorem vehementiorem habet, atque in guſtu quidem, perceptis qualitatibus, eodem modo cenſendum eſt: id enim optimum medicamentum eſſe conſtat, in quo id quod ſui generis proprium eſt, exuperat, peſsimum vero quod ſui generis alijs & exilius & tenuius eſt, meliora namq; ſunt in omni ſpecie quæcunque nec exilia, nec rugoſa ſunt, vt pote quæ conuenientẽ ſibi magnitudinem attigere. Cum itaque præcipua iridis dos, vt ex hoc Galeni loco conſtat, in odore conſiſtat, ſemper exſiccata (niſi cum ſuccus expetitur) eſt accipienda, viridis enim, aut nihil, aut parum olet; exſiccata odoratior redditur, vt autor eſt Theophraſtus lib. 6. de cauſis plantarum, cap. 17. ſic ſcribens, Aliquę enim plantæ virides aut nihil olent, aut non æquè, ſiccatæ nimirum redolent, vt iridis radix, atque etiam arundinum & iuncorum, aquatiliũ que ſtirpium nonnulla genera: & licet quę propter vetuſtatem teredines ſenſit, Dioſcoridis teſtimonio, odoratior fit, quia tamen hæc propter temporis diuturnitatem exhauſta & euanida eſt, ideo in vſu medicinæ non probatur, ſed illa potius quæ debitè exſiccata ſuam adhuc virtutem retinet. Immerito etiam Meſues reprehenditur

tur à Manardo scribens, iridis radices, veris initio colligendas esse, nam censet potius, secundum Dioscoridis documentũ, cùm à suis folijs exuuntur, euelli debere, quia hoc Dioscoridis præceptum est intelligendum de herbis amittentibus folia; iris vero, quia toto anno viret, nec vnquam à suis folijs denudatur, nõ est vt ad eius collectionẽ foliorum casum expectemus, cũ perpetuò hyeme etiam, illi ea inhæreant. Quare non temere Mesues ver conueniẽs tempus huic eruendæ radici esse iudicat, est enim tunc humore multo prægnans, quapropter & extrahẽdo succo magis idonea censetur, ac si exsiccanda sit viribus lõgè superior existit, alioqui si autumnum expectes, haberi eo tempore solet arida, quòd alendis, & folijs, & floribus humore insito plurimum sit exhausta. In eius temperamento, Musæ testimonio, potius Mesues sequendus est, calidam & siccam tertio ordine faciens, quam Auicenna maiorem illi calorem adscribens, dicens calidã & siccam esse in fine tertij: deceptus etiã est Matthiolus lib. 1. in Dioscoridem cap. 1. dicens, Galenum in toto simpliciũ medicamentorum volumine, iridis nunquam meminisse, siquidem amplissimum sermonem de iride fecit, lib. 5. de simp. med. fac.

Immerito Mesues à Manardo taxatur.

Quod sit eruẽdis iridis radicibus, conueniens tempus.

cap.2.quo loco omnes vires quas illi Dioscorides præbuit, recēsuit. Per annos duos seruatur (vt Mesues ait) cuius etiam sententia, mediocriter teritur & coquitur; & à drachmis duabus, ad drachmas quinq; exhibetur. Iris medicorum testimonio, pituitā crassam & immixtam illi bilem, serosasq; aquas clementer expurgat, materiam crassam lentamque hærentem in thorace ac pulmone, coquit, tenuat, ac promptè extrahit, viscera omnia purgat, succus eius ab hydropicorum aluo, pituitam & aquā expurgat, & per nares attractus cerebri pituitam crassam & viscidam mirè educit. Quare capitis inueteratis affectibus auxiliatur, Ischiadicis in clysteribus prodest, radix masticata oris fætorē abigit; os si colluitur aceto cui incocta fuerit dentium dolorem alleuiat, strumas & tumores duros digerit, menses euocat, aborsum tamē facit. Verùm quia stomacho noxia est, ideo Mesuæ consilio cum mulsa & pauca spica, vel melle, vel mastiche sumitur, ne ventriculum offendat.

Quib' morbis auxilietur iris.

De Scammonio. CAP. XVI.

Lib.4. cap. 152.

SCammonium, quo nos vtimur, succū esse cuiusdam herbæ à Dioscoride descriptæ, apud omnes in confesso habetur,

cuius

cuius imaginem Matthiolus exhibet, eo quod plantã ipsam è Constantinopoli, ad eũ in Vienam misit Augerius de Busbeche Cæsareus orator: & licet scammonium (vt probe animaduertit Musa) herbam, succũ, & lachrymam significet, propriè tamen apud Dioscoridẽ, ꝑ herba accipitur; apud Pliniũ verò succus intelligitur, vt ex eo liquet lib. 26. c. 8. parum ante mediũ dicente, est autem scammonium succus herbæ à radice ramosæ, &c. Est enim medicamẽtum adeo antiquum, vt nullus medicorũ, etiã vetustissimorũ reperiri possit, qui de eo non loquatur; etiã si Galen. in libris de simp. med. facul. (vbi pleraq; alia minoris momenti medicamenta tradidit) illud silentio prætermiserit, meminit tamen eius passim alibi. Verùm in tanta scammonij copia, quę ad nos & in vniuersam Europã adfertur, vix verum reperiri posse, censet Matthiolus, eo quod adeò effręne & vehementissimum medicamẽtum experimur, vt solis decem, vel duodecim ipsius granis vehementer dilaceremur, cum tamẽ Dioscorides integrã drachmam ad debilẽ purgationem cõcedat: ad efficaciorẽ vero, ternos scãmonij obolos, elebori nigri binos, & aloes drachmã vnã simul exhibeat. Quare dicendum est, aut Dioscoridi mendam

subesse aut scammoniū quo nos vtimur adulterio non carere. Quapropter summa diligentia est aduertendum, atque elaborandum, vt selectissimum scammonium in officinis reponatur; nam cum hoc medicamētum, omnium ferè cataporiorum & electariorum sit basis, qui his adulteratum immiscent, fieri non potest, quin pessimæ & exitiosæ emanent compositiones, quandoquidem à Galeno dictú est, vnius medicamenti improbitatem vniuersam antidotum vitiare posse.

Lib. de theriaca ad Pisonem c. 12.

Selectissimú erit
- Leue
- nitidum
- rarum
- colore taurini glutinis
- fractu tenerum, ac pulueratu facillimum
- fungosum
- odore bono, sed suo, non autem fædo
- fistulis tenuibus
- ex Mysia Asie regione deportatum Dioscoridi,
- Mesues Antiochenum cōmendat.

De-

Deterrimum	Natione Syriacum & Iudaicum graue densum obscura nigredine.

PLinius loco citato bonum esse dixit linguæ tactu lactescens, verum & hoc adulterato lacte tithimali euenit, vt scribit Dioscorides; quod gustu deprehendere licet, sic namque adulteratum (vt Dioscorides ait) præterquam quòd optimis destituatur notis, linguam exurit & mordicat. Cæterum cum scammonium non tantū nostro æuo, verumetiam antiquiori, noxium valde sit expertum, (eo quod flatu mordaci ventriculum ad nauseam subuertat molestèque turbet, & sua acuitate venarum ora immodice dilatet, cor, ventriculum, hepar, mala quadam qualitate lacessat, reliquaque viscera conturbet, appetentiam deijciat, & sitim vehementer cōmoueat) ideo ne hoc contingat, præparandum atque infrænandum esse, optimi quique censent. Preparatum, teste Ruelljo, recentior Grecia diagridion (quasi lacrymulam dixeris) vocat, præparatur autem cōmuni modo in malocotoneo massæ pasta

Lib.3 .cap. 148.

circundato, & cocto, aut antiquissimo in dulciũ amygdalarũ oleo, corrigitur etiam alijs plerisq; modis, quos quia fusè admodũ tractat Mesues in præsentia, silẽtio prætermittere decreui. Priorẽ cõdiendi modũ Galenus etiã vsurpat in præfatione ad libros de alimentorũ facultatibus, malicotorei partes quæ circa semen sunt eximẽs deinde cauitatem scãmonio implẽs, & malũ ipsum postmodũ triticea massa obuoluẽs, & sic obuolutũ assans, in qua præparatione purgatiuũ euadit scãmoniũ, euadit etiã deiectoriũ & malũ, vt eo in loco testatur Gale. purgat nihilominus vehemẽter & palàm, quod Musa experientia cognouerat in caniculo suas edente gallinas, quem ob id disenteria internecauit, frustulo huius pastæ singulis diebus exhibito. Nec accedendum Serapioni censeo dicẽti, scammoniũ parandũ esse cũ vtẽdi tẽpus instat, eò quòd ipsius opinione in malo cidonio coctũ, tẽpore virtutẽ amittit, & ignauum in operatione redditur. Nam si non præparatum, autore Mesue, per annos viginti & eiusdem Serapionis sententia, per triginta vel quadraginta annos incolume perseuerat, non videtur rationi consonũ, præparatũ per tẽporis aliquot spatium nõ posse citra suæ substantiæ exolutionem persistere.

Cap. 103.

Lib. ...
...

re; ex coctura crassius, densius, & dissolutioni minus obnoxium redditum. Quoniam vero quamplurimi pharmacopolæ, ignauia & desidia, correctum scammonium non seruant, & in compositionibus diagridion recipientibus, scammonium non correctum ponunt, ex quo errore ęgrotantibus non leue imminet incommodum, ideo exacta diligentia opus est, vt hæc pharmacopolarum fraus detegatur: detegetur autem si pars aliqua talis cōpositi medicamenti aqua diluatur, si enim ita diluta vniuersa portio dissoluatur ac diluatur, ita vt nulla eius partiuncula, nō dissoluta, nec dura supersit, indicium est ipsum ex scammonio non correcto fuisse compositum: sin vero in præfata dilutione portiunculæ aliquæ non dissolutæ supersint, quæ digitorū attritu duræ sentiantur, excocto scāmonio medicamētū cōpositionē obtinuisse est iudicādū. Vtrū vero semper correcto scāmonio sit vtēdū, & cū in Mesuæ ac Nicolai Alexandrini, & aliorū autorū cōpositionibus legitur scāmonium, nō præparatū sit accipiendū, dubiū est non mediocre apud pharmacopolas & medicos, cui ita respondendū cēseo. Quotiescūq, in autorū cōpositionibus legitur scammoniū nō pręparatū debet intelligi.

Num correcto scāmonium vtendū semper sit.

 Nam

Nam cum innuere volunt præparatū, diagridion, vel scammonium coctū in pomo enuntiāt; hoc sæpe astruit Nicolaus Alexādrinus, astruit etiā & Mesues, in cōpositione pilularū aggregatiuarū & de lapide Armeno, & electuario depsilio, & Indo maiori; & in hyera cui titulus est, ex inuētione nostra, quibus in locis non simpliciter scāmoniū ponit, sed cū adiectione, coctū in pomo addit. Nec verendū est in aliquibus cōpositionibus nō correctū ponere. Nā vt in examine Diaphæniconis optimè animaduertit Musa, ab alijs medicamentis cōpositionem intrantibus, satis superq; corrigitur & infrenatur. Calfacit & exsiccat ordine. 3. Medicamentū Mesuę vehemētissimū & chologogū existit; Dioscoridi vero non solum chologogū, verumetiā phlegmagogum putatur: vtrique tamen simile est in cūctis alijs operationibus suis medicamētis furiosis & effrenibus. Verū quod Dioscorides ait, scāmoniū medicamētū esse phlegmagogū, cōsideratione mihi egere videtur. Nā etsi pituitæ aliquid eliciat, maximè tñ bilē trahere pro certo habēdū est: pituitā vero nō nisi tenuē & paucā, ac eā fortè, quæ in intestinis tātū residet: alioqui si pituitā ex vniuerso corpore alliceret certè ducendæ pituitæ, quā bili magis aut

saltem

saltem æque, aptum medicamentum exi-
steret, qđ certe falsum est, & experimento
aduersum. Scammonium autoritate Me-
sues, quinque modis corpori nocet, qua-
propter Musa non perperam optasse visus
est, hoc pharmacum nunquam ad homi-
num manus peruenisse, quoniam plus ma
li quam boni affert. Nocet itaq; flatu mor-
daci ventriculum conturbāte, acrimonia
febrem ex asperante, vehementi attracto-
ria vi vasorum ora aperiēte, serositate mor
daci ventrem & intestina excoriante, ve-
nenositate membra præcipua lædēte. Qui-
bus nocumentis eiusdem Mesues testimo
nio quinque alijs vijs est occurrendum:
flatui mordaci obuiamus, daucum, galan-
gam aut fœniculi semina in malocotoneo
vnà cum eo assantes, acuitatem spiritus in
flammantem obtundemus mucagine psi-
lij, decoctione prunorum, aut ante assatio
nem sæpe submerso in oleo rosarum, vio-
larum, aut nymphe æ, aut rosarum succo:
immodica eius attractio, reprimitur re-
bus stypticis, quam rem assatio in malo-
cotoneo præstat. Serositas illa mordax
intestina excorians mitescit, si à corpo-
re cito expellatur, & quam fieri posit sine
cunctatione venter ab eo eleuatur, quod
fit primo copioso aquæ hordei cum sac-

Scamonium quinq; modis corpori nocet.

Quibus vijs scāmonij noxis sit occurrēdū.

charo potu, mox vero re aliqua emplastrica & leniẽte assumpta, in quarũ classe nullã ego præstantiorẽ inueni agmido põdere vnius vnciæ, in vncijs tribus aut quatuor aquæ capitum rosarum vel plantaginis liquato. Venenositati membra præcipua lædenti occurritur cordialibus medicamentis, iecur, cor, cerebrum, ac os ventriculi tutantibus ac respicientibus. Quapropter docta praxis exiftit, vt altera à purgatione die, sumatur compositio Diarrhodi abbatis vel diamargariti frigidi, vel triũ sandalorum, aut aliquid aliud simile obtinens facultatem.

De Colocynthide. CAP. XVII.

Colocynthis (peculiare antiquorum medicamẽtum, ac rusticorum purgatiuũ) apud omnes notissima planta est, quæ vt inquit Dioscorides, sarmẽta, foliaque satiui cucumeris similia emittit, per terram repentia, diuisuris scissa, fructum in orbem circumactum & in speciem mediocris pilæ conglomeratum, vehementer amarũ. Hæc etiam ab aliquibus, vt inquit Mesues, cucurbita syluestris, ab alijs fel terræ dicitur, ab Arabibus mors plantarum nuncupatur, eo quòd herbas sibi vicinas

Lib. 4. cap. 152.

veneni

veneni modo sic interficit, vt vicina sibi terra videatur adusta. Simile de basilisco Plinius commemorat, dum ait, sibilo omnes fugat serpentes, nec flexu multiplici, vt reliquæ, corpus impellit, sed celsus & erectus in medio incedens. Necat frutices, non contactos modo, verùm & afflatos, exurit herbas, rumpit saxa. Et subdit, talis vis malo est. Cæterum ad colocynthidem redeuntes, ab immensa amaritudine fellis terre nomen habuit, verùm (vt autor est Galenus) non potest id efficere dũ bibitur, quod alia faciunt amara, ob vehementem purgandi vim, nimirum ea quæ attenuare & incidere debebat antea multo per aluum excernens. Cui sententiæ subscribit Auicenna dicens; Et propter velocitatem sui exitus ex intestinis, non vltimantur impressiones eius, quæ expectantur ex amaritudine sua. Duo eius genera à Mesue ponuntur, mas nimirum & fæmina, mas foris est lanuginosus, nigricans, durus subasper, grauis, fæmina contrarijs qualitatibus est constituta.

Lib. 8. c. 21. iuxta finẽ.

Lib. 7. de simp. m ed. facul. tit. de colocynthide.

Lib. 2. tract. 2. c. 129.

fœmina

Eligenda est
- fœmina
- magna
- exacte matura
- alba
- læuis seu glabra
- rara
- leuis, quo enim leuior eo melior
- collecta
  - ex agro
    - laxo
    - arenoso
    - libero
  - tempore autumni cum languescente virore cæperit in luteum mutari colorem.
- medulla interiori
  - albissima
  - rara
  - leui

Mala eſt immatura, & his qualitatibus deſtituta, peſsima ac venenoſiſsima, quã tota vna planta vnicã produxit, quæ planta ſi agro illo in quo naſcitur, vna ſola ſit, multo pernicioſiorẽ fructum producet. Vnde arbitratur Manardus hunc locum Meſuæ enarrans nunquam tutum eſſe colocynthidis vſum, cũ nec ſcire poſsimus quo loco genita ſit, & an in vnica planta vnica, vel in vnica regione vna ſit planta. Muſa licet in hoc argumento diſcedat à Manardo (cũ ratio hęc in alia quam plurima medicamenta deflecti poſsit, & præſertim in ea quæ à noſtris patrijs plurimum diſtant, & ſic omnium medicamentorum vſus ſuſpectus redderetur) tamen vehemẽter monet vt frequens colocynthidis vſus caueatur, propterea quia res eſt adeo violenta, vt magis turbet quã proſit. Nec Manardi ratio apud me magni momenti exiſtit, quoniam ex reliquis notis cognoſcere nõ erit difficile, num vnica ex ſola vna planta ſit decerpta, & an planta illa eo in agro ſola fuerit reperta. Siquidem quæ talis habetur, præterquam quod bonis conditionibus deſtituitur, inſuper, lanugi noſa erit, dura, ſubaſpera, aut grauis. Rurſus tanta eius copia quotidie ad nos affertur, vt probabile ſit in regionibus ex quibus

bus aduehitur, plures plantas easque feracissimas reperiri. Vsu itidem experimur castigatam, vt fieri solet, colocynthidem, vtiliter exhiberi, ad eamque exhibēdam, tot tantosque medicos ab Hippocrate ad hoc vsque æuum duces habemus; vt nihil sit quod nos in totum absterrere ab hoc medicamento debeat, præsertim cum illud id nobis præstet quod pauca, aut forte nulla præstare queant. Nam obsecro quid crassos æque ex toto corpore humores potenter ducere, ac colocynthis valet? Cum vtendi tempus instat, vel eam alijs medicamentis permiscere consilium est, ab interaneis granulis & exteriori cortice purgandam esse, sic vt pulpa sua pura relinquatur, docuit Serapio: quemadmodū tenuissimè esse terendam Mesues & Actuarius præcipiunt, quod duplici de causa faciunt, tum vt eius facultas malefica dum multum in puluerem euolat, obtundatur, tum vt per intestina celerius permeet; nam, vt ipse scribit Mesues, si portiones quædam crassiores sensu perceptæ sumantur, fibris ventriculi & spiris intestinorum adhærent, humoreque inibi reperto imbutæ, tumēt, & partes dictas, tumefaciunt ac vlcerant, cui sententiæ Paulus adstipulatur, scribens in hunc modum: læuiger-

Cap.272.
Actuarius lib.5.
Lib.7.ca.4.

tur

tur autem accuratè quoniam asperitates ipsius interaneis adhærentes, vlcera concitant, & neruos consortij lege afficiunt. In quam etiam sententiam impegit Auicenna scribens in hunc modum: Et oportet vt in eius contritione ad summum per ueniatur, & nec decipiatur aliquis credendo quod ipsa sit valde trita, pars enim minima eius in sensu cum inuenit humiditatem inflatur, & adhæret partibus stomachi, & inuolutionibus intestinorum, & apostemat. Quare oportet, vt cum teritur hydromel infundatur, deinde siccetur, & conteratur. Hæc Auicenna, ex quibus clare intelligitur, grauiter aberrare illos, qui putátes, Serapioné sequi, crassiusculè terendam esse arbitrantur, cum nec Serapio id dixerit, & si dixisset, faciendum non esse, ratio & tantorum virorù autoritas suadeant, hoc tamen protulit Serapio, quòd quando teritur & dimittitur sic tempore longo, fit adhuc in hoc minor & magis remissa virtus eius, sed quando dimittitur in pomo suo nó recipit immutationé, nisi in lógo tépore. Autoritate Auicénę & Mesuæ calfacit & exiccat ordine tertio, Alchindus frigidã & humidã esse censebat, deceptus cucurbitæ satiuæ temperamento, ac vocis similitudine errore ductus: verum

lib. 2. tract. 2. cap. 127.

Cap. 272.

apertum

apertum cuique esse arbitror cum frigido & humido temperamento, nec tam insignem amarorem & acredinem, nec tam effrænem purgandi vim partium tenuitati iunctam posse consistere. In pondere medici euariant. Datur Mesuę testimonio à siliquis sex, ad decem, frigus & æstum vitantibus. Actuarij tamen sententia loco præcitato, solius scrupuli quantitate exhibetur, Dioscorides quatuor obolorũ pondere dandam esse censet. Violentum & furiosum medicamentum est colocinthis & adeo corpus exagitat & lacerat, vt non solũ interius per os sumpta, verùm etiam exterius naribus tantum admota, immodice ventrem conturbet, quod Musæ contigit colocynthidem coram matre & sorore manibus tractante. Nam ipsum ex solo attactu, illas ex solo odore, adeo solutas fuisse scribit, vt nullus illorum fuerit, cui decies venter magna perturbatione non eduxerit. Corrigunt illius vehementiam mastiche & gallia muscata, vt Mesues docet, infrenatur itidẽ eius vis in trochiscis de alhádal in quorum trochiscorum annotatione ait Manardus, diligenter cognoscẽdum ab eo qui hosce parauit, quãtum colocynthidis in eis posuerit, alij enim plus, alij minus accipiunt, cum ægrotantiũ de-

Excedunt hædoses.

tri-

frimento, si id medicus ignorauerit: refert que quòd in suo codice decem drachmis colocynthidis, addebantur decem & octo aliarum rerum, vt & in nostris nunc addũtur, qui modus (ipso autore) facit vt tutò possit eorum dari integer scrupulus, præcipue si (vt idem scribit) secundò contritis eadem addita sint. Colocynthis autoritate Actuarij loco supra citato, pituitam, bilem, humoremque mucosum purgat, vnde neruosa corpora peculiariter inanit. Datur itaque conuenienter in omnibus quę caput obsidẽt incõmodis, orthopnoicis, coxẽdicum cruciatibus, insuper & his qui renuẽtes conceperũt affectus. Eorundẽ cõmodorũ gratia, sentẽtia Dioscoridis clysteribus, & balanis inditur, frequentior eius vsus hodie in Hyera diacolocynthidos. Aetius vinum dulce in vacuum colocynthidis vas infusum, offert quartanarijs. Qua serie innuere videtur, meláncholiá euacuare, nam in classe eorũ medicamentorum quæ nigros euacuant humores, tale vinum recensetur. Paratur itidem à Matthiolo, è colocynthide oleum, exempta è fructu pulpa, & cauitate oleo repleta ac mox in cineribus cùm oleo assata. Quod oleum magnarum virium existit ad capillos denigrandos, & canitiem retardãdam,

Lib. 2. sermone. 1. ca. 84.

& eorum defluuium cohibendum. Eodē etiam oleo, teste Auicenna, aurium dolores mulcentur, & ipsarum incerti sonitus discutiuntur. Quin etiam hoc ipso oleo, & felle bubulo interaneorum vermes necantur potētissime, si eis simul commistis, atq; calidis vmbilicus illiniatur. Colocynthis sola exhiberi nō debet: nam si sola & citra correctionem sumatur, fauces, & guttur vehementi incendio vexat, corpus vniuersum inflammat, ventriculum & intestine magno dolore exadit, singultum excitat, & continuas alui deiectiones mouet, vniuersum perturbat corpus, fastidium & intestinorum tormina inducit, abradit intestina, & vasorum oscula aperit, adeo vt etiam cruentam sæpe deiectionem moliatur; eius antidotum lac bubulum & butyrum recens existit.

Auicenna lib. 2. tract. 2. c. 127.

De Castoreo. CAP. XVIII.

FIber sanè quem Græci castora appellant, animal est (vt Dioscorides, Arist. & Plin. tradidere) quod ex amphibio habetur genere, quippe quod in terris & aquis vitam ducat. Videtur enim modo in fluminibus natare, modo in littore vagari, modo in propinquis syluis spatiari, qui vt

Diosco, li. 2 c. 22. Arist. lib. 8. de histo. animalium, ca. 5. Plinius lib. 32. cap. 3.

tradit Plinius lutræ ferè faciem refert, licet maior sit, & hinc factum est, vt crediderint medicorum nonnulli easdem lutræ testibus inesse vires, quæ fibrorum testibus insunt. Huic (vt Matthiolus describit) pedes posteriores sunt anserinis similes, anteriores vero, vt Tassus habet, cauda est illi glabra, lata, piscium fere modo scāmosa. Quod etiā Plinius notauit dicēs, caudā illi pisciū esse. Dentes fibri anteriores (vt idē Plini⁹ ait) ferocissimi atq; acutissimi sunt, quibus arborū ramos, vt ferro cædit, quos postea miro coaptat artificio, sibique domum construit pluribus tabulatis. Illud tamē quod Matthiolus dicit animal esse horrendi morsus, nam ait hominis parte apprehēsa morsum haud resoluere antequā fracta concrepuerint ossa, nō de fibris sed de lutris dixit Aristoteles. Decepit tamen Matthiolū Plinius qui de fibris dicta retulit verba. Hoc etiā animal, autore Matthiolo crebro in superiori spectatur Germania vbicunq; Rhenus influit, quin etiam & in Austria atq; Pannonia vbi Danubius. Musa dicit in Hispaniç fluminibus aliquot & in Italia vbi Padus mari iungitur, frequēs etiam esse. Vanum profecto est (vt etiam scribit Dioscorides) credere fibros testes sibi dentibus amputare & à sese abijcere cū

Lib. 8. c. 30.

Lib. 8. c. 30: Loco nuper citato.

Loco superius citato:

Lib. 2. c. 26.

veratione vrgentur. Contrarium namque censet Dioscorides, dicens non posse adimi, quoniam substricti & adhærentes sunt quales sues habent. Plinius huius facti anceps, id affirmauit lib. 8. ca. 30. quod tamen postea negauit lib. 32. cap. 3. sic scribés, amputari testes ab ipsis castoreis cum insectantur, negat Sestius diligentissimus medicinæ, quin imo paruos esse substrictosque & adhærentes spinæ, nec adimi, sine vita animalis posse.

Eligi debent testes Dioscoridis sententia
- qui ex vno ortu connexi sunt, fieri enim non potest, eo autore, vt gemini folliculi in vna mébrana coniuncti reperiātur.
- Præditi intus liquore
  - veluti ceroso,
  - odore graui & virus redolente
  - gustu acri & mordente ac friabili,
  - naturalibus tunicis circundato,

Cæterú diligenter animaduertere oportet, ne ab impostoribus adulterati fibrorú testes emantur, quia pauci admodum habentur venales, qui adulterio careant. Cuius

ius rei manifestum est indicium nimia eorum magnitudo, cum legitimi (vt Plinius inquit) parui admodum sint. Adulterantque ipsos, (vt Dioscorides est autor) conijcientes in vesicam gummi, aut ammoniacũ cũ sanguine & castoreo subactum, & ita exsiccantes. Adulterantur etiam, contritis eiusdem animalis renibus fartis in testium folliculis. Quin etiam præstantiæ indiciũ (vt optimè animaduertit Matthiolus) præbet conclusus liquor in recentibus mellis instar, in diutius vero asseruatis, ceræ modo concretus. Porro secernitur verum ab adulteriũ passo hoc signo, quòd in illo liquor (quicũque fuerit) fibris quibusdam folliculo & carni alligatur: in adulterato verò eisdem sine fibris adhæret, nam hoc significat, liquorem insertum ab impostoribus fuiesse, illud verò eum naturalẽ esse, & ipsi Castoreo insitũ. Plinius lib. 32. c. 3. eos Castoris testes efficacissimos putat, qui è Põto afferũtur. Cui tamẽ refragatur Strabo. li. 3. suę geographiæ his verbis: Producit capras Hispania equosq; syluestres affatim, quibusdã in locis lacus incremẽta suscipiunt, cygni & eius generis aues plurimæ, similiter otides aues. Fluuij quidem ferunt Castoras, sed Castoreum non eam quam Ponticũ habet vim, Pontico enim

proprium est vt venenosum sit veluti in alijs permultis. Hæc Strabo. Ex quibus facile constat, plurima in ponto nasci venenosa, id quod etiam in bucolicis testatur Vergilius his verbis: Has herbas atq; hæc Ponto mihi lecta venena Ipse dedit Meris: nascuntur plurima Ponto. Hinc vero fit, vt nõ sine ratione dubitetur, cur iusserit Democrates castoreum põticum addi in Mithridatis antidotum, cum tamen Andromacho in theriaces compositione, eligantur testes illi quos Castor Istrus hoc est ad Danubium viuẽs protulit. Est enim adeo celebre medicamentũ ad multos medicinę vsus, vt Archigenes de eius vsu integrũ scripserit librũ, ita referente Galeno lib. II. de simp. medi. facul. & licet vt eodẽ loco pulchrè idẽ animaduertit Galen9, si odori, gustuiq; aduertas animũ, suspicaberis humano corpori aduersissimã habere facultatẽ, natura tamẽ sua experimẽto cõprobatũ est, quã plurimis morbis perniciosissimis auxilio esse. Primo enim (vt Autor est Galenus. li. 3. de cõposi. medi. secundũ locos c. I.) perse vim habet concoctoriã ægrè solubiliũ, & in scirrhũ induratarũ affectionũ, & li. 4. eiusdẽ tractationis ca. 2. citra adstrictionẽ concoquere, & discutere crudas & crassas materias, scripsit. Propter has igitur facul-

Bucolic. 2.

Tit. de his quæ Apolonius ad auris dolores scripserit.

facultates & quia(vt lib.11.de sim. med.facul.idẽ nos docet Galen. calfacit & exsiccat cõspicuè. Tradidit Plinius li.32.c.3.cõuulsionibus,opitulari, qđ etiam voluit Galen.li.de theriaca ad Pisonẽ.c.9. dicẽs: Castoris testiculi poti, conuulsiones sanant, quo etiã tanquam coctorio & discussorio medicamẽto, in fine lethargi & phrænitidis ad ab sumendũ residuũ materię in cerebro relictæ, vtitur Galen.lib. 13. Methodi c.21.in lethargi tamẽ curatione adeo à medicis laudatur, vt multos hoc morbo victos, solo hoc remedio ebibito & exterius applicato, mortem euasisse scribat Trallianus. Etenim inquit, corpus qđ pertingit & propè est vt totũ emoriatur mire recalfacit, ac fouet. Si intus assumatur, aluũ soluere experimẽto à medicis cõprobatum est. Quod assequutus est Galenus lib.de venę sectione aduersus Erasistratũ.c. 3.dicẽs catapotia ex castoreo aluũ soluere. Cui sentẽtiæ adstipulatur Serapio inquens, ob id illud conuulsioni ex repletione mederi, quia euacuat & purgat neruos ab eo qđ in eis præternaturã continetur. Itidẽ propter eximiã quã habet calfaciendi facultatẽ dixit Galenus lib. 3. de composi. medic secundũ locos cap.1.& lib. 8. eiusdem operis cap. 3. opio permisceri, vt vehemẽtiam

Lib.1.cap. 14. in fine.

Cap.435.

Tit.de.ijs quæ Apolonius ad auris doloris scripserit.

refrigerandi facultatis in eo obtundat. Sicuti odore graui & viroso quo præditum est, străgulatas ab vtero excitare posse credit idem Galen. lib. 9. de composi. medicamentorum secundum locos. in fine.

De Galbano. CAP. XIX.

Dioſco. li. 3. ca. 79. Galen. lib. 8. simpliciũ, Plinius lib. 12. cap. 25.

GAlbanum, vel chalbanum (nam vtróque modo id licet appellare) Dioscoride, Galen. & Plin. testibus, succus est nascẽtis in Syria ferulæ, ferula è qua nascitur autore Theophrasto lib. 9. de historia plantarum cap. 7. pacum, barbaro nomine nuncupatur, qui, in Syria etiã illud prouenire dixit: Galbanum à colore cãdido dictum putant, vt refert Ruellius lib. 3. de natura stirpium. c. 53. Hoc vt Theophrastus loco citato & Plinius lib. 12. medicinæ tantum conuenit, nec in alios trahitur vsus.

Cap. supra citato.

Eligi debet Dioscoridis testimonio {
- cartilaginosum
- merum
- thuris effigiem præbẽs
- pingue
- minime lignosum
- retinens nonnihil adiecti seminis ferulæ
- graui odore
- nec valde humidũ, nec nimis aridum

Eadem

EAdem met scribit Plinius, nisi quòd vbi Dioscorides dicit thuris effigiem præbens, Plinius ad similitudinem ammo niaci dicit, paruum certe discrimen, nam vtrique potest similari. Graui odore debe re esse præditum, dixerunt Theophrastus & Dioscorides; propter quem graué odorem scribit Galen. lib. 10. de compo. med. secundum loços cap. vltimo, strangulatas ab vtero olfactu excitare posse. Quod si-quis miretur cum galbanum habeat grauem odorem, cur ab antiquis in vnguenta indebatur, vt Plinius. 1. cap. lib. 13. testatur? Respondet Musa id forte fecisse antiquos, vt grauia acutioribus miscentes, tertium quoddam perfectum, odoratumq; inuenirent. Nam, vt eo etiam loco manifestum est, compositionem odoratam ex fænugræco parabant, quod grauem odoré habere nemo dubitat. Aut dicendú, quòd ea quæ nobis graueolentia sunt, antiquioribus bene odorata videbantur. Adulteratur (vt Dioscorides & Plinius tradunt) ammoniaco, aut faba fresca & resina: quod adulteratum Matthiolus conqueritur in officinis nostris frequens admodum esse, dicit tamẽ ab hoc adulterato bonam synceri partem eximi posse, si id arte & diligentia queat separari. Syncerum (vt Plinius,

Lib. 2. c. 91.

nius libro.12.cap.25. scribit) fugat odore serpentes; libr. tamen. 20. capit. 10. eodem galbano accenso culices fugari protulit. Est sane (autore Galeno libro octauo, de simplicium medicamentorum facultatibus) ex tertio ordine excalfacientium incipiente, aut secundo completo, in desiccando vero ex secundo incipiente. Easdē vires cum eo habere thus, imbecilliores tamen, scribit Galen. Quotiescunque tamē galbanum ad ignem liquatur, melius est liquare id in duplici vase, prout idem censet Galenus libro tertio, de composit. medicam. secundum genera. capit. 5. Plures vires illi insunt, quemadmodum Plinius & Dioscorides latissimè prosequuntur. Generaliter tamen, vt lib. 4. de compositione medicamentorum secundum locos cap. 4. & lib. 8. de simplicium medicamentorum facultatibus, ait Galenus, galbanū concoctorium est, & discussorium medicamentum. Quo tamen modo galbanum purgari debeat, Dioscorides & Serapio tradidere. Num vero ipsum purget, & noxios humores per aluum deducat, dubiū apud me est. Nā neminē scriptorū reperio, qui ei purgandi facultatem tribuerit. Verū cū eisdem viribus quibus reliqua gūmi polleat, ideo nō penitus illa destitui opinor.

Li. de cōp. med. secundum genera. c. 2. parū post principium.

Pli. lib. 20. c. 10. Diosc. loco citato

Diosco. vbi supra Serapio. c. 320.

De

De Sagapeno. CAP. XX.

SAgapenum, quod ab Arabibus, Serapinum dicitur, Galeno autore, succus est ferulæ cuiusdam, panaci similis. Mesues dixit ipsum liquorem esse ferulacei fruticis, oleandro montano similis. In Media prouincia nasci scribit Dioscorides, à qua in Alexādriam Ægypti portatur, quæ vniuersale emporium est illarum partium, & inde in Venetias traducitur. Plinius libro. 20. cap. 18. in Italia nasci asseuerat, vbi inquit: Sagapenum quod apud nos gignitur in totum transmarino alienatur, & lib. 19. ca. 7. in hortis seri dicit, at nec stirpem nec folia Plinius docet, ac si de re nota loqueretur. In Apulia nunc gigni, tenent Musa & Matthiolus, verum cum Medum habere possumus, alio non est vtendum, vt optimè animaduertit Musa. Medicinæ tātum vsui dicari scripsit Plinius: plantam ex qua prouenit, imbecillam, inutilem, & nullius valoris esse putat Galen. lib. 8. de simpl. medic. facultat.

1. de antidotis, c. 11. lib. 2. c. 18.
Li. 2. c. 77.
Li. 19. c. 7.

Bonum

Bonum tamen eſt Dioſcoridi
- Tranſlucens
- fuluo forinſecus colore, & intus albo.
- neſcio quid inter laſer & galbanum redolens
- guſtu acri.

ADdit Meſues odore porri, ſubſtantia craſſa, leue, ſed in aqua facile ſolubile, qua nota, verum ab adulterino ſecernit Galen. ſcribens lib. 1. de antidotis cap. 11. Sagapenum in aquam ſeu vinum dimiſſum cognoſci. Nam verum ſagapenum, ait ſtatim diſſolui; quod autem tale non fuerit, indiſſolutum manere; nec mirum eſt ſi odorē habeat galbani (vt ait Dioſcorides) nā adeo vtriuſq; propinquæ naturæ ſunt, vt galbanum mutetur in ſagapenum ſicuti eodem primo de antidotis capit. 11. ſcribit Gale. ſic dicens. Nam galbani pars quædam, re vera, in ſagapenum trāſit, quę ſpumoſa & leuis eſt; propter eandem propinquitatem & ſimilitudinem, optimā caſſiam, in cinnamomum tranſire eodē loco affirmauit, vidimus enim (inquit) alias frequenter caſsiæ elatæ, & auctæ tantū, vt fruticis magnitudinem æquaret, ramos quoſ-

dam

dam cinnamomo penitus similes aspectu, corticis tenuitate, & præterea hisce signis, quę cinnamomum certissime ostendunt, ac gustu olfactuque percipiuntur. Adhũc modum in optima myrrha opocalpassum reperiri tradit: hæc eademmet similitudo & propinquitas in causa est, vt si simbriũ in mentham transmutetur, quemadmodum Theophrastus est autor. Propter eandem similitudinem triticum transit in lolium, & basilicum in serpillum. Sagapenũ pro succo cirenaico sumitur à Galeno, si cirenaicus non adsit. lib. 3. de compo. medic. secundum genera. cap. 2. ad initium. Nam ambo ait esse tenuium partium & calida. Gradum caloris describit Mesues dicens, calidum esse ordine tertio, & siccum secundo, amarum & porri modo acre: substantiæque tenuis & igneæ plusquam terreæ completum. Sola aceti maceratione liquescere sine ignis beneficio docet Gale. lib. 3. de compo. medic. secundum genera. cap. 5. hunc in modum scribens. Ex aceto itaque citra ignem liquescit gutta ammoniaci sagapeni liquor & panacis, igni vero liquescunt propolis, cera, resina, ladanum, seuum, galbanum verum hoc in duplici vase colliquare melius est. Solutione humores viscosos educere opinatur Mesues,

Lib. 2. de historia plantarum. c. 5. & lib. 2. de causis plantarum. c. 21. & lib. 5 de causis plantarum, c. 8.

ſues, quod Arabum inuentum eſſe tradit Manardus. Non enim purgatoriam vim ei adſcribunt Græci, purgatoriam vim cũ dicimus, per inferiorem ventrem intelligimus. Scripſit equidẽ Dioſcorides quõd craſſos humores ex pulmone expurgat: propter hanc quam obtinet aluum deijciendi facultatem, catapotijs purgantibus inditur ab eodem Meſue, nempe fœtidis, ex colocynthide, euphorbij, & eis quæ de ſagapeno dicuntur, verum cum per ſe ſumitur (vt Meſues inquit) datur à ſemiſſe drachmæ ad drachmam vnam. Reliquæ ſagapeni facultates à Dioſcoride, Galeno, Plinio, & Meſue ſunt petendæ.

De Ammoniaco. CAP. XXI.

Lib.3.c.80. AMmoniacum, quod Arabes armoniacum nominant, teſte Dioſcoride, ſuccus eſt ferulę, quam iuxta Cirenẽ Africa gignit. Dicitur ammoniacum (vt inquit Li.12.c.23. Plinius) eo quod iuxta Ammonis oraculum in Æthiopię ſubiecta Africa naſcitur: cuius fruticem cum radice agaſyllim dicit vocari Dioſcorides, Plinius metopion appellat, verum hoc parum refert. Duo eius fecerũt genera: Thrauſma, & phyrama Thrauſma laudatur.

Tale aurem est Dioscoride teste { Bene coloratum
ligni & calculorũ expers
thuris similitudine,
minutis glebis,
densum,
sincerum
nulla sorde spurcatum,
castoreum odore imitans,
gustu amarum,

Phyrama improbatur eo quòd { Terram & calculos collegit.

QVòd si Plinius dicit loco citato, hoc pingue & resinosum esse, ex eo est, quia cum resina solet adulterari, quod vero suapte natura sine adulterio pingue est, tantum abest à vitioso, quod præstantissimũ etiam sit, vt ex Galeno colligitur, iubente accipere recens ammoniacum ad scirrhorum curationẽ: tale autem ait esse pingue: nam inueteratum, pinguedinem amittit, verum quod resinę dolum sensit, licet pingue & resinosum sit tãquã adulterinũ à Plinio dãnatur. Dignoscitur tale aceti maceratione. Verùm namq́ue statim liquescit; quod vero adulteratum est, indissolutũ permanet. Rursum, resina adulteratum.

Lib.2. de arte curatiua ad Glauconem. cap.4.

tum, igne liquescit: nam vt ostēsum alibi est, ammoniacum aceto liquescit: igne vero resina. Ammoniacū phyrhama ad nos frequenter deuehi tenent Musa, & Matthiolus, licet (vt idem Musa scribit) primū (hoc est) thrasma, nobis non desit. Bonū, vt Musa ait, Genuæ melius emitur, quàm Venetijs, quoniam ex Africa mercatores Genuam facilius transeunt, quam ab eadē per Alexādriam Ægypti in Venetias. Ammoniacum idē posse, quod propolim, dixit Galenus, quare pro propoli vti possimus: Celsus etiam lib. 5. c. 5. scribit Bdeliū idem posse quod ammoniacum. Hinc seplasiarij & medicorum nonnulli, pulchrè admodum colligunt, pro bdelio ammoniaco nos posse vti, quia eadem est vtrisq; facultas. Iure etiam Musa miratur Paulum quòd lib. 7. inter odoramenta ammoniacum numerauerit, cum eius odor grauis sit. Dioscorides etiam ammoniacum thymiama vocat, vnde colligere possumus. Verū esse quod alibi diximus, multa quæ nobis graue olentia apparent, antiquioribus bene odorata videri, carentibus suauissimis odoribus, mosco nempe, ambra, & zibeto, quibus nostra ætas abundat. Hac de causa ea quæ grauem spirant odorem, apud ipsos, pro bene odoratis existimabātur.

Lib. 7. de comp. me. secundum genera. ca. 3. ad finem.

Cap. de ammoniaco thymiamate.

Cap. de galbano.

tur. Ammoniacum omne apud Auerroë calidum est in prima parte tertij ordinis, & siccum in primo. Auicenna autem calidum in fine tertij ordinis censet. Auerroi fauet Musa, est etiam facultatis emollientis & discussoriæ, verùm emollientis maximè, adeo vt Gale. ammoniacũ inter emolliẽtia principatum obtinere scribat, & lib. 8. de simpl. medic. facult. dixit hæc verba: Ammoniacum, opos siue liquor est ferulæ cuiusdam, hoc habet emolliendi facultatem intensam adeo, vt articulorum tophos dissoluat, & lienes induratos sanet, & cheredas per halitum digerat. Purgat, Serapionis autoritate, phlegma viscosum, & cõfert aquæ citrinæ quando bibitur, aut fit emplastrum cum eo.

Lib. 2. trac. 2. c. 8.

Lib. 6. de cõpo med. secũdum genera. c. 8. parum post principiũ.

Cap. 258.

De Sarcocola. CAP. XXII.

Sarcocola, Dioscoride & Galeno autoribus, lachryma est arboris in Perside nascentis, pollini thuris similis, colore rufa, gustu amara. Quam sententiam sequitur Plinius dicens: sunt qui & sarcocolam spinæ lachrymam putent pollini thuris similem, cum quadam acrimonia dulcem. Quibus etiam consentit Mesues dum ait: Sarcocola est arboris fructicosæ, spinosæ,

Diosc. lib. 3 c. 81. Gal. lib. 8. simp. Plin. lib. 24. cap. 14. prope finem.

Lib. 2. c. 18.

ramis nodosis, arbori appressis, gummi al bum, thuris modo, vel pallidum idq; ama rius, & ob id valentius. Nomen (vt Manar dus in huius Mesuæ seriei enarratione inquit) inuenit apud Græcos & seruauit apud Latinos, ex eo quòd carnem glutinat. In eius historia Dioscorides & Plinius obuersantur. Nam Dioscorides dicit, Sarcocolam rufo colore esse præditam, verú Plinius loco citato candidiorem melioré dixit; quam etiam sententiam confirmauit lib. 13. cap. 11. quo loco dicit, sarcocola vocatur gummi vtilissimũ pictoribus ac medicis, simile pollini thuris, & ideo candidũ quàm rufum melius. Plinio videtur Mesues fauere; ego vero censeo Dioscoridis sentétiam veriorem esse. In saporibus etiá dissentiunt: nam Plinius cum quadam acrimonia esse dulcem dicit. Dioscorides & Galenus, subamaram, quæ qualitates quibusdam non valde calere ostendunt. Mesues secundo ordine calidam posuit, & minus siccare dixit. Adulteratur gummi, sed cognoscitur dolum (vt Musa & Matthiolus docent) gustu. Nam pura grana amaritudine afficiũt: impura, nequaquam. Hãc maximè vetustate nigrescere tenet Plinius: nos veram sarcocolam habemus, nec illos probat Musa, qui sarcocolam esse inficiantur,

Loco superius citato.

tur, quia pollini similis nó sit, imo pro maiori parte, adeo tenuia grana sunt, vt pollinem imitari videantur, quãuis aliqua etiã crassiora sint, quæ tamen non impediunt esse pollini similia. Solutione pituitã educere dixit Mesues: Auicenna humoré crudum, ac phlegma crassum & præsertim ex coxẽdicibus & articulis. In eadem opinione est Serapio, quod Arabum inuentum esse tenet Manardus, nam Græci non nisi, extrorsum ea vtebantur; an vero purget & si purgat, quomodo id faciat, cum expertus non sim, anceps existo: præsertim cum succos vnire & carnẽ glutinare, purgationi aduersa sint. Rursus, Manardus eodem in loco Mesuem reprehendit, & iudicio meo non immerito, quòd dixerit ex mẽte Dioscoridis vsum eius impinguare corpora: Nã hoc Dioscorides nó dixit, nec videtur quo pacto nó pugnet cũ hisquę ab eo dicta sunt. Si enim purgat & stomachũ (vt dixit) conturbat, quomodo pinguescere facit corpora & semen auget? Nisi humores purgare fortè dixerit, qui nutrire corpus prohibebant, quod omnibus purgantibus est commune; quare non magis huic, quam alijs pharmacis facultas hæc corpora impinguandi, ad hunc modum deperaccidens est adscribenda. Hanc, vt

Auice. libr. 2. c. 592.

Serapio. c. 15.

inquit Mesues, dies quinq; asinino lacte, in dies mutando macerant: post aqua rosarum dissoluunt, vt castigent. Serapio tamē infusione olei nucum, vel amygdalarum dulcium corrigit. Verùm Mesuæ correctio melior est pro collirijs: Serapio tamē in hoc corrigendus est, quod dixerit, oleū nucum sarcocolæ frigiditatem abigere, cū constet ex superioribus, calidam esse. Post hanc tamen præparationem, mirum non est si mite pharmacum euadat, vt libr. 4. de composi. medicam. secundum genera. cap. 5. parum post initium Galenus scripsit. Et lib. 4. de composi. medic. secundum locos, cap. 4. ad initium, sarcocolam coctorium & discussorium medicamentum esse protulit, quamobrem vlceribus malignis medetur eiusdem Galeni sententia: Idē, lib. 4. de cōp. med. per genera. c. 1. lib. etiam. 8. de simpl. medic. facult. citra morsum desiccare affirmat, ac proinde subdit, glutinare vlcera valere, ophthalmiam & lippitudinem & alios oculorum morbos mirè iuuare Mesues est autor. Cui videtur fauere Galen. lib. de oculis, cap. 4. Sarcocolam ponens in catalogo medicamētorum conuenientium oculis. Experiētia ipsa sæpè cognouit Manardus iuuamentū tū eius in ophthalmia discutiēda. Dioscorides

rides dixit, quod oculorũ sistit fluxiones, Plinius quòd cũ vino fluxiones detinet. Verùm cum calida sit non mediocriter: intelligendum hoc esse arbitratur Manardus, in oculorum inflammationum fine, non enim ab initio fluxionum ea esse vtendũ censet, sed vbi iam discutiendi surgit intentio.

De Opopanace. CAP. XXIII.

PAnaces herba est apud antiquos plurimum celebrata propter excellentem, quam habet facultatem medendi. Nã (vt autor est Plinius) panaces ipso nomine omnium morborum remedia promittit: eius plura sunt genera, vt liquet ex Theophrasto lib. 9. de historia plantarum, capit. 12. liquet etiã ex Dioscoride & ex Plinio: nẽpe Asclepiõ, Heracleõ, Chironeõ, Centaurion, pharnaceum, quę nomina (vt Plinius ait) ab inuentoribus acceperũt: quippe Asclepion cognominatur, quoniam is filiam panaciam appellauit. Alterũ genus, quòd Heraclion vocant, ab Hercule inuẽtũ tradũt; tertiũ quod panaces Chironeõ cognominatur, ab inuentore Chirone nomen accepit. Quartum genus ab eodem Chirone repertũ, Cẽtauriõ cognominatũ, quia ipsemet Chirõ, chiron centaurion dicebat.

Lib. 25. c. 4.

Diosc. li. 3. c. 46. & 47. Plin. li. 25. cap. 4.

cebatur. Quintum Pharnaceum, à Pharnace Rege deducitur: quorũ omniũ descriptiones & natalia à Theophrasto, Dioscoride, & Plinio sunt petenda: quapropter merito à Matthiolo Mesues reprehenditur, eo quòd in panacis historia aperte aberrauit, initio capitis omnia eius genera confundens. Opopanax tamen de quo in præsenti capite sermo fit (Dioscoride & Galeno testibus) succus est herbæ, quę panaces heracliô dicitur. Hæc autem herba, vt Dioscorides describit folijs est asperis, in terra iacẽtibus, herbacei coloris, multũ ad ficulnea accendẽtibus, in ambitu quinque partito diuisis, caule, vt ferulæ altissimo, qui lanugine quadã incanescit, folijs etiã minutioribus obsitus, muscarijs, ceu anethi in cacumine, flore luteo & semine odorato ferventeque, radices habet multas ab origine vna, cãdidas, graueolentes, crassi corticis & subamari gustus. In Boetia & Arcadia pręsertim Phocis habetur & in Syria: ex Syria in Alexandriam, & postea in Venetias affertur. Nascitur etiam, (vt Musa affirmat) in Italia, in monte Apẽnino, & in Gargano Apuliæ. Modum extrahendi succum docet Dioscorides, incisa radice, recenti caulium pullulatu, vel inciso caule æstate, effluens succus excipitur,

tur folijs excauato solo stratis, quæ siccata tolluntur.

Maxime in hoc succi genere ꝓbatur eiusdem Dioscoridis sententia.

- Quàm amarissimus
- internè albus, aut subfuluus
- foris ad croci colorem inclinans
- læuis
- pinguis
- friabilis
- tener
- statim in aqua eliquescẽs, graui odore.

NIger improbatur ac mollis, Plinius tamen candicantem & coactum laudat, nigrum vituperat: medio loco (ait) ambigere pallidũ. Adulteratur (vt inquit Dioscorides) ammoniaco aut cera, sed synceri experimentũ est, si digitis in aqua friatus, resoluatur & lactescat. Nostrum quod habemus, amaritudine aliqua insignitur, nó tamen amarissimũ est, & graui odore sentitur. Propterea cum nostro aliquid mistum esse arbitratur Musa, quod intensam amaritudinem tollit, vel opus est, quátitatem notatu dignam mandare, si intensa amaritudo sentiri debeat, in reliquis notis penitus conuenit. Porro opopanax ipse (autore Galeno) lóge est ad plurimos vsus

Lib.16.cap.26.

Libro 8. de simpl. med. facult.

vsus aptissimus, vt pote excalfaciẽs, emolliens & digerens. Excalfacit ordine tertio: desiccat secundo. Et lib. 7. de compositione medicamentorum secundum genera. ca. 3. dicebat, galbanum, & qui opopanax dicitur, præter quam quod digerunt, etiã quid emolliens habent. Opopanax autẽ in digerendo, galbanum in emolliendo, coquendoq; præcellit. Humores crudos, Serapionis testimonio extrahit: Mesues, solutione pituitam educere, literis mandauit. Verùm nec Dioscorides, nec Galenus ei purgandi vim adscribunt. loco eius (vt Auicenna ait) ponitur galbanum, censetque ammoniacum ei esse propinquum, datur (vt Mesues ait) cum per se sumitur à drachma vna ad drachmas duas.

Serapio. capit. 252.

Auice. lib. 2. cap. 521.

De Euphorbio. CAP. XXIIII.

EVphorbium (Gale. lib. 9. de compositione medicamentorum secundũ locos, cap. 4.) est plantæ cuiusdam spinosæ in Maurusiorũ terra nascẽtis, succus facultate calidissimus; Dioscoridi, lib. 3. c. 78. libica arbor est, ferulæ speciem habens, Mõte Atlante iuxta Mauritaniam crescens, acerrimoque succo turgens; cuius ait eximium feruorem expauescentes incolæ.

quillos

ouillos ventres elutos arbori circumligát, & eminus caulem contis incidunt, confestimque è plaga perinde atque vale quodam in vétriculos copiosus lactis humor effluit, præter id quod humi sparsum vulnus eiaculatur. Nomen habuit ab Euphorbio Antonij Musæ fratre, eius inuentore, qui Iubæ Regi Mauritaniæ inseruiebat: quod etiam innuit Galen. dum de Euphorbio libellú paruum, Iubæ Regi Maurusiorum cóscriptum fuisse protulit. Duo succi genera posuit Dioscorides, vnum orobi magnitudine, sarcocolæ modo emicat: alterum in ventriculis concrescit, atq; vitrum repręsentat, qui, eligendum esse dicit transflucens & acre.

Lib. 9. de cõpo. med. secundum locos ca 4. nõ lõge ab initio.

Mesuæ tamen testimonio euphorbium esse debet,
- leue
- fragile
- clarum
- colore pallido
- acerrimum
  - Sopare
  - odore

Vetus, exolutum & euanidú est, quod quonam pacto debeat deprehendi, docet Galen. lib. 3. de compo. med. secundum genera cap. 4. ad initium, sic scribens; di-

ctum mihi eſt & antea, vetus euphorbiũ recentiori multo inferius:cognoſcens autem (vt dixi) quam ætatem, quamq́; vim obtineat & colorem,& conſiſtentiam eius reſpiciens, colore equidem, vetus nouo flauius,pallidiusq́ue apparet, conſiſtentia durius & ſiccius.Iam ſi guſtu voles diſcernere, non coniecturalem eius dignotionem,ſed firmam habiturus es: nam vetuſtioris calor omnino reſoluitur: perquod tamen tempus poſsit durare, idem docet Galenus lib. 3. de compoſitione medicamentorum ſecundum genera cap.2.in medio,hũc in modum dicens. Euphorbium verò cum principio bonum fuerit & probè repoſitum, aſſeruatumq́ue, etiam anno tertio adhuc vim aliquam retinet, interim & quarto & quinto, ſed ſexto iam exoluitur, deinde procedente tempore in totum elangueſcit. Pecoris autem, hoc eſt ouium ventribus(ſi eidem Galeno creditur) excipi & adſeruari euprobium debet propterea quia (vt ipſe ait) hos ſolos non corrumpit, & ob hoc in his reponi pharmacum poteſt,& lib.9.de ſimp.med. faculta.cauſticæ, ſiue vrentis & tenuium partium facultatis medicamentum hoc eſſe, protulit Meſues calidum & ſiccum ordine. 4. & omnium lachrymarum calidiſsimam

Lib.9. de cõpo.med. localiũ. c. 4.

difsimam & tenuifsimam pofuit. Quamobrem inquit, vrit rubificat, vlcerat, penetrat, tergit & tam violenter agit, vt præ angustia & labore syncopen & sudorē frigidum accerfat, & licet eidem purgandi inesse vim, nec Dioscorides nec Galen. norint, norunt tamen Auicenna & Mesues & Auctarius ac alij. Siquidē Auicenna de eo sic ait: Soluendo educit phlegma visco sum retentum in coxendicibus, pariter & in dorso & intestinis, secundum quod dixerunt. Actuarius etiam hæc de euphorbio posteris scriptum reliquit: euphorbium pituitam subducit, sed potius aquā, est autem acerrimum & maximè vi ignea flagrans: vnde colicis & aluum frigidiorem habentibus datur. Cæteros vehementer conturbat, sitim maximè ciet. Non nihil ex odoratis feminibus ei est miscendū, modus triobolaris ex aqua mulsa. Pręstat autem cum melle cocto in catapotia digerere. Mesues itidem ei vim purgatricē crassę & lentæ pituitæ adscripsit, eamque tam vehementem, vt quantumuis impactam, etiam à neruis & iuncturis remotis euellat. Et Serapio, euphorbium virtutem habere laxandi & calfaciendi humores aquofos sicut sinapi: ac Paulus pituitam emoliri, magis autem aquas, literis tradidere

Li.3.c.232.

Lib. de cō-po. medi. tit. de simp. medicam. purganti-b', in fine.

Cap. 345: lib. 7. titulo quæ aquas educant.

didere, illudq́; cũ mastiche & tragacãtho coctum in pane, dedit in gallicis artuum doloribus Manardus, & sine manifesto no cumento iuuit.

In annotationibus in Mes.

De Resinis. CAP. XXV.

RESina est succus oleosus & pinguis, ad inflammationem propensus, ex arboribus stillans: differt à gummi (vt optimè animaduertit Musa) quia resina oleaginea quodammodo est; gummi aqueũ: quod experimentum maximè monstrat, quoniam resina igne accenditur, gummi crepitat. Difficile præterea est resinas & aquam miscere: facillimũ gummi & aquã: difficillimum gummi & oleum: facillimũ resinam & oleum: quæ experimenta resinę naturam oleagineam: gũmi verò aqueã esse ostendunt. Quapropter nostri temporis inepti quidam mędici naturarum rerũ ignari, merito ab eodem Musa reprehenduntur, eo quòd in varijs compositionibus gummi & oleum miscent, atque resinas & aquam, quæ non se compatiuntur, magno pharmacopolarum clamore. Arbores è quibus resinæ stillant, multiplices sunt: à Dioscoride tamẽ & à Galeno septẽ numerantur, nẽpe terebinthus, lẽtiscus, larix, pinus, picea, abies, cupressus & strobil

lus

lus, qui nó arbor, sed fructus est pini & ab Hispanis (piña) nūcupatur. Hinc totidem ab autoribus resinæ ponuntur, nempe terebinthina, laricina, pinea, picea, abietina, cupressina, strobillina. In resinarum histo rijs Plinius & Dioscorides dissentiunt, siquidem Plinius dixit resinarum species summatim duas esse, siccam nimirum, & liquidam. Siccam è pinu & picea oriri ait: liquidam è terebintho, larice, lentisco, cupresso. Dioscorides tamen liquidam è pinu & picea colligi, asseuérauit. Ad quod respondet Matthiolus, quod & si Plinus dicat siccam resinam è pinu & picea colligi, non negat liquidam simul cum sicca nasci posse. Ipse enim dicit se vidisse ambas simul in eadem pinu, vel picea prouenisse. Decipitur etiam Plinius, inter resinas liquidas lentiscinam connumerans, quæ nihil aliud est quàm nostra mastiche, omnium resinarum durissima. Inter omnes ta men Dioscorides & Theophastus primas terebintinæ dederunt, proximam Diosco rides dicit esse lentiscinam. Contrariam ta men sententiam tenet Galenus lib. 8. de simpli. med. facul. tit. de resinis, quo loco dicit hæc verba: Primas meruit omnium non iniuria lentiscina: eam vocant mastiché, nam preterquā quòd paucula ei adest adstrictio

Lib. 24. c. 6.

Lib. 1. c. 76.

Disco. lib. 1 c. 75. Theophrastus li. 9. de historia plantarum cap. 2

adtrictio, adeo vt ſtomachi ventriſque & iecoris imbecillitatibus & phlegmonibus conueniat, inſuper illi ineſt, mordacitate vacans deſiccatio, minimum enim acris eſt, & maxime tenuium partium, verùm ad hoc reſpondere poſſumus, ſi cum Muſa dixerimus, hoc loco Galenum non de omnibus qualitatibus loqui, ſed per ſolam adſtrictionem reſinas deſcribere, ſecundum quam primas tenet lentiſcina. Dioſcorides reſinas deſcribit ſecundum omnes qualitates ſimul, adſtrictionis, caloris, emollitionis, abſterſionis, ſecundum quas terebinthinam omnes antecellere dixit. Proximum locum lentiſcinam tenere ſcribit, mox pineam, deinde abietinam, poſt piceam, & vltimum ſtrobillinam. Quod ſi aliquando Galenus ſecus quam Dioſcorides aliquam iſtarum præfert, & laudat, non abſolutè intelligendum eſt de omnibus qualitatibus, ſed de vnica tantum. Quod lib. 3. de compo. medica. per genera cap. 2. in medio manifeſtiſsimè voluit, vbi mentem ſuam aperuit, nam poſtquam illo capite omnibus alijs præſtantiorem ſtrobillinam eſſe dixit, ſubdit, putabit forſan aliquis nobiſcũ diſſentire Dioſcoridem Anazarbeum in ſermone de reſinis hæc verba ſcribentem, primo de medica

dica materia cõmentario: Ex omnibus resinis principatus terebinthinæ datur, post eam lentiscinæ, tum ei quæ de picca raditur & abiete, post quas pinea, strobillinaque numeratur, in his enim Dioscorides tanquã de infima strobillina, optima vero terebinthina sentire videtur. Verũ ego ex his tribus resinis strobillina, abietina, terebinthina principẽ certè strobillinã calore, secũdã abietinã, postremã terebinthinã esse dixi. Et paulo infra subscribit, simpliciter tamen inter resinas, optimam tãquam medicamentum in multiplices vsus accõmodatum, merito terebinthinam affirmaueris, non tamen caliditate primas obtinere. Hæc Galenus. Omnes itaque resinæ, (autore Galeno) pariter ac Dioscoride loco citato calfaciunt, exsiccãt, emolliunt, discutiunt & expurgant. Sed differũt quod hæ magis illæ minus, eas tamẽ optimè disponit Musa in hunc modum.

Galen. li. 3. de compo. medicam. per genera cap. 2. Dioscorides loco citato.

In adstringendo.

Prima existit lentiscina, idest mastiche.
Secunda terebinthina.
Tertia strobillina.
Quarta pinea.
Quinta picea.

Sexta

Sexta abietina.
Septima aliæ.
In digerendo.
Prima terebintina habetur.
Secunda lentiſcina.
Tertiæ aliæ. quæ parum differunt in maiori aut minori dirigendi actione.
In abſtergendo.
Prima eſt terebinthina.
Secundæ aliæ, quæ non differunt in abſtergendo ſenſibili aliqua differentia.
Tertia lẽtiſcina, quæ minus alijs abſtergit.
In attrahendo.
Prima terebinthina exiſtit.
Secundæ aliæ quæ in attrahendo eadem vi inſigniuntur.
Tertia lentiſcina quæ cæteris minus attrahit.
Docetur etiam à Galeno. 8. de ſimplci. medic. in emolliendo reſinarum ordo qui talis eſt.
Prima habetur terebentina.
Secunda lentiſcina.
Tertia cypariſsina.
Quartę aliæ, quæ æquo modo molliunt, quanquam & exſiccandi vim quandam habeant.
Poſſumus etiam ſecundũ calorem & acrimoniam eas comparare, ſecundum quam comparationẽ, prima erit ſtrobillina, quæ
(vt

(vt autor est Galenus lib.8. simpliciũ medicam. & lib.2. de compo. med. per gener. cap. 2. in initio, & lib. 3. eiusdem tractationis, cap. 2. in medio, & lib 7. cap. 11. ad finem) omnium resinarum longe est calidissima, secunda est pinea, & abietina: moderatissimæ & mitissimæ omnium sunt prima terebinthina; secunda laricina; vt videre est apud Galenum 1. de composit. medic. per genera. cap. 12. & lib. 2. eiusdem tractationis cap. 2. in initio. Ex quibus sequitur, meritò omnes alias antecellere terebinthinam, quādoquidem in omnibus facultatibus primas tenet: duabus tantum exceptis, nempe in adstringendo, in qua præstantior est lentiscina; & in calfaciendo, in qua efficacior strobillina inũenitur. Verùm quia terebinthina ad nostram Hispaniam non affertur, forte quia (vt Theophrastus ait) pauca admodum stillat, ideo autoritate Galeni lib. 6. methodi medēdi, cap. 2. post mediũ, in eius penuria vti possumus humida pinea, tum etiam fricta, nō minus etiam his & abietina. Resina terebinthina, & abietina magna cum facilitate ventrem expurgant, & renes, & vesicam, & omnem illuuiem ab eis tollunt. Deobstruunt etiam ventriculum, iecur, lienem & vterum, & propter amaritudinem cu-

Lib. 2. de historia plantarum. c. 1.

ius sunt participes, sanant etiam omnem psoram & scabiē. Pix (vt autor est Plinius) nihil aliud est, quàm fluxus combustæ in tæda sua resinæ, de pinu ferè omnis, vt Theophrastus inquit, quamquam in Syria è terebintho quoque picem fieri dicat, quia desunt ibi pini. Duo eius genera describit Dioscorides, liquidam nempe & siccam: liquida est liquor ille profluēs ex tæda sua combusta, qui liquor si vlterius coquatur, in siccam transit, & adeo durescit, vt in puluerem redigi posit.

Lib. 23. cit. loco citato

Probatur Dioscoridis testimonio.
- Pura
- pinguis
- odorata
- subrufa
- resinosa
- splendescens
- leuis.

DEsiccat & calfacit ordine. 2. vt Galenus ait, licet sicca plus exsiccet quā excalfaciat: humida è contrario plus calfacit quàm exsiccat. Pix colophonia, quam & Grecam & Hispanam appellare solent, fit nostra hac resina cocta, coquitur in vase aliquo lento igne: nec aliunde procedit eius varius color (est enim vna crystallina,

Lib. 8. de simpl. med. facult.

lina, alia hyacinthina, vel alterius cuiuſpiam coloris) niſi ex varietate reſinæ à qua fit. Zopiſſa (teſte Dioſcoride) deraſa eſt à nauibus reſina cum cera: eam diſsipandi naturam habere ſcribit, quoniã marino ſale macerata fit: ab Hiſpanis dicitur, Breo de las naos.

(?)

Laus Deo.

INDEX EORVM QVAE IN HOC OPERE De Curandi Ratione, per medicamenti purgantis exhibitionem continentur.

Primam paginam, A, indicat: secundam verò, B.

Actuarius ob quas rationes censeat in tertiana exquisita venæ sectionem utilem esse. fol.162.

Actio à præpollentiori euenit. 61.b

Actiones duplices sunt, quædam perfectiuæ, quædam corruptiuæ.

Agens in agendo repatitur. 3.b

Agens dum agit aliquid patitur à patiente. 14.b

Agens omne naturale agit per contactum mediatum vel immediatum. 91.b

Agere per se quid dicatur, & quid per accidẽs. 9.b

Agentia naturalia plus appetunt contraria sibi aßimilare, quam in proprio manere loco. 95.a

Aêr calidus, quo pacto arte frigidus fiat. 179.

Aer natura sua calidus est & humidus. 90.a

Aerem dupliciter Galenus considerauit. 57.a
Aer cuius respectu frigidus dicatur. 57.b
Aeris qualitates insitæ, unde inuestigari debeant. 54.b. *Et Stoicorum opinio de aeris qualitate refellitur.* 56.b
Aeris media regio æstibus frigidior redditur. 54.a
Aeris qualitates easdem ponit Galenus quas Aristoteles. 57.a
Æruginis facultas. 19.b
Ætas interdum integram euacuationem fieri prohibet. 205.
Affectiones aliquæ in corpore consistunt, sed ob exiguitatem non apparent. 13.b
Affectus commixtus ex plenitudine & cacochymia utrumq; remedium, venæ sectionis & purgationis exposcit: & quæ sunt circũspicienda ad eius curationem. 167
Agaricum. 321
Agaricum, cur vomitum moueat cum adstringente vi polleat, & ob id robur ventriculo debeat conciliare.
Agricolæ triticum, aquam attrahere agnoscunt 94.a
Alexipharmaca & alexiteria, hoc vel illud venenum attrahunt: non verò illorum quodlibet omnia attrahit. 93.b
Alimentum in quo differat à medicamento. 2.a
Alimentorum vis. 2.b

Alimen-

Alimentorum diuturna exhibitio insigniter corpus nostrum alterat. 3.a.13.b
Alimentorum vsus permutare potest naturalẽ partium temperaturam. 38.b
Alterationes tantum sensibiles medicus animaduertit. 13.a
Allia, & cepæ, vel nasturtium, & porra simul seri non debent. 102.a
Ammoniacum 367
Aphrodiseus quartum tractionis modum excogitauit. 95.b
Aqua naturaliter sursum mouetur causa euitãdi vacuum. 92.b
Aristoteles fallitur dum asserit medicamenta expurgantia in omne corpus peruadere, & noxiũ humorẽ quasi vinctum reducere. 130
Arist. 4. meteororum, non solum agit de coctionibus, quæ in humano corpore fiunt, sed de omnibus alijs. 251
Ars, seu vitæ genus, quam indicationem præbeat in euacuationibus obeundis. 210
Asarum. 348
Auerroes Galeno consentit in proprietate soluentium medicamentorum. 103
Auicennæ sententia circa reactionem medicamentorum explicatur. 12.b
Auicenna tractionem quæ fit à calido, ad eam quæ fit à vacuo reducit. 88.a
Auicenna duas tantum in genere tractionis

causas cōstituit, facultatem & vacuū, ibid.
Auicennæ locus ex 4. 1. cap. 4. expenditur. 173.
Auicēna easdem tradit causas cum Galeno, cur purgationes sub cane sint molestæ. 178.
Auicenna ad affigendas cucurbitulas, lunæ incrementa cur eligat? 187
Autumnus post ver secundum locum ad purgationem obtinet. 183
Auxilia quæ ex accidenti calidam quandoq; intemperiem sanant. 31.a
Auxiliorum diuisio. 30.b

B.

BAlneum quare coctionem adiuuet. 245
Balneum ijs, qui crassos, terreosq; humores continent, cur conueniat. 247
Balneum in oculorum inflammationibus cum plenitudine, cur non admittat Galenus. 257
Balneum in quartana ante missionem sanguinis cur conueniat. 258
Bilis putrefacta, (vt & cæteri humores) quo tempore in alium humorem non migrat, formam bilis reseruat. 113
Bilis insuper purgationibus effluit ante alios humores, ante ipsam verò humores serosi. 118

Bilis, aut salsæ pituitæ generationi, qui sint parati. 153
Bilem atram, qui coaceruent. 153
Bilis in iecore aut vasis abundans, si nec plenitudo nec febris adsunt, purgatione tantum demanda est: si vero plenitudini implicetur, aut citra plenitudinem febris accendatur, non solum purgatio sed etiam sanguinis missio conuenit. 163.164
Bilis in corpore redundans, ex quibus dignoscenda. 210
Bilis euacuationẽ cur facilem Galenus dicat, pituitæ verò & nigræ bilis difficilem. 231
Bilis vt euacuetur attenuatione nõ indiget, nisi phlegmati crasso misceatur. ibid.
Bilis per assationem crassa admodum facta non incidi, neque attenuari, sed dilui & attemperari debet. ibid.
Bilem, & si tenuis sit humor, natura tamen in principijs morborum non expellit, & cur. 233.
Bilem flauam ante coctionem medici euacuare non debent. 233
Bilis in tertiana non turget, contra Manardũ. 236.
Bilis cur ante euacuationem concoquenda. 236

C.

CAcochymia quid sit. 67.a
Cacochymia quæ, purgationẽ indicet. 69

Cacochymia, quid ex Galeno. 150
Cacochymia, non solum consistit flaua bile & atra ac pituita putrescentibus, verum & ipsis citra putredinē exuberātibus, dūmodo vnà sanguis non exuberet, iisdem vero humoribus nō solū exuberantibus, sed etiā putrescētibus, grauior cacochymia cōsurgit 151
Cacochymiæ & plenitudinis discrimen. 151
Cacochymia, aut à vitioso alimento, aut ab aliqua corruptela vel putredine generatur. 152
Cacochymia ex vitioso alimento. 152
Cacochymia ex putredine. 153
Cacochymiam præcipuè congerunt, qui ob vitiosam temperaturā, in alicuius praui succi generationem sunt, vel natura, vel consuetudine propensi. 153
A Cacochymia, qui morbi nascantur. 154
Cacochymia licet in omne corpus dispergi soleat., eius tamen præcipuum receptaculum, prima est corpori regio. 154
Cacochymiæ, tum ex loco, tum ex propria natura differentiæ. 157
Cacochymiæ omni purgatio competit. 157
In Cacochymia primæ corporis regionis vena sine magno naturæ dispēdio, secari nequit. 157
In Cacochymia, quæ sanguini, citra plenitudinē in vasis permiscetur, vena secāda nō est. 158
In Cacochymia sincera, valde noxia est sanguinis missio. 159
Cacochymiæ simplicis ratione, sanguis mittēdus

non est, nisi alia symptomata urgeant. 160
Cacochymicos & prauo victu utentes, non arcet à purgatione Hippocrates, sed eos cautè & non affatim purgandos monet. 160
Cacochymia in prima corporis regione existēte plenitudine verò in vasis, prius illa purganda est, quam plenitudo minuatur. 168
Cacochymia in prima corporis regione existens si leuiter partibus adhæret, coctione ad sui purgationem non eget. 168
Cacochymia plurima in vasis simul cum plenitudine non plurima existente, purgandum prius est: dein sanguis mittendus. 169
Cacochymia & plenitudine paribus, in vasis existētibus, aut cacochymia parū supra plenitudinē adaucta, vel è conuerso, à venæ sectione curationis exordium est sumendum. 170
Calida medicamenta, vide medicamenta.
Calor natiuus est principium, quo medicamenta reducuntur in actum. 31.b
Calor naturalis an tribuat medicamentis eam qualitatem, per quam operantur. 35.a
Calor noster, quomodo medicamentis calorem se maiorem præstare poßit. 43.a
Calor an per se sit tractionis causa dißerit. 88.a
Calor seruit tanquam instrumentum facultati tractrici, & cur magis quam frigiditas & cæteræ qualitates. 90.a
Caloris primarius effectus est calfacere. 91.a

Ab una causa de per se, unus de per se prouenit effectus. ibid.
Contrariorum lex. ibid. b
Cur ad partem calfactam plus feratur eo quod à calore dißipatum est. 90. a
Sub cane & ante canem non in totum prohibet purgationes Hippoc. sed eas esse molestas asserit, ut scilicet eas tūc nō nisi urgēte necessitate & parciores & medicamentis minus validis moliamur. 178. b. 179. a
Canis maior & minor, ex quot stellis constēt. 175.
Canis quo tempore excritur: & ipse exoriēs, quantam mutationem rebus terræ afferat. 176.
Casia fistularis. 299
Cataplasmata, & perfusiones in præcordijs, qualia & quando usurpanda. 247
Celeritas motus, vim & robur ostendit, quemadmodum tarditas imbecillitatem. 89. a
Chyrurgi, cur æstate etiā media in capitis fracturis aerem calfaciant.
Coctio in morbis diutinis semper ad purgationem est expectanda. 226
Coctio manifesta ad excretionesnō sufficit. 228
Coctio licet in humoribus pariat craßitudinē, cur ad purgationem expectanda. 230
Coctio in nocitiuo qualis. 233
Coctio est victoria naturæ supra noxios humores.

res. 234
Coctio omnia reducit ad mediocritatem. 235
Coctio circa alimenta & proficuos humores quid sit. 240
Coctio alimentorum vera est generatio. 240
Coctionis causa, calor est natiuus. 243
Coctio à quibus comparetur. ibid.
Coctionem quies adiuuat. ibid.
Coctioni mediocris exercitatio confert. 244
Coctio à fomentis iuuatur. ibid.
Coctio cur à Balneo exercitio & frictione iuuetur. 245
Coctio quæ circa noxios humores versatur, iuuatur ab eisdem à quibus iuuatur coctio quæ circa alimenta & proficuos humores versatur. 246
Coctio interdum à refrigerantibus adiuuatur. 250
Coctioni frigida & sicca, putredinē abigendo opitulantur. 250
Coctionis effector, calor, est natiuus interdū autem calor ipsius rei quæ cōcoquit, interdum vero ipsius concoquentis. 251
Coctio alimentorum in ventriculo elixationi proportione respondet. 252
Coctio alimentorum inventriculo non fit à proprio alimentorum calore, sed à calore vētriculi coquentis. 252
Coctioni humorum medicamenta purgantia ad=

aduersatur. 217
Concocta purganda cur sint, cruda vero minime. 217
Clepsydra quid sit. 93.b
Clysteres, in virtute valida animali adhibendos iubet Hippocr. 199
Clysteres debent antecedere venæ sectionem si malum non valde vrget, nec properé mortis periculum minetur. 173
Color in corpore humores delitescentes ostendit. 150
Colocynthis. 357
Comminutio medicamentorum ad actionē summé est necessaria. 41.b
Composita medicamenta quæ dicuntur. 17.a
Composita medicamenta Plinius videtur improbare. 18.a
Cōpositio medicamentorū, vide medicamentū.
Conualescentes quo pacto regendi. 290
Conualescentium alimēta, qualia esse debeant. 292.
Conualescentibus sorbitiones & iurulenta non conueniunt. 294
Conualescentibus somnus vtilis. 295
Conualescentibus exercitationes vtiles. 296
Cor cur assidue moueatur. 58.a
Cor omnium partium animalis calidissimū. 41.a
Cor innatæ caliditatis est principium. 87.a
Corporum humanorū, quibus ars medica auxi liatur

liatur, differentiæ. 288

Corpus temperatum reliquorum veluti norma quædam est. 6.b

Corporis habitudo ad euacuationem faciēdam, quomodo sit consideranda. 201

Corpora gracilia & plurima amara bile referta quomodo sint regenda. 161

Corporis obesitas euacuationi obsistit. 161

Cruditas duplex. 242

Cruditas morborum fere omnium est seminarium. 240

Curatio fit à contrario æquali. 8.a

D.

Deleteria in corpus agunt, non tamen repatiuntur. 3.b

Deleteria medicamenta cur in vsum medicinæ vsurpentur. 40 b

Differentia tractionis quæ fit à vacuo ab ea quæ fit à facultate. 94.a

Dolor num inter tractionis causas enumerari debeat. 97.a

Dolores in duplici sunt differentia, & in quibus copiosa sanguinis detractio conueniat. 203.

Dolor fluxiones commouet non trahit. 98.a

In dolentem partem non solum ex superuicinis sedibus succi decumbunt, sed etiam

ex

ex longinquis, & cur. 98.b

E.

Elementa sensibilia mista sunt 51.a
Elementa vires ad agendum actu non potentia obtinent. 49.b
Elementa cum pristinas qualitates amiserunt, à quo tandem in illas reducantur. 59.b
Elementa ambas qualitates in summo nõ habẽt, sed vnam dumtaxat. 62.b
Elementorum qualitates quæ. 50.a & 52.b
Elementorum qualitati quæ citra summũ est an misceatur qualitas contraria. 62.a
Epicerastica, idest, à temperantia quando conueniant. 69.a
Euacuatio quando sit partienda. 198
Euacuatio integra semper lædit eos qui calida & sicca temperatura sunt præditi. 199
Euacuatio tollerabilior est iis, qui venas amplas & turgidas habent, quã quibus sunt angustæ. 201
Euacuationẽ vetant symptomata vt alui profluuium ac conuulsio, & cur. 202
Euacuationem etiam probibet procliuitas incidendi in affectus vires dissoluentes. 203
Euacuationis immodicæ præcipuum inditium est, tolerantiæ defectus. 274

Facul=

F.

Facultas quid. 24.a
Facultas cuiusque rei quibus coniectetur. 4.b
Facultas medicamenti exploratur ex eius applicatione, affectui æqualiter contrario facta. 12.a.
Facultates medicamentorum, vide medicamentum.
Facultates naturales non ex quacunque distantia agunt, sed ex determinata & mediocri. 94.a
Facultates nostri corporis etiam diuersi generis mire inter se conueniunt. 99.b
Facultates naturales non operantur quantum expedit, sed quantum possunt. 100.a
Facultates purgatrices non profluunt ab specifica forma, sed ex modo mixtionis. 104
Facultas tractrix cur calore iuuetur. 106
Facultatis animalis robur magis requiritur ad purgationes quam ad venæ sectionem. 199
Facultas tractrix in quibusdam rebus actu, in quibusdam potestate existit. 109
Fames cur perfectæ purgationis signum non ponatur. 287
Fernelij opinio de loco in quo materia febrium intermittentium contineatur improbatur. 164

Febris sola sine plenitudine sanguinis mißionem exposcit. 164
Ferrum cur magnetem non trahit. 108
Fiber. 361
Frictionis utendi tempus. 245
Frigida, actu calida reddita cur non calefaciũt. 10.b
Frigida, ex accidenti aliquando calorem augẽt. 15.b
Frigida medicamenta, vide medicamenta frigida.
Frigus non repercutit humores de perse, sed tantum ex accidenti. 88.b
Flamma in lucernæ oleum non trahit, sed ad illud mouetur ut pabulum sumat. 89.a
Formæ artificiali actio secundum naturam tribuenda non est. 108
Fumaria. 346

G.

Galbanum. 364
Galeni locus castigatur. 42.a
Galeni locus explicatur. 52.a
Galeni locus alter explicatur. 39.a
Galenus à contradictione vindicatur. 59.a
Galeni loci interpretantur. 99.a
Galenus à Bracchelli calumnia vindicatur. 59.b

Generationis nostræ primordia quæ. 65.b

Galenus tractionem quæ fit à calido omisit. 3. de facult. na. & cur. 87

Galenus non decernit. 2. de diff. feb. an calor vere dicatur trahere & cur. ibid.

Galenus idem sentit cum Hippocrate de soluentium medicamentorum ratione. 102

Galenus medicamenti soluentis proprietatem, interdum qualitatis, interdum totius substantiæ similitudinem appellat. 104

Galeni sententia de medicamentis purgantibus medijs quòd vertatur in humorē sibi similem quando purgatione frustrantur, defenditur. 138

Galenus non meminit venæ sectionis in tertiana. 161

Galenus pueris sanguinem mittit, parce tamen, & minus quæ plenitudo postulat, & cur. 206.

Galenus prima die pharmacum exhibuit. 225

Galenus in humorum turgentia non exhibet extenuantia medicamenta ratione humorum turgentium, sed causa crudorum & crassorum si qui forte tunc in corpore sint. 232

Galenus quo pacto interpretandus dum præcipit humores tenues & serosos inter initia morbi euacuare. 238

Galeni locus ex. 4. de sanitate tuenda cap. 5.

 inter=

interpretanda 239
Galeni duo loci pugnantes conciliantur. 257
Hippo.1.de natura humana quæ vocet cognata. 124
Hipp.argumentum quo probare nititur, pituitam esse frigidißimam. 124
Hippocratis duo loci pugnantes de pituitæ euacuatione ante atram bilem insuper purgationibus explicantur. 123
Hippocrates. 1. de natura humana tex. 32. de qua pituita loquitur, cum ait vi potißimum post atram bilem vacuatur ostẽditur. 125
Hippocratis in libro de natura humana institutum. 128
Hippocrates naturalis humoris facultatẽ ostendit, exemplo alterius qui in eodem genere preternaturam est. 127
Hippocrates per exiccatas venas inanitas intelligit. 95.a
Hippocratis sententia depurgantium medicamentorum vi. 101.b
Hippocrates quid per ante canem intelligat. 176
Historia Galeni de medicamento sanguinẽ purgante. 121
Humor qui in aliquam partem illabitur, confestim est reuellandus, sanguis quidem venæ sectione, quiuis alius humor purgatione.

ne. 224
Humor crudus & multus cur sit minorandus. 228
Humor pestilens cur sit minorandus. 229
Humores vno codemq; tempore in iecore generantur. 16.b
Humores quatuor, porsicui nobis à natura insunt. 65.b
Humores à medicamentis trahi, experientia demonstrat. 81.b
Humorum à medicamentis attractio an sit à contrario. 82.a
Humores turgentes in frigidãtibus indigẽt. 232
Humores craßi & viscidi quibus ad concoctionem indigeant. 238
Humores putrescentes in pueris per somnum concoquntur.
Humores decumbere in aliquam partem quid sit. 223
Humores tenues facilius euacuantur quam crassi, in loci distantia paritate seruata. 120
Humorum in corpore temperato quæ debeat esse proportio & æquabilitas iusta. 142
Humoribns turgentibus extenuantia non conueniunt. 231
Humores qui ad certam aliquam partem, aut principem, aut vitæ necessariam mouentur, etiam si non turgeant citra concoctionẽ sunt statim euacuandi. 223

Humores turgentes statim in initio eradicante medicamento sunt educendi, pestilentes vero cur solum minorante. 229
Humores medicamento educendi, prius sunt fluxui parandi. 229
Humores tenues & serosos cur inter initia morbi euacuare praecipiat Galenus. 230
Humores si post coctionem crassi & viscidi remanserint ante purgationē incidi & attenuari debent. 230
Humor qui in finem titionis peruenit non trahitur sed pellitur. 96.b
Humores cur à valentioribus partibus in imbecilliores expellantur. 97.a
Humores non truduntur vbi nec plenitudo nec praua qualitas infestat. 97.a
Humores cur in dolentes partes decumbant. ibid.b
Hyems cur purgationibus obsistat. 180

I.

IGnem citra summā caliditatem reperiri defenditur. 51.a
Imbecillitas alicuius facultatis interdum est, praeeligenda potius quam noxa, quae ex euacuationis omißione sequi potest. 199
Imbecillitas cuiuslibet trium facultatum euacuationem inhibet. 197

Inanitio euacuationem probibet. 196
Indicatio quæ à consuetudine sumitur, ad euacuationes moliēdas quanti momenti sit, expenditur. 204
Indicatio quæ ab astris sumitur ab aliis vrgentioribus obumbratur. 188
Indicationes quæ rectum euacuationis iudiciū demonstrant quot sint. 195
In indicationum contrariarum permixtione quid medico agendum. 195
Inedia licet æquabiliter plenitudinem euacuet quia tamen leuiter & sensim id præstat acutorum morborum præsentium aut imminentium promptum & expeditum remedium esse nequit. 154
Iris. 351
Iridis vbi meminerit Galenus. 23.b
Iuberti quædam sententia friuola. 33 b

L.

LApis Cyaneus. 339
Luna in horum inferiorum alteratione magnas vires poßidet. 184
Lyen est præcipuus locus in quo colligitur & cumulatur humorum colluuies & è quo sæpius solet cacochymia prodire. 152

M.

MAgnes ferrum attrahit, non aurum aut gemmas ob certā qualitatis similitudinem

nem. 93.b

Manna. 229

Medicina quid significet. 1.b

Medicinæ subiectum quod. 6.b

Medicamenti virium vehementiam & quantitatem à quibus decernere debeamus. 174

Medicamenta purgantia eodem modo attrahũt humores sibi familiares quo stirpes alimentum sibi cognatum attrahunt. 101.b

Medicamentum purgans in febribus cur in die accessionis noxium. 188

Medicamenta purgantia in diebus decretorijs non conueniunt. 190

Medicamentum purgans ieiunio ventriculo sumi debet & cur. 194

Medicamenti sumendi hora duplex, electa vna necessaria altera. 194

Medicamenta purgantia an sint nutricibus exhibenda pueris quos lactant ægrotantibus. 208

Medicamenta nostra purgantia & si antiquorum catharticis sint clementiora, non omnino tamẽ carent incommodo in sanis corporibus. 209

Medicinæ partes quotuor sunt inter quas curatrix præstantior est reliquis. 289

Medicus sensibiles tãtum alterationes animaduertit atq; considerat. 13.a

Medicamẽta minoratiua quæ sint & cur dicãtur

tur. 228.
Medicamenta eradicatiua interdum contingit esse minora minorantibus. 228
Medicamenta purgantia in forma solida exhibita se ipsis in forma liquida exhibitis valētius operantur. 259.
Medicamenta purgantia cur interdum in forma liquida propinata magis purgent quā in solida. 260
Medicamenta purgantia cur tepida sumenda, non calida nimis aut frigida. 261
Medicamenta purgantia quando frigida aut calida sumi debeant. 262
Medicamenti purgantis assumpti cur vomitio impedienda, & quibus modis pro causarum ipsius varietate impediatur. 263
Medicamentum purgans ieiuno ventre non famelico existente sumendum est. 265
Medicamento assumpto quid faciendum. 266.
Medicamentum purgans quas ob causas interdum humores commoueat & non euacuet & quo pacto illis occurrendum est. 272.
Medicamento nauseam animi deliquium cordis tremorem, & alia symptomata inferente quid moliendum. 273
Medicamentum purgans quas in corpore dispositiones relinquat & ipsarū medela. 276
Medicamentum humores ad intestina trahere, curq; natura potius eos inferius quam ad

ventriculum effundat. 131

Medicamenta cur hæc quidem sint vomitoria illa vero aluum subducant. 132

Medicamentum deiectorium quibus de causis fiat vomitorium, & é conuerso. 132

Mesues quo pacto interpretandus cum ait medicamentum fieri deiectorium si prompté ad aluum descendat, ne sibi met repugnet asserenti medicamẽtum deiectorium esse aut vomitorium non quia graue, aut quia leue, sed quia tale. 133

Medicamentum purgans quibus de causis fine suo frustretur. 134

Medicamẽtorum purgantium tres classes recẽsentur ex Galeno. 135

Medicamenta purgantia lenia & clemẽtia enumerantur. 135

Medicamenta purgantia grauia penéq; deleteria. 136

Medicamenta purgantia media si purgatione frustrantur talẽ producunt humorem quãlẽ trahere nata erant. 136

Medicamentum purgans humores exagitat & phethoricum corpus perturbat. 171

Medicamenta frigida & si actu calida sumantur, facile tamen in pristinum statum cõuertuntur. 40.a

Medicamẽta potestate frigida & actu frigida sumpta, num à calore nostro calefiant. 42.b

Et

Etsi calesiunt quomodo refrigerant. ibi.
Medicamenti definitio. 2.a
Medicamenti facultas, vt exploretur cui affe=ctui applicari debet. 11.a
Medicamenti frigidi indicium est si affectui calido applicatum prodest. 15.a
Medicamenti actus & potentia. 24.a
Medicamentorum facultas quomodo exploranda. 4.b
Medicamentorum compositio neceßaria. 18.a
Medicamentorum compositorum vsus maxi=mus in affectibus complexis. 19.b
Medicamentorum componendorum alia causa. 21.a
Medicamentorum particulares facultates multiplices sunt. 21.b
Medicamentorum vires secundæ & tertiæ ex solo temperamento aut consistentia, aut sa=pore difficile reperiuntur. 23.a
Medicamentorum principium quo in actum reducuntur est calor natiuus. 31.b
Medicamentorum comminutio maximè necessaria est, quando exterius applicantur. 42.a
Medicamentum de quo enuntietur. 1.b
Medicamentũ in quo differat ab alimento. 2.a
Medicamentum temperatum an detur. 7.a
Medicamentũ expers esse debet alienæ qualita=tis antequam de eo iudicium sumatur. 10.a
Medicamentũ per iteratã applicationẽ vincit fortem

fortem affectu. 13.a, & 14.a
Medicamentum simplex & compositum quid 16.b
Medicamentum in quo potentiæ modo constituatur. 30.a
Medicamenta non actu sed potestate vires suas obtinēt. 31.a
Medicamentum calidum non prius nos excalfacit, quam comminutum fuerit. 32.a
Medicamenta frigida quid postulent, vt in corpus agant. 32.b
Medicamenta calida quid à calore nostro accipiant vt operentur. 33.a
Medicamentum purgans vide purgatio.
Medicina latius patet quam medicamentum. 1.a
Medicina vnde dicatur. 1.a
Medicamenta purgantia & humores quos trahunt, sæpe in manifestis qualitatibus conueniunt. 104
Medicamenta purgantia, & si sint humoribus quos alliciunt similia, ipsis tamen sunt potētiora. 105
Medicamenti purgantis valentior potentia ob quā humores attrahit calor nō est licet calore adiuuetur. 105
Medicamenta purgantia num valeant putrefactos humores attrahere disseritur. 112
Medicamenta putridos humores educentia recensen=

censentur. 112

Medicamenta cum humoribus putridis similitudinem obtinere præter rationem non est. 114

Medicamentum quodpiam cum multis humoribus similitudinẽ habere nihil inconuenit. 114

Medicamenti compositi diuersos humores expurgantis componendi ratio. 115

Medicamento purgante exhibito cur interdũ nulla aut exigua sequatur purgatio. 117

Medicamenta prius attrahunt familiaria liquidiora, mox craßiora. 120

Medicamentum sanguinem è venis eliciens an extet. 121

Medicamenta existunt sanguinẽ per vrinas detrahentia. 122

Medicamenta an ad humorem euacuandum perueniant differitur. 128

Medicamenti pars corpulentior non permeat ad humorem expurgandum, sed in ventriculo, aut intestinis persistens familiarem sibi humorem prolectat. 129

Medicamenti partes tenuiores in vapores solutæ è ventriculo prosiliunt ad noxiũq; humorẽ perueniunt, quarum occasione partis natura ad illius excretionem irriatur. 130

Medicamenta nonnihil à nobis patiuntur. 4.b

Medicamenta temperata quibus morbis opem ferant. 8.4

Medicamenta temperata quid in nobis efficiant

ciant. 9.a

Medicamenta componuntur, etiam ad obtundẽdam vim vel in suauitatem eorum. 20.a

Medicamenta non actu sed potestate suas habent facultates. 33.b

Medicamenta frigida potestate frigida dicuntur quemadmodum & calida. 34.b

Et ratio arbitrantium medicamẽta frigida actu esse talia. ibidem

Medicamenta frigida quomodo corpus refrigerent. 37.a

Medium quid. 7.b

Melancholici humoris redundantis notæ. 212

Melancholici cur immodicè appetunt. ibidem.

Menodotus empiricus. 68.b

Mense maij, cur morbis chronicis medeamur. 183.

Mesues, cur turbit assumẽti austrum vitare cõsulat, & flante borea mirabolanos prohibeat. 181

Mixta etiã generantur in media regione aëris. 54.a

Cum morbi præsentes vrgent sanguinis mißione aut pharmaci exhibitionem expostulãtes haudquaq; ver expectandum est, sed statim exequenda quo tẽpore eis indiget dispositio. 182.

Motus rerum qui fit ad vacuum implendum secundum naturam est. 92.a

Myro=

Myrobalani. 333.

N.

NArcoticis & in quibus vtendum. 279
Nasturtij semen adsuperpurgationem sistendam an conferat. 280.
Naturali partium temperatura vsu alimentorum permutari potest. 38.b
Natura semper agit propter finem. 100.a
Natura in melius omnia dirigit. 133

O.

OPerationes secundariæ interdũ pluris habentur quã primariæ & de per se. 15.b
Opiniones prauæ prius sunt extergendæ atq; examinis discentium delendæ, ne quid veritati obsistant. 101.a

P.

PArtes bono nutrimento deficiente prauum attrahunt, quemadmodum animalia esurientia aut limum aut quid tale propter famem ingerunt. 95.a
Pestilens humoris malignitas ante coctionem purgare compellit. 225
In pestilentium morborum initio, melius fuerit omnia euacuationum genera exercere quã naturæ iudicium expectare. 225

In pestilentia potius cõtingunt iudicia ad mortem, quàm ad salutem. 225
Pituita post bilem flauam insuper purgationibus, sequi paratior est & cur. 124
Pituita vitrea albuminea dici potest. 125
Pituita vitrea ægregiè frigida est. 126
Pituita naturalis non est valde frigida. 125
Pituita naturalis nõ omnino caret lentore. 126
Pituita quæ in ventriculo generatur præter naturam est, naturalis siquidem in iecore simul cum aliis humoribus generationem obtinet. 127
Pituitæ redundãtia quibus signis dignoscatur. 211.
Pituitam qui accumulent. 153
Plenitudo quid sit ex Galeno. 142
In plenitudine non semper æqualis humorem auctio seruatur. 142
Plenitudinis quatuor species Galenus proponit, vno quatuor humorum in vna qualibet abundante. 142
Plenitudo nõ exquisita, sedquæ cũ appositione nominatur. quæ sit. 143
Plenitudinis, tumor & grauitas sunt inseparabilia symptomata. 143
Plenitudinem, nullius humoris excessus citra sanguinis augmentum valet progignere. 144.
Plenitudo duplex apud Galenum, vna succorum

rum omnium æquabilis redundantia, etsi cõtingat in ea vnum aliquando proportionem aliorum excedere, altera sincerioris sanguinis summa vbertas & affluentia. 144
plenitudinis nomen non omnium humorum redundantiæ conuenit. 145
plenitudinis duæ species precipuè vna quoad vasa, altera quoad vires & earũ notiones. 145.
Plenitudo quoad vires à cachochymia longè distat. 145
Plenitudinis vasorum communia signa. 146
Pulsus validus magnus & plenus in plenitudine quoad vasa, cur. 146.
Plenitudinis causæ euidentes recensentur. 147
Plenitudinis quoad vires signa. 147
Plenitudinis vtriusq; magnitudo, vnde sumatur. 147
Plenitudo quoad vasa quæ afferat pericula. 148.
In plenitudine quoad vasa humores corrupti non sunt, sed postmodũ corrumpuntur transpiratione probibita. 148
In plenitudine quoad vires humores in initio corrupti non sunt, sed postmodum corrumpuntur, & cur. 149
In plenitudine quoad vires robur & imbecillitas facultatum è proprijs functionibus depromitur. 149

Plenitudinis quo ad vasa & quo ad vires & eius quæ impura est inditia. 149
Plenitudo venæ sectione non purgatione demitur. 154
Plenitudinis quoad vires & quoad vasa accōmodatum remedium est venæ sectio. 155
In plenitudine cacochymiæ coniuncta vna cum venæ sectione purgandum quoq; est. 156
Plenitudo vtraq; tam integra quam putredine affecta sanguinis missione tollenda est in putrida tamen minus est euacuandum. 156
Plenitudinis euacuatio, corpus ad purgationē præparant. 172
In plenitudine pituitosa parcissimè sanguis mitti debet. 172
Plenitudo melancholica minus quam pituitosa magis tamē quam biliosa sanguinis missioni aduersatur. ibidem
Plethora quæ, sanguinis missionē exigat. 69.b
In pleuritide ante coctionem purgationem adhibet Hipp. 224
Polypodium. 349
Potentia & facultas distinguuntur. 24.d
Potentia quotuplex. 25.a
Potentiæ primus modus. 26.b
Potentiæ secundus modus. 27.a
Potentiæ tertius modus. 28.a
Prægnantes quibus medicamentis & quo tempore sint purgandæ. 207

Præparationi humorum ad purgationē tenuis victus ratio confert, non crassa. 248
Proprietates quædam miræ in rebus. 73.b
Propinqua, successione eius quod vocatur prius succedunt quam quæ longe posita sunt. 93.a
Pueri lac sugentes exigente affectu non nisi clementioribus medicamētis sunt purgādi. 208
Pueri nostra clemētia pharmaca bene tolerāt à fortiter tū purgātib' semper sunt arcēdi. 209
Pueris theriaca cur interdicatur. 210
Pueri vt & moderatam sanguinis missionem, ita & moderatam purgationem sustinere possunt. 207
Purgatio noxiorum humorum à natura fit, non à medicamento. 130
Purgatio quomodo fiat. 131
Purgatio ipsa quidem per se auxilij nomē possidet, at cum homini malum affert ex causis morbificis fit. 141
Purgatio cur interdum pigrè & tardè peragatur. 117
Purgatio si sinistrè succedat non exiguum ex illa impendet periculum. 141
Purgatio in morbis acutis, materia existente multa ante coctionem est obeunda. 226
Purgationem minoratiuam vbi Galenus insinuauerit. 227
Ad purgationē recte obeundā duo sunt necessaria, præparatio nimirū & concoctio humo

rum viarumq; per quas educi debent resera tio & apertio. 216
in purgatione reuulsiua non est expectanda co ctio. 224
Purgans medicamentum an motu violento eua cuet. 83.a
Purgans medicamentum an facultate quadam cælesti & occulta trahat. 84.b
Purgantia medicamenta facultatem habent pe culiarem humorē attrahendi. 73.b.74.a.b
Purgantis medicamenti facultas quæ secundum Auicennam. 79.a
Purgare apud Platonem quid sit. 65.a
Purgare aut sanguinem mittere multum inter est. 76.a
Purgatio quomodo apud rhetores sumatur & quomodo apud medicos. 64.b
Purgatio ab animalibus ratione carentibus quā doq; usurpatur. 65.a
Purgatio num sit humorum sua quantitate infe stantium. 66.a
Purgatio quid secundum Galenum. 66.b
Purgatio cacochymiæ debetur. 67.a
Purgatio ob quid adhibenda est. 69.a
Purgatio & venæ sectio magna sunt remedia. 69.a
Purgatio non solum illa dicitur quæ medicamē tis fit, sed etiam à natura factæ excretiones purgationes appellantur. 70.b

Purgatio duplex. 71.a
Purgatio uniuersalis quæ dicatur. 71.a
Et quæ particularis. 71.b
Purgationis particularis nomẽclaturæ aliquæ 73.a
Purgationis utilis, consideratio. 280
Purgationis utilitas ex deiectione, ut dignoscẽda. 281
Purgationis utilis ex laborantis tolerantia, dignotio. 282
In purgationibus deiectionum, quantitas an sit attendenda. 282. & seq.
Purgationem sufficientem ostendit mutatio ad alium humorem ab eo quem euacuare volumus. 284
Purgati cur prius sitiant quam esuriant. 287
A purgatione perfecta, quæ ægrotantes cõmoda reportent. 288
Purgatione media cur cibus nõ conueniat. 266
In purgatione quando cibus dandus. 267
Purgatis sorbitio ex gallinæ iure propinanda modico sit sale respersa 267
Purgatis minor cibi quantitas quam sit ipsis cõsueta est porrigenda. 268
Purgatorum potionis quantitas ut æstimanda ibid.
Purgatis vinum quale sit dandum. ibidem
Purgati ab aceto caueant. 269
Purgati frigidum aerem vitent altera die à purga=

purgatione, quæ sint molienda. 269. & 27[illegible]
Purgationis superfluentis notæ. 273. & 274
Purgationis superfluæ causæ. 274
Purgationis superfluæ ex parte sumētis, medela 275
Purgationis superfluæ pharmaci vitio, medela 276
Purgatio, quæ inutilis, & quæ utilis existat. 280
Purgationibus, quæ tēpora sint opportuna & quæ non. 175
Ad purgationem recte obeundam quæ ex astrologia sint obseruanda. 184
Ad purgationes exercendas lunæ cum sole coniūctiones oppositionesq; cauere medici præcipiunt. 185
Purgatio melius atq; securius in lunæ decremento, quam in eius incremento peragitur. 186
Purgationibus obeundis electa hora in regionibus calidis & æstatis tempore est matutina ante ortum solis, in frigidis vero & hyeme, post illius ortum. 193
Purgatio, nimis vrgente morbo qui suffocationis & mortis repentinæ minetur periculum differenda non est, sed illico quacunq; hora id euenerit exercenda. 194
Purgatio ad animi vsq; defectum nunquam est exercenda. 202

Q. Qua-

Q.

QVALITATES elementorum, quæ & quales 52.b
In quartanæ accessione purgandum non est. 198

R.

REuulsio semper humoribus fluentibus adhibetur. 224
Rhabarbarum. 313
Rigor fit humore bilioso per membra sentẽtia veloci motu delato. 222
Rosacei facultas. 7.b

S.

SAccharum rosaceum altera die à purgatione, ijs qui exacte purgati sunt, aut supra modum purgantur, conuenit, alijs vero nocuum existit. 270
Sagapenum. 336
Sanguis omnium humorum mitissimus & familiarissimus, magis à natura quam alij humores retinetur. 119
Sanguis licet à trabile & pituita ad sequẽdũ paratior sit, in effrenibus tamẽ purgationibus

 postre=

postremo euacuatur. 123
Sanguis venarũ non est simplex & vnius modi, sed ex pituitæ & vtriusque bilis ac puri sanguinis permixtione conflatus. 142
Sanguinis mißio in cacochymia biliosa, melancholica & pituitosa noxia est. 159
Sanguis citißimè febrilem calorem concipit, & in vniuersum corpus defert. 164
Sanguine mißo inter initia tertianæ, quæ incõmoda sequantur. 165
Sanguis ad sui euacuationẽ an coctione indigeat, controuertitur. 253
Sanguinis mißionẽ quæ remorentur. 255
Sanguis si purus & sincerus sit, solaq; abundantia excedat, non indiget coctione ad euacuationem. 254
Sanguis si crassus sit, frigidus & crudus, ante venæ sectionem extenuari, & concoqui debet. 256
Sanguis & spiritus qui ex valde distantibus partibus ad dolentem perueniunt, mittuntur ad illam non trahuntur. 99.a
Sanguinis mißio vniuersalis euacuatio etiam dicitur. 76.a
Sanguinis mißio in scabie & apparentibus variolis cohærentis causæ ratione non conuenit. 76.b
Sanguinis vbertas quibus se prodat signis. 215

Sapo-

Sapores & reliqua accidētia an poßint indicare medicamentorum facultates. 4.b
Scamonium, rhabarbari infusionem an poßit trahere. 109
Scamonium, quamuis habeat facultatē tractricē validam non trahet rhabarbari infusionem quia non est in rhabarbaro dispositio patiēs vt trahatur. 109
Scamonium. 353
Senna. 297
Serapia per se moliuntur præparationē corporis ad purgationē, coctionem verò ex accidenti. 253
Serosi humores redundantes quo modo dignoscendi. 213
A siccitate num etiam tractio effici poßit inuestigatur. 94.b
Sitis quo pacto perfectam purgationem ostendere poßit disquiritur. 284.& seq.
Sitis iustè & legitimè euacuationi succedentis, remedium. 287.& seq.
Similitudo medicamēti purgantis cum humore, non in sensibilibus qualitatibus consistit. 102
Similitudo medicamēti cū humore in modo mixtionis primorum elementorum consistit. 103
Similitudo est tractionis causa, non idētitas. 106
Similitudo quid. 107
Similitudo duplex. 107
Similitudinem inter diuersas species Galenus tra=

tractionis causam statuit. 108
Similitudo non est præcipua causa attractionis sed causa sine qua non fit attractio & mediante qua hoc & non illud attrahitur. 111
Similitudo & si maior medicamento cum humoribus integris, putres tamen potius euacuantur. 114
In sinocho putrida aliquid sanguinis est relinquendum, & non ex toto vacuendum. 157
Simplicia medicamenta compositis priora. 17.b
Simplicia corpora mutuo inter se agunt & patiuntur. 51.b
Somnus quando exactam purgationem ostendit. 184
Somnus post euacuationẽ in purgatione vtilis est, dum euacuatio fit noxius existit. 258
Somnus super medicamentũ forte, ad eius actuationem conuenit, super debile vero medicamentum fugiendum est. 259
Somnus quando super debile medicamentum cõuenit. 260
Somnus super potiones alterantes cõuenit. ibid.
Somnus in becticis, vna aut duabus horis à lactis assumptione, permittitur. 261
Somnus super medicamentum venefica aut praua qualitate præditum, & super medicamentum vomitiuum non conuenit. 261
Status in febribus intermittentibus non attenditur penes dies intermißionis, sed penes dies accesſ-

accessionis. 166
Super purgatio quid. 116
Super purgationis causa, à natura medicamenti, & ab alijs rebus desumpta. 116
Super purgationis causæ ex Galeno. 117
Per superpurgationes cur quidam humores prius alij posterius educantur. 118
Super purgationis efficacia præsidia. 277
In Super purgatione, inferiora deliganda non sunt. 278
In superpurgatione vomitus cur ciendus. 279
Symptomata periculosa, quæ purgatis euenire solent recensentur. 271
Syrius vnde dicatur, & quam ob causam purgationes probibeat cum exoritur. 177
Syrupi quomodo concoquere dicantur. 249

T.

Tamarindi. 304
Temperata medicamenta quibus morbis auxilient ur. 81.a
Temperata medicamenta quid in nobis efficiant. 9.a.
Temperatum corpus reliquorum veluti norma quædam est. 6.b
Tertiana, ex flaua bile putrescente delata per membra sententia excitatur. 161
In Tertiana sanguis mittendus præsertim si reliqua adsunt, que ad sanguinis mißionē requiruntur. 162

In tertiana exquisita quo tempore sanguis sit mittendus inuestigatur. 165
In principio tertianæ cũ venæ multo sanguine turgent, aut bilis est sanguini permixta, tuto post primam acceßionem vena secari potest, cũ illa absunt, melius est tertium periodum expectare. 167
Theriaca in super purgatione an conueniat & quòd purgantibus medicamentis permiscenda non sit. 278
Tractio quid ex Arist. 86
De attractione nonnulla disputanda proponuntur. ibid.
Trahens aliquid, potentius est illo. ibid.
Tractio quot modis efficiatur ibid.b
Tractio quæ fit à vacuo in quo differat ab ea quæ fit qualitatis conuenientia. 87.a
Tractio quæ fit à facultate in multis rebus conspicua est, & manifesta. 93.b
Tractiones currus ab equis & onerum à machinis artificiales sunt nec ad philosophi considerationem pertinent. 96
In tractionibus quæ a proprietate fiunt, in trahentibus causa omnis est agens, in tractis omnis est patiens. 109
Triplex tractionum differentia. ibid.
Turbith. 337
Turgẽtes humores protinus nulla coctione expectata sunt euacuandi. 218

Turgens humor an ſit aliquis. 219

Turgẽtia verè dicitur de humoribus, per ſimili tudinem tamen. 220

Turgentia non ſolum de humoribus, ſed etiam de pleriſq; alijs enuntiatur. 221

Turgentes humores an intra vaſa, an vero extra per corporis habitum ferantur. 221

Turgentes humores, quæ incommoda afferant, ſi non ſtatim purgentur. 222

Turgentes humores an per purgationem, ad iecur ſint deducendi. 222

V.

VAcuum nũ poßit trahere diſſeritur. 91.a

Vacuũ ſummopere abhorret natura: vnde ſuccedunt res adimplendum id quod euacuatur ne vacuum conſiſtat. ibid.

Vacuum rebus omnibus obeſt. 91.b

Venæ ſectio & purgatio magna ſunt remedia. 69.a

Venæ ſectio quæ commoda afferat in plenitudine. 155

Venæ ſectio & purgatio calidis & ſiccis corporibus cur ſint aduerſa. 200

Venæ ſectionem, frigidi & humidi minus tolerant quam purgationẽ, & iis adhuc minus ferunt venæ ſectionem frigidi & ſicci. 200

Ex vena malleoli miſſuri ſanguinẽ cur pedem

aquæ

aquæ calenti imponere iubeamus. 100. b
Venæ iecorariæ manus sectio, quomodo facienda. ibid.
Ventris inferioris gracilitas ad purgationes per aluum periculosa est. 201
Ver quid sit secundũ astrologos & medicos. 181
Ver cur purgationibus accommodum. 182
Victus cur attenuandus si contingat medicum ægritudinem ignorare. 214
Vires corporis euacuationem non indicant, sed permittunt. 197
Vires an validæ futuræ sint ad euacuationem sustinendã, ex quibus conijcere debeamus. 204
Vomitio cienda non est nisi humor ad ventriculum feratur. 168
Vomitus humorum post assumptum pharmacũ aliquando non intercipit purgationem. 263
Vultum figuræ miræ. 103

FINIS.

SALMANTICAE
Excudebat Cornelius Bonardus
M. D. LXXXVIII.